AVRELII CORNELII CELSI
Liber Secundus.

PROOEMIVM.

A  NSTANTIS autē aduerſæ ualetudínis ſigna complura ſunt: in quibus explicādis non dubitabo authoritate antiquorū uirorum uti, maximéq; Hippocratis: cum recētiores quoq; medici, quamuis quædam in curationibus mutarint, tamen hæc illum optimè præſagiſſe fateantur. Sed antequam dico, quibus præcedentibus morborum timor ſubſit: non alienum uidetur, exponere, quæ tempora anni, quæ tempeſtatum genera, quæ partes ætatis, qualia corpora maximè tuta, uel periculis opportuna ſint, quod genus aduerſæ ualetudinis in quoq; timeri maximè poſsit. Non quòd non omni tempore, in omni tempeſtatum genere, omnis ætatis, omnis habitus, homines per omnia genera morborum & ægrotent, & moriantur: ſed quòd frequentius tamen quędam eueniant. Ideoq; utile eſt ſcire unumquemq;, quid
B & quando maximè caueat.

GVLIELMI PANTINI TILETANI
Enarratio.

 Nſtantis ualetudinis.) Valetudínis uocabulum μέσον eſſe, & modò proſperam corporis rationē, modò aduerſam notare, cùm per ſe, tum additis differentiæ epithetis: eoq; Ciceronem ſolo uti, ſanitatis uerò nomine in hoc duntaxat ſignificatu nunquam, illi ſanè meminerūt, qui paululum modò elegantiorum literarum deguſtauerunt, quiq; in eius lectione non omnino oſcitabundam operam, attentionemq; collocarūt. At ego nunc res eiuſmodi perſequi, aut ſanitatem à corpore eximere, aut orationis ſplendorem aucupari magnopere, in animum non induxi: fide quanta potero optima, cum Celſo primùm Hippocratem è Iani Cornarij conuerſione ualde religioſa, & græcis exemplaribus conferre contentus. nullo facundæ dictionis, aut elegantis ſplendidæq; orationis ſtudio aucupioq; ductus, quo ſimplex certè, & breuis, & è uerbo, uerbo propè expreſſa illius ſententia ac ueritas uel obruatur, uel immutetur: deinde alijs partim ratione breui, aut authoritate confirmatis, partim ratione ſimili confutatis. Vera ſiquidem tueri, & Annotatiunculis illuſtrare, falſa reprehendere & refellere, & ueri obeliſcis confodere ac iugulare propoſui. Quare ne talia quidem attingere uiſum eſt, quàm paucis hìc Celſus uerbis
C initiò omnem procemiorum diſciplinam & artificium ſit complexus: dum & intentum lectorem, rerum magnitudine ſtatim propoſita: & beneuolum, Hippocratis atq; antiquorum cæterorum mentione, eiusq; ætiologia addita: & docilem deniq;, breui rerum omnium conſequentiū, quæ quidem hoc libro tractabūtur, partitione, ut in utroq; ſuo opere feciſſe Homerum docet Fabius, ſibi effecerit. E' quibus appoſitiſsima procatalepſi, quam occupationem Latini rhetores uocant, in primam ſuæ diuiſionis partem ſtatim deuoluitur. Oſtendere enim tantum, & tanquam indice demonſtrare conſtitui, ut dixi, quantū ipſe quidem memoria lectioneq; ex ijs omnibus libris, qui Hippocratis nomine ac titulo circunferuntur, ſum conſecutus: è quibus illius locis noſter Cornelius non modò quanta fide, uerùm etiā quàm multa ad Latinos tranſcripſerit. Quò uel hinc omnes intelligere & perſpicere queant, &

quibus

quibus toto hoc libro hic cum illo consentiat, atq; concordet: & ubi quid di A
minutum, & ubi quid appositum, atque adtextum: ubi deprauatum, corru-
ptumq; hominum, ac superiorum seculorũ ignauia, inscitiaq; extiterit. Non
profectò, quòd ego aut id iudicij, aut eam memoriam mihi usurpem ac uen
dicem, ut omnium usquam in Hippocrate conscriptorum recorder, aut me-
minerim: & uti quicquid Celsi genuinum sit, aut quid alienum, statim odo-
rer atq; agnoscam: sæpe enim apertis oculis, quæ præsentia sunt, & quæ per
se in oculos incurrunt, non animaduertimus: & sexcentæ mentiendi formę,
ut decipiaris, sexcenti uerorum fuci extare possunt: sed quòd bonam partem
signorum, quæ hoc uolumine continentur, è quibus ea fontibus profluxe-
rint, clarè ac dilucidè ob oculos statuemus. Et inter hæc à Celso quædam mu
tata, & nonnulla uitiata, & multa diminuta ac truncata: & hominum, supe-
riorumq; ætatum ignauia inertiaq; passim plurima fœdissimè conspurcata,
corruptaq; demonstrabimus, atq; adeò pleraq; etiam obscurata aperiemus.
Libenter namq; in uetustissima illa purissimaq; medicina uersor, ac delicias
ago: cuius siue neglectu, siue contemptu, ad nostram propè usq; ætatẽ mul-
tos iam annos summa barbaries, & turpissima inscitia nitidissimam ualetu-
dinis humanæ artem scientiamq; oppressit, ac defœdauit: quam doctissimi
nunc in omnibus regionibus uiri, omni nixu & studio è barbarissimo isto B
cœno eripere, & ab omni errore uindicare, & pristino ueroq; restituere nito
ri, neruis omnibus & animi & corporis contendunt. Cum quibus quidem
ego me comparare non audeo: æmulari tantum pro uiribus nimis quàm im
becillis illorum uoluntatem studeo. Nam spero futurũ, ut alij nostra hac qua
licunq; industria adiuti, ad res maiores capessendas paululum subleuentur:
alij nostro exemplo incitati atq; inuitati, quę nos hic fugerint, aut fefellerint,
uel sint indicaturi solertius, uel explicaturi eruditius, quo tandem medicina
ad meritum honorem splendoremq; proueh atur: & omnes demum cogno-
scant, quanta hactenus caligine obscurata delituerit: & quibus antè uulneri-
bus confossa, uix ægrè spiritum misera traxerit. Certè nostra hac opella sub-
leuati intelligent omnes, quæ bona ex parte quasi scopulos in hoc toto o-
pere uitare ac defugere debeant, quæq; tanquam portus sequi ac petere tu-
tò possint. Id etenim præstitisse si non uidebimur, certè præstare contendi-
mus: & uidebimur quoq; fecisse, spero, quod profitemur, alicubi.

Non quod non omni tempestatum genere.) Hippocrates 3. Aphor. 19. νοσήματα παύ-
τα μὲν ἐν πάσησι τῇσιν ὥρῃσι γίνεται, μᾶλλον δ' ἔνια κατ' ἐνίας αὐτέων οὐ γίνεται, οὐ
προσέωνται. id est, Morbi quidem omnes in omnibus temporibus fiunt: qui-
dam tamen magis in quibusdam ipsorum & eueniunt, & exacerbantur. Ra-
tionem cuius libro quem de Natura humana inscripsit, talẽ refert, quòd an-
nus omnis quidem omnium particeps est, & caloris, & frigoris, & siccitatis, C
& humoris: nihilo tamẽ minus nunc hyems in ipso uiget maximè, nunc uer,
nunc æstas, nunc autumnus. Sicut in homine quoq; omnia quidem insunt
semper: aliàs tamen alia prævalent, modò sanguis, modò pituita, modò bilis
alterutra. quorum ut unumquodq; uel modum, uel mixturam, uel rationem
corpori humano salutarem excesserit, ita ægrotationem parit.

Quæ anni tempora, quæ tempestatum genera, quæ partes ætatis, qualia corpora uel tuta, uel morbis opportuna sint, & quod ualetudinis genus in quoq; timeri possit. Cap. I.

IGitur saluberrimum uer est, proxima deinde ab hoc hyems, peri
culosior æstas, autumnus longè periculosissimus. Ex tempestati
bus uerò optimæ æquales sunt, siue frigidæ, siue calidæ: pessimæ,
quæ uariant maximè. quo fit, ut autumnus plurimos opprimat.
Nam ferè meridianis temporibus calor, nocturnis atq; matutinis,
simul'q;

A simulq; etiam ueſpertinis frigus eſt. Corpus ergo & æſtate, & ſubinde meridianis caloribus relaxatum, ſubito frigore excipitur. Sed ut eo tempore id maximè fit, ſic quandocunq; euenit, noxium eſt. Vbi æqualitas autem eſt, tamẽ ſaluberrimi ſunt ſereni dies, meliores pluuij, quàm tantum nebuloſi aut nubili: optimiq; hyeme qui omni uento uacant, æſtate quibus Fauonij perflant. Si genus aliud uentorum eſt, ſalubriores ſeptentrionales, quàm ſubſolani uel auſtri ſunt. Sic tamen, ut hæc interdum regionum ſorte mutentur. Nam ferè uentus ubique à mediterraneis regionibus ueniens ſalubris, à mari grauis eſt. Neque ſolum in bono tempeſtatum habitu certior ualetudo eſt, ſed priores morbi quoq; (ſi qui inciderunt) leuiores ſunt, & promptius finiuntur. Peſſimum ergo cœlum eſt, quòd ægrum fecit: adeò ut in id quoq; genus, quod natura peius eſt in hoc ſtatu, ſalubris mutatio ſit. At ætas media tutiſſima eſt, quæ neque iuuentæ calore, neq; ſenectutis frigore infeſtatur. Longis morbis ſenectus, acutis adoleſcentia magis patet. Corpus aũt
B habiliſſimum quadratum eſt, neque gracile, neque obœſum. Nam longa ſtatura, ut in iuuenta decora eſt, ſic matura ſenectute conficitur. Gracile corpus, infirmũ: obœſum, hebes eſt. Vere tamen maximè, quæcunq; humoris motu nouantur, in metu eſſe cõſuerunt. Ergo tum lippitudines, puſtulæ, profuſio ſanguinis, abſceſſus corporis (quæ ἀποσήματα Græci nominant) bilis atra, quam μελαγχολίαν appellant, inſania, morbus comitialis, angina, grauedines, deſtillationes oriri ſolent. Hi quoq; morbi, qui in articulis, neruisq; modò urgent, modò quieſcunt, tum maximè & inchoantur & repetunt. At æſtas non quidem uacat pleriſq; ab his morbis, ſed adijcit febres, uel continuas, uel ardentes, uel tertianas, uomitus, alui deiectiones, auricularũ dolores, ulcera oris, cancros, & in cæteris quidem partibus, ſed maximè obſcœnis, & quicquid ſudore hominem reſoluit. Vix quicquam ex his in autumnum non incidit, ſed oriuntur eo quoq; tempore febres incertę, lienis dolor, aqua intercutem, tabes, quàm Græci φθίσιν nominant: urinæ difficultas, quam
C στραγγουρίαν appellant: tenuioris inteſtini morbus, quem ἕλιον nominant. Fit item lenitas inteſtinorum, quæ λυγμικία uocatur, coxę dolores, morbi comitiales. Idemq; tẽpus & diutinis malis fatigatos, & ab æſtate tum iam proxima preſſos interimit, & alijs nouis morbis cõficit: & quoſdam longiſſimis implicat, maximeq; quartanis, quæ per hyemem quoque exerceant. Neque aliud magis tempus peſtilentiæ patet, cuiuſcunq; ea generis eſt, quamuis uarijs rationibus nocet. Hyems aũt capitis dolores, tuſſim, & quicquid in fauci-bus, in lateribus, in uiſceribus mali contrahitur, irritat. Ex tempeſtatibus aquilo tuſſim mouet, fauces exaſperat, uentrem aſtringit, urinam ſupprimit, horrores excitat, item dolores lateris & pectoris. Sanum tamen corpus ſpiſſat, & mobilius atq; expeditius red-

dit. Auſter aures hebetat, ſenſus tardat, capitis dolores mouet, A
aluum ſoluit, totū corpus efficit hebes, humidum, languidum. Cæ
teri uenti quo uel huic, uel illi propiores ſunt, eo magis uicinos his
illis ue affectus faciunt. Denicq; omnis calor, & iecur, & lienem in-
flammat, mentem habetat, ut anima deficiat, ut ſanguis prorūpat,
efficit. Frigus modò neruorū diſtentionem, modò rigorem infert,
illud ὠτασμὸς, hoc τέτανος, Græcè nominatur: nigritiem in ulceribus,
horrorem in febribus excitat. In ſiccitatibus acutæ febres, lippitu-
dines, tormina, urinæ difficultas, articulorū dolores oriuntur. Per
hymbres longæ febres, alui deiectiones, angina, cancri, morbi co-
mitiales, reſolutio neruorū, quam παράλυσιν Græci nominant. Neq;
ſolum intereſt, quales dies ſint, ſed etiam quales præceſſerint. Si
hyems ſicca ſeptentrionales uentos habuit, uer autē auſtros & plu
uias exhibet, ferè ſubeunt lippitudines, tormina, febres, maximeq;
in mollioribus corporibus, ideoq; præcipuè in mulieribus. Si ue-
rò auſtri, pluuiæq; hyemem occuparunt, uer aūt frigidum & ſiccū B
eſt, grauidæ quidem fœminæ, quibus dum adeſt partus, abortu
periclitant: hæ uerò quæ gignunt, imbecillos, uixq; uitales edunt.
Cæteros lippitudo arida, & ſi ſeniores ſunt, grauedines atque de-
ſtillationes male habent. At ſi à prima hyeme auſtri ad ultimū uer
continuarunt, laterum dolores et inſania febricantiū, quam φρενῖτιν
appellant, quàm celerrimè rapiunt. Vbi primò calor à primo uere
orſus, æſtatem quoq; ſimilem exhibet, neceſſe eſt multū ſudorem
in febribus ſubſequi. At ſi ſicca æſtas aquilones habuit, autumno
uerò hymbres auſtriq; ſunt, tota hyeme, quæ proxima eſt, tuſſis,
deſtillatio, raucitas, in quibuſdam etiam tabes oriuntur. Sin autem
autumnus quoq; æquè ſiccus, ijſdem aquilonibus perflatur, omni
bus quidē mollioribus corporibus, inter quæ muliebria eſſe pro-
poſui, ſecūda ualetudo contingit: durioribis uerò inſtare poſſunt
& aridæ lippitudines, & febres partim acutæ, partim longæ, & hi
morbi qui ex atra bile naſcuntur. Quod ad ætates uerò pertinet,
pueri, proximiq; his, uere optimè ualent, & æſtate prima tutiſſimi
ſunt. Senes æſtate, & autumni prima parte: iuuenes hyeme, quiq; C
inter iuuentam ſenectutemq; ſunt. Inimicior ſenibus hyems, æſtas
adoleſcentibus eſt. Tum ſi qua imbecillitas oritur, proximum eſt,
ut infantes, teneroſq; adhuc pueros ſerpentia ulcera oris (quæ
ἄφθας Græci nominant) uomitus, nocturnæ uigiliæ, auriū humor,
circa umbilicū inflammationes exerceant. Propriæ etiam dentien
tium gingiuarū exulcerationes, diſtentiones neruorū, febriculę in-
terdū, alui deiectiones, maximeq; caninis dentibus orientibus ma-
lè habent. Quę pericula pleniſſimi cuiuſq; ſunt, & cui maximè uen
ter aſtrictus eſt. At ubi ætas paulùm proceſſit, glandulæ, & uerte-
brarum quæ in ſpina ſunt, aliquæ inclinationes, ſtrumæ, uerruca-
rum quædā genera dolentia (ἀκροχορδόνας Græci appellant) & plu-
ra alia

A ra alia tubercula oriuntur. Incipiente uerò iam pube, ex ijsdem multæ & longæ febres, sanguinis ex naribus cursus. Maximéq; omnis pueritia primùm circa quadragesimum diem, deinde septimo mense, tum septimo anno, postea circa pubertatem periclitatur. Si qua etiam genera morborum in infantem inciderunt, ac neque pubertati, neq; primis coitibus, neq; in fœmina primis menstruis finita sunt, ferè longa sunt. Sæpius tamen morbi pueriles, qui diutius manserunt, terminantur. Adolescentia morbis acutis, item comitialibus, tabiq; maximè obiecta est: fereq; iuuenes sunt, qui sanguinem expuunt. Post hanc ætatem laterum & pulmonis dolores, lethargus, colera, insania, sanguinis per quædam etiam ue lut ora uenarum (αἱμοῤῥοΐδας Græci appellant) pro fusio. In senectu te spiritus et urinæ difficultas, grauedo articulorum, & renum dolores, neruorũ resolutiones, malus corporis habitus (κακεξίαν Græci appellant) nocturnæ uigiliæ, uitia longiora aurium, oculorum, etiam narium, præcipueq; soluta aluus, & quę sequunt̃ hanc tormi
B na, uel lęuitas intestinorum, cæteraq; fusi uentris mala. Præter hęc graciles, tabes, deiectiones, destillationes, item uiscerum & laterum dolores fatigant. Obœsi plerunq; acutis morbis, & difficultate spirandi strangulantur, subitoq; sæpe moriuntur. Quod in corpore tenuiore uix euenit.

ENARRATIO.

Saluberrimum uer est.) Hippocr. 3. Aph. 9. ἦρ ὑγιεινότατον, καὶ ἥκιστα θανατῶδες. id est, Ver saluberrimum, & minimè morbis exitialibus est obnoxium: sanè si suam modò temperiem, genuinam illam quidem & moderatam obtinet, ut & tempestiuè in eo pluat, quod eo libro Hippocrates, quem de Aere, locis & aquis uulgò appellant, docet: & nec æstu flagret, nec frigore rigeat. Nam quæcunq; usquam de omnibus anni partibus referuntur, ea de suam illis natiuam indolem seruantibus intelligi omnia debent. Etenim potest aliàs sæpe alterius pars unaquæq; ingenium atque temperantia induere. Quæ tum medicus, tum alius quilibet, qui de rebus sanè ac sapienter æstimare uolet, multò plurís facere debebit, quàm non dicam astrorum siderumq; positus, sed cæcas istas & amentes, quorundã de rebus futuris ex illis nec uisis, nec intellectis, diuinationes earum rerum futurarum, quæ uel rarò, uel nunquam fiunt: & eorum non imminentium, quæ sola eueniunt. Verùm non ipsi ta-
C lia, quod aiunt, sed astra mentiuntur. Credo equidem, si falli iam ignaros istos & errare, in illis etiam mentiri est: & è rebus constantissimis firmissimisq; incõstantia, incerta, dubia, uana omnia prædicere, editis in hoc etiam libellis, mentiri, decipere, fallere non est. Sed non hic tantum isti extra suæ professionis ac medicinæ septa prosiliunt, dum pulcherrima astrologia atq; astronomia spurcissimè indignissimeq; abutuntur: sed multis aljs item nominibus suam artem ac disciplinam, cùm longam satis, tum satis difficilem, in qua solum & perpetuò desudando uersarentur, & è rebus tantum euidentibus atq; conspicuis ualetudinem, ac salutem corporis humani summo studio, consilio, solertia, prudentia semper aucupantẽ, prostituunt: idq; uel diebus fastis atq; nefastis, quod ædilium est, denunciandis: uel nundinis, quod uiatorum ac prętorũ est, indicendis: uel equorũ nundinationibus, quod agasonum est, publicandis: uel marinorũ æstuum fluxibus, quod nautarum est, describẽdis. Quæ & quilibet è uulgo sæpe faceret melius, & certè leuius hic

isti tamen, quam in illo prædicendi ac uaniloquentiæ munere delinquunt. A Posim hic multo longior esse, si & medicũ quid deceat, & quid omnes mortales ex aere cœloq; in corpore bene gubernando, animaduertere & obseruare oporteat, ostendere uelim. Nam & temporũ aerisq; graues & magnæ mutationes, & cõcursiones siderũ pleræq; excellentes atq; constitutæ, tantã uim, quantã uerbis exprimere nõ facile sit, omnino obtinẽt: ne quis eam meam certã ac ueram cõtemnere, ac pro nihilo putare, aut uelle eleuare existimet, quam agnoscendã obseruandamq; diligentissimè omnib. scio & pronuncio: sed uereor ne hæc quoq; nimis multa, quamuis & uerissima, & ab eo loco ac libro, quem tractamus, nõ aliena, quibusdam qui hoc uaticinãdi nomine potissimũ & nomen & gloriã consectantur, dixisse uidear. Et dixi hæc pauca profectò unius medicinæ fauore, & singulari studio ductus: nõ odio cuiusquã, aut inuidẽtiæ stimulo, aut lædendi ullius libidine impulsus.

Proxima hyems.) Nam sunt, quod 1. Aph. 15. scriptũ ac testatũ reliquit Hippocrates, αἱ κοιλίαι χειμῶνος καὶ ἦρος θερμόταται φύσει. id est, Ventres penetraliaq; corporis hyeme sunt & uere natura calidissima. Quod eo modo nunquam non corpori bonum esse potest.

Periculosior æstas.) Hippocr. 1. Aph. 18. θερίζει καὶ φθινοπώρου στάσις διαφορώτατα φορήσιος. id est, Aestate & autumno cibũ difficillimè homines ferũt. Quod & uirium impotentiæ & caloris à natiuitate penitus insiti & inhærentis infirmitati præcipuè tribuendum & imputandum est. Quanquã autumnus aliis quoq; de causis lõgè perniciosissimus efficitur, quas ijs cõmentarijs quæ in primũ Celsi, ac de Tuẽda ualetudine librũ cõscripsimus, planius effecimus. B

Autumnus longè periculosissimus.) Hippocr. 3. Aph. 9. ἐν φθινοπώρῳ ὀξύτατα αἱ νοῦσοι καὶ θανατωδέστατοι τοῦ ὅλου ἔτεος. id est, Autumno morbi acutissimi & omnino exitiosissimi accidunt.

Ex tempestatibus optimæ æquales.) Hippocr. 3. Aph. 8. ἐν τοῖσι κατεστῶσι καιροῖσιν ἐὰν ὡραίως τὰ ὥρεα ἀποδιδῶσιν, εὐστάλεα καὶ ἐὰν εὐκρινέα αἱ νόσοι γίνονται. ἐν τοῖσιν ἀκατασ-τάτοισιν, ἀκατάστατοι καὶ λύσιμοι. id est, In temporibus constantibus si tempestiuè tempestiua reddantur, morbi constantes & iudicatu faciles fiunt. In inconstantibus aũt inconstantes, & qui difficulter iudicantur. hoc est, Vbi anni pars omnis moderata est, nec à ratione cœli sibi debita multum abscedit, quumq; suo tẽpore atq; opportunè pluuiæ, uenti, serenitas, calor, frigus, ut decet eueniũt, tum morbi stabiles & quieti, minimeq; uel uarij, uel enormes accidunt, & iudicia exitusq; sortiuntur mitissimos: sin ualde immutentur aut turbentur eximiè anni tempora, tum inquietas ægritudines & atroces & multiplices periculosasq; progenerant. Nam quod 3. Aph. 1. Idem tradit Hipp. αἱ μεταβολαὶ τῶν ὡρέων μάλιστα τίκτουσι τὰ νοσήματα, καὶ ἐν τῇσιν ὥρῃσιν αἱ μεγάλαι μεταλλαγαὶ ἢ φύσιος, ἢ θάλψιος, ἢ τἆλλα ἐπὶ λόγου ὅτευ. id est, Mutationes temporum maximè pariunt morbos, & in ipsis temporibus magnæ uarietates seu C frigoris, seu æstus: cæteraq; congruenter hoc modo. Pulchrè autem ad hanc rem illustrandam facit, quòd Hippocrates libro de Diæta primo, de fabris ferrarijs igni uicissim & aqua ferrum domantibus recenset, quodq; de fullonibus multo attritu pannum, & calcatu, multaq; & suppulsione & maceratione mollientibus cõmemorat. Crebræ enim & ualidæ illæ commutationes nemo facilè dixerit, quàm res etiam firmissimas debilitent atq; confringant. Id quod in ferro, in metallis, in saxis si ualet: quid non in imbelli hominis corpore aeris & cœli uentorumq; uehemẽs mutatio & uiolentia, ac multo etiam magis, ualebit & efficiet?

Sed ut eo tempore id maximè fit, ita, &c.) 3. Aph. 4. ἐν τῇσιν ὥρῃσιν ὅταν τὰ αὐτὰ ἡμέρης ὅτε μὲν θάλπος, ὅτε δὲ ψῦχος γίγνηται, φθινοπωρινὰ τὰ νοσήματα προσδέχεσθαι χρή. hoc est: Per tempora quandocunq; eodem die modò calor, modò frigus accidit, autumnales expectare morbos decet, nempe summè exitiosos & inconstantes, exitusq; planè pernicioſi.

Meliores

A *Meliores pluuij, quàm nebulosi, aut nubili.*) Nebulæ tum rerũ unde euolant spurcitie, tum quia immotæ proximeq; terram incumbunt, ferè putidæ sentiuntur. Nubes & crassiusculæ sint oportet, & quiete, quantam aer quidem tolerare ac sustinere potest, ut contaminentur necesse est, duntaxat quæ neq; in pluuiam resoluuntur, neq; ui solis ac uentorum dissipantur. Pluuiæ non modò è purissimis aquaticarum rerum partibus ferè oriuntur: sed etiam uentorum cõcussione, suoq; lapsu depurgantur. Vt ne interim cõmemorem, Hippocratem libro quem de Aere, aquis & locis uocant, nebulas nubesq; è turbida et caliginosa uaporũ portione enasci, pluuiasq; è partibus mundis produci existimare. Id certè prætermittere, quin hic addam, non possum: ut est æqualitas moderata & suo tempori consentanea tutissima, ita esse quamlibet ingentem uarietatem, & subitam omnẽ seu serenitatis, seu nebularum, seu uentorum, seu deniq; cuiuscunq; tempestatis eo pernicioſiorem, quo citius uiolentiusq; uel uariauerit, uel incubuerit.

Optimiq; hyeme qui omni uento uacant.) Ne uidelicet uel frigidis uentis brumæ frigus nimis intendatur, neu calidis hyemis mador cõspurcet: sic enim Hippocrates libro de Aere, aquis, & locis, eam hyemem salutiferam ducit, quæ & moderata sit, & neq; clementia, neq; sæuitia frigoris exuperet.

Aestate quibus Fauonij.) Fauonios hic mites omnes uentos intelligã, qui adB uersus æstatis calorem flatulum blandè faciant. Non occidentales illos tantum, quos Græci zephyros appellant. Licet enim sint hi pleriscq; in locis & mitissimi, & rerũ omnium uitæ iucũdissimi, ex quo & nomina Latinis Græcisq; sumpserunt: sunt tamen ipsi nobis frequenter pluuij, & parum propitij. Ego summo in æstu aquilones, etesias, apheliotes, euros desiderem: summo uerò in frigore uel à flatibus silentium, uel clementem fauoniorum aspirationem concupiscam.

Salubriores septentrionales.) Flant à septentrione aparotiæ, boreæ, circij, uenti facilè omnium saluberrimi, quod ab euentibus & morbis ipsorum moderatissimis disci potest. his proximi, subsolani atq; euri sunt: nisi quod calore isti per æstatem, sicut frigore nonnihil per hyemem nobis exuperent. Austri uerò seu noti, suprà quàm credi possit, corporibus humanis animisq; incommodant, & sunt facilè omnium maximè pestiferi.

Sic tamen, ut hæc interdum regionum sorte.) In quoq; loco partim spectandũ est, ecqua is parte, mare, lacus, paludes ingẽtes aut stagna respiciat, quòd illinc & nebulæ, & uenti, & nubes pluuiæq; putidissimæ oriantur: partim, ecqua campi, colles, montes, ualles sint. E campis enim mundissima euaporant: è collibus ac montibus perflatissima, è uallibus spurcissima expirant. Atq; ut paucis uniuersa complectar, cuiusq; regionis tractui, ac cœli soliq; omnis ingenio, sui perpetuò respondent uapores atq; exhalationes: his deinde nuC bes, uenti, pluuiæ, aer totus circumfluus, cæteraq; similia. Nam è calidis, frigidis, probis, improbis, puris, putidis locis, similia semper enascũtur. Adeò ut auster mare egressus summè pestilens sit, quia calido humidoq; aere imbuitur, & Libycis idem sit æstu & aridítate infestus, & antarcticis borearum uim exhibeat: quod de cæteris item uentis eodem modo censeri debet, ut ui res ipsorum pro locis, è quibus, & per quæ commeant, assiduè cõmutentur.

Neq; solum in bono tempestiuo.) Aeris uel probi, uel grauis quanta uis sit & efficacia in cuncta ualetudine, & primo libro de Sanitate docui, & dicam hoc secundo paulo pòst iterum. habet siquidem, quod libro de Natura humana scribit Hippocrates, corpus humanum semper & bilem utranq;, & sanguinem, & pituitam: sed quæ pro temporis præsentis ratione assiduè & crescant inuicem, & diminuantur.

Sed priores morbi quoq;.) Eo libro quẽ de Humana natura scripsit Hipp. Quicunq;, inquit, morbi hyeme augescũt, æstate desinere solent: at qui æstate augentur, hyeme finiri cõsueuerũt, nisi certo dierũ circuitu discedãt. Et qui sub

uer oriuntur, ij ut sub autumnũ migrent, expectandũ est. Atq; autumnalium A
exitus uerno tempore sperari debet. Quæ tempora quicunq; morbi trãsgre
dientur, annui demũ futuri sunt. Nec id sanè immeritò: nam qua cœli tempe
state ægritudo debilitasq; nata est, eius contraria intereat, uel non opposita
duret, traháturq; necesse est: nisi medicinæ opera atq; arte, diuersa contrariaq;
molientis, antè depellatur.

Aetas media tutissima est.) Aetatem mediam uocat οὓς γηρόντας καὶ οὓς καθεσηκότας, hoc est, senes, & qui ætatem constantem agunt: nempe quicunq; inter senectute confectos, id est, eos qui sexagesimũ ætatis annum superauerunt, & inter iuuenes, qui quintum annum supra trigesimũ excesserunt, medij intercedunt. Non quòd ij profectò soli mediũ omnium ętatũ ad unguem obtineant: sed quòd calidissimarũ frigidissimarũq;, nempe iuuentæ quæ summo calore, & senectutis quæ maximo frigore infestatur, in medio sint cõstitutæ. Nam iuuentæ iam nomine etiam adolescentiam cõplectimur, & senectutis, eam tantũ quæ iam senio conficitur: sic enim & primo libro ijs uocabulis idẽ usus est, & rerũ hic tractatio capi postulat. Verùm enimuero haud scio q̃ cõgruenter ueritati, mediã hanc ætatẽ tutissimã pronunciet: si enim temperiẽ spectes, optima iam sit pubertas necesse est, & quę pubertatis pars est adolescentia, calidi uidelicet naturalis fœcunda, & humoris puerilis ariditatisq; iuuenilis atq; insequentis omnis ætatis uacua. Constans uerò ætas, B
& quæ hanc proximè excipit uiridis senecta, nimia ariditate squalescit, & ca
lore genuino iam cõtabescit. Est igitur adolescentia non solũ optima, sed &
tutissima, si ariditatis humorisq; ægritudines, atq; adeò uires etiã practicas,
quas κατ' ὁρμὴν appellant, quòd uoluntatis imperio subij ciantur, consideres.
Sin prudentiam, grauitatẽ, consilium cuiusq; ætatis pariter & caloris mitita
tem animaduertas, uidebis Celsi mediam nec iuuenũ acutis morbis, nec se-
num longis æquè capi solere. Cauent nanq;, quàm iuuenes, melius, nec pe-
rinde facilè corpora inflãmantur: senibus, si nõ cauent prudentius, certè fri-
gidis longisq; ægrotationibus & minus multo corripiuntur, & facilius libe
rantur. οἱ πρεσβύτῃ τ νέῳ τὰ μὲν πολλὰ νοσέουσιν ἧσσον, ὅστε ἢ αὐτέοισι χρόνια νοσήματα γίνηται, τὰ πολλὰ ξυναποθνήσκει. id est: Senes iuuenibus magna ex parte minus ægrotant. Quicunq; uerò in ipsis fiunt morbi diuturni, ij ferè cõmoriun tur. Certè libro quem de Morbis inscripsit, iuuenum tum calori, tum robori, tum imprudentiæ tribuit idem Hippocrates, cur morbis ex incautis laboribus, quàm senes, frequentius infestentur, & tristius ægriusq; eripiantur. Et Cicero in Catone, diserte idipsum in illis incusat: horum itaq; amborũ ætatem mediam, quàm à priorũ uitijs procul abest, tam à posteriorũ quoq; mor bis dissidere consentaneũ est. Quando & iuuenũ firmitas ipsorũ temeritate & incontinentia superatur, & senũ consilia corporis infirmitate opprimun tur. Media uerò inter hæc ætas nec animi prudentia, nec membrorũ robore C
caret. Nec perinde feruet ac iuuenum, nec alget ac senum temperies. Quare
minus lentis, & minus quoq; acutis premitur ægritudinibus.

Longis morbis senectus.) Ad sententiam id spectat illius Aphorismi è libro se cundo, quẽ modò protulimus, Senes iuuenib. magna ex parte minus ægro tant. Quanq; sunt alij, qui id de acutis solũ cum Celso intelligũt. Nam in ge nere profectò defendi de omnib. morbis, si primùm senũ prudentiã, deinde Hippocratis ætatẽ conferas, facilè etiã potest. Acuti aũt aut longi morbi qui sint, & Celsus libro tertio docet, & Hippocrates libro de Victus ratione: In acutis sunt, inquit, acuti, quos ueteres nominauerũt pleuritidem, peripneu moniã, phrenitidẽ, et febrẽ ardentẽ, & alij morbi, quicunq; illorũ participes sunt: quorũ febres omnino cõtinuæ quũ sint, interimunt, idq; intra dies ferè quatuordecim. τὰ ὀξέα, q̃d 2. Aph. 23. habet Hipp. τ νοσημάτων κρίνει ἐν τεσσαρεσκαίδεκα ἡμέρῃσι. Verùm sunt ista tantũmodo de simpliciter acutis appellatis dicta. Nam acuti nõ simpliciter, ut uocãt, uigesimo die lõgissimè finiunt.

At

A At acuti ex κατακλίσει, hoc est, ex translatione degenerationeq; summum diem habent quadragesimum. Supra quem quicunq; proferuntur, iam longi sunt reuera, & nominantur: etsi eadem uoce etiã quicunq; intra dies quatuordecim non reliquerint, sæpissimè continentur. Illud perpetuum est, acutos omnes è calida materia, nempe sanguine aut bile, quæ primis ætatibus: præcipueq; adolescentia & iuuenta crescunt & abundant, oriri: quemadmodum longos è frigidis humoribus, pituita aut melancholia, quæ consequentibus annis maximè infestare consueuerunt, generari.

Corpus autem habilißimum.) Habilissimum id efficit & declarat, quod habitu præstantissimo præditum: habitũ porrò uocamus uniuersam corporis molem, certa proceritate & crassitudine constantem, quam secluſis humoribus, carne & ossibus, & quibus hæc ipsa nectũtur & cohærẽt, metimur. Quadratũ uerò dicit, neq; proceritate enormi, neq; breuitate deforme, et cuius crassitiei longitudo membrorũq; omnium analogia ac decora proportio respondet: qualis maximè est eorũ qui in his rebus mediũ quoddam obtinent, præsertim ἐν συμμετρίαις τῶν κάλλει τῆ παντὸς σώματος ὀργάνων, id est, in instrumentorum cũcti corporis proportione quadã, & pulchritudine. Cæterùm gracile idẽ ualet, quod tenerítudine ac macilentia contractũ: obœsum, quod crassitie ac pinguetudine distentum. Illud ferè calorem edacem, hoc corporis
B frigus comitatur: si modò illud hirsutum, hoc etiam glabrum sit.

Nam longa statura.) Hipp. 2. Aph. ult. μεγέθει ἢ σώματος, ἐννεᾶσαι μὴ ἐλευθέρων καὶ ἀκεραίης, ἐγγηράσαι ἢ δύσχρηστον τῶν χεῖρον τῆ ἐλασσόνων. hoc est: Corporis proceritas iuuentæ quidem nec illiberalis, nec indecora est: senectæ uerò parum utilis, & breuitate deterior. Quoniam gibbositatis, & incuruæ ceruicis, ac molestæ celsitudinis demum rationem corpori præbet.

Gracile corpus infirmitate.) Raritate & tenerítudine habitus delicatũ, externisq; offensionibus summè obnoxiũ, gracile corpus efficit. Obœsum, pigrũ, desses, brutũ, cùm ad honesta uitæ omnia munia inutile, tum noxis intrinsecis affine crassitie sua, et abdominis adipisq; mole reddit. Atq; utrisq; mens ac animus suus congruit. Crassa siquidẽ Minerua, pinguisq;, corpus obœsum sequit: præsertim si qui præterea gastrimargia, quos γαστριμάργους Aristoteles uocat, aut si δι' οἰνοφλυγίαν ὁ τοῦ σώματος πάχος, id est, uinolẽtia corporis grauitatem sibi accersiuerint, quos ἀσκοὺς, hoc est utres, & γαστρώνας, uentresq;, & gulæ tantum atque abdominis mancipia quędam, ueriſsimè nuncupaueris. sed longius à re proposita discedo.

Vere tamẽ maximè quæcunq; humoris.) Humorũ motione fiunt febres intermittentes, ἀφ' αἱμάτων, tumores præter naturã, abscessus. Nempe sanguinis per totũ corpus æstuoso fluxu febres cõtinuæ, in partẽ aliquam decubitu inflãmationes excitantur: flaua bilis si in corporis habitum citra putredinẽ dif-
C fundítur, aurigo ac regius morbus: cum putredine, tertiana febris nascitur: si in quamlibet partem defluxerit, herpes: si sanguis siue tenuis, siue biliosus, erysipelas oritur. Atra bilis, si per cuncti corporis membra spargitur, sine putredine elephantiasim parit: si putredine affecta, quartanam febrem gignit: si in certam partem coaceruetur, carcinoma: si per omnem cutem diffunditur, uitiliginem nigram apportat. Pituita per totum corporis habitum cõcepta, nulla præsente putredine, aquã inter cutẽ, quã Græci hydropa uocant, adfert: putrefacta, quotidianã. Certę corporis parti adfixa, œdema: si tenuis, liquidaq;, aut flatibus distenta sit (nam crassa scirrhum producit) cuti subiectæq; carni illita uitiliginẽ albã creat. Deniq; serosa corporis substãtia, cuiusmodi aliàs lotijs, aliàs sudoribus excidere solet, in corporis habitu si putris subsistit, febrẽ quotidianã: sin nõ putris, leucophlegmatiã, siue anasarcã, ac hydropa per uniuersum corpus diffusam generat. In cute uerò modò pustulas, modò pruritũ, eo perũcaciorẽ, quo in carnẽ altius cõsederit, aut crassior fuerit. Cæterùm ut brumæ frigus suo foris contactu cutem contrahit,

densat,

denſat, ſtipat que, & humores omnes intrò pellit, cogitq; : ita uer ſua clementia & ſuaui ac dulci calore cutem corpusq; totum aperit, & quaſi è carceribus humores euocat, & ad ſe foràs elicit, præcipueq; omnium ſanguinem, qualicunq; eum demum humore alio imbutam repererit. Vnde ſicubi pars ulla eximiè imbecilla eſt, tumor protinus in ea pro humoris natura enaſcitur: ſin totum uincitur corpus, febris, aut quicquid cunctũ corpus afficiat, incenditur, non ueris profectò malignitate aut uiolentia: ſed eo, quodcũq; infirmiſsimum eſt, motioni illi, & tanquã tempeſtati ſuccumbente. Hippocrates libro de Aere, aquis & locis appellato: Vnà, inquit, cum temporibus uentres in hominibus commutantur. At uere, quod libro de Natura humana docet, ſanguis ſummè affluit, æſtate bilis flaua, autumno atra, hyeme pituita: eoq; iis temporibus, qualia ex quoq; genere produci maximè & conſueuerunt, & oſtendimus, ebulliunt: ſi non uictus antecedentis præſentisq;, & corporis natura exercitijq; ratio aliud effecerit. Nec uerò inflammatio ſolum, quocũq; ſanguis appulerit, nominatur: ſed cerebri phrenitis eſt, aut deliriũ, gutturis angina, gurgulionis uua, coſtas ſubcingentis mẽbranæ pleuritis, pulmonis peripneumonia, oculorum ophthalmia atq; lippitudo, glandularum phyma, artuum pedum podagra, manuũ chiragra, omnium in toto corpore arthritis. Similiterq; atra bilis in cerebro melancholiã, eademq; aut pituita uel epilepſiam, uel apoplexiam, uel coma, uel cataphoram, uel lethargũ, pro copiæ ac decubitus humoris ratione efficit. Eademq; aliis locis ac ſedibus, quomodo & reliqui humores, aliã uim & appellationẽ ſortitur. A B

Ergo tum lippitudines.) Hippocrates 3. Aphoriſ. 20. Ἢ μὲν ἦρ τὰ μανικὰ, καὶ τὰ μελαγχολικὰ, καὶ τὰ ὠλιγοπληικὰ, καὶ αἵματος ῥύσιος, καὶ ἀναγχαι, καὶ κόρυζαι, καὶ βράγχοι, καὶ λέπραι, καὶ βῆχες, καὶ λειχῆνες, καὶ ἄλφοι, καὶ ἐξανθήσιες ἐλκωδέες πλεῖστα, καὶ φύματα καὶ ἀφθαλμικὰ. id eſt: Vere inſaniæ, & biles atræ, & morbi comitiales, & ſanguinis fluxiones, & anginæ, & grauedines, & raucitates, & tuſſes, & lepræ, & impetigines, & alphi; & puſtulæ ulceroſæ plurimæ, & tubercula, & morbi articulares proueniunt. Hippocrates neq; lippitudinũ meminit, neque abſceſſuum corporis, quæ ἀποστήματα Græci uocant: niſi hæc in φυμάτων uoce comprehendi putemus. Cum phyma propriè inflammatio quædam glandularum ſit, quę citò augetur, & ad ſuppurationem accelerat, id quod Celſo alicubi tuberculum dicitur. Apoſtemata, ſiue abſceſſus, quũ materia, quæcunq; tumorem excitat, extra muſculi carnem propulſa, à ſubiectis continentia ſeparat ac diducit: cauoq; ſpacio in medio relicto & ſubſtantiam quampiam uel ſpiritalem, uel humidam, uel ex utriſq; mixtã comprehendente, quæ mox temporis diuturnitate, plerunq; in uarias ac multiplices res commutatur: uulgus exituram nominat. Celſus è diuerſo neq; tuſsium, neque leprarum, neque impetiginum, neq; alphorum mentionem ullam facit: ut neuter omnia enumeraſſe uitia, quæ humorũ motu concitantur, nec uerò uterq; alterius omnia dixiſſe uideatur. Verùm ita, ut exemplis rurſus utriuſq; omnia utriq; dicta eſſe facilè cognoſcantur. Nam ſi inſaniam uer, aut anginam adfert, cur non & lippitudinẽ, & phrenitim, & pleuritidẽ, & inflammationẽ quamlibet, & ſtultitiam quoq;, & amentiam, & delirium conciliet? Rurſus ſi puſtulas, ſi abſceſſus, ſi articulorũ cruciatus creat, quare non cutis etiam illa uitia, alphos, uitiligines, lepras pariat? Si raucitatem, cur non & raucitatis parentẽ deſtillationẽ? ſi hanc, quamobrẽ nõ prolem? maximè quũ Celſus etiã dixerit: Vere quæcũq; humoris motu nouantur, in metu eſſe: generatim certè hic omnia quæ dici poterant cõplexus, id quod ſtatim exemplis, nõ omnibus quidem, quod longũ ac ſuperuacaneũ fuiſſet, ne dicã etiam ineptũ, ac faſtidij plenũ, ſed paucis, ſed aptis, ſed ſufficientibus illuſtrans: niſi fortaſsis Hippocrates pleriſq; omiſsis, quæ addi poterant, ueniam mereſ, quæ eodẽ modo delinquẽti Celſo denegabitur. Quam ego nũc defenſionẽ ſemel hoc loco neceſſariã, infinitis alijs ualere, ac multo ſæpe etiã C

magis

A magis censeo debere. Porrò lippitudo sic oculi est inflāmatio, uti est angina gutturis: utraq; sanguinis illuc cōmoti, sicut est omnis inflāmatio, soboles. Bilis autem atra humoris eius, unde in cerebro generatur, suo nomine indicium facit: qui si frigidus est & feculentus, terroris, metus, odij, tristitiæ, ac pertinacium & sæpe ridicularum imaginationū plenam melancholiam adfert: sin ille calidus est & retorridus, θηριώδης atq; immanis, planeq; & delira & phrenetica capitis affectio producitur. Insania si ferox est, bilis: si mitior, sanguinis in capite uitio, fit atq; inflāmatione. Morbus comitialis, qui & Sacer, & Herculeus, & Magnus, & Lunaticus, & Brutus, & infantilis dicitur, existit melancholico aut pituitoso humore in uentriculorū cerebri, uel medij, uel postremi meatus illabente, è quibus naturæ ui protinus expellitur. Grauedo humoris à capite, defluxione in nares fit. Quæ si in asperam arteriam concideret, raucedo: si in pulmonem, tussis: si in os, iam destillatio uocaretur. Morbi articulorū sunt, podagra, chiragra, gonagra, arthritis, ischias: qui omnes & earum partium debilitate, & humorum redundantium collapsu oriuntur: & elapsu, uiribus q; redintegratis, intereunt.

Hi quoq; morbi qui in articulis.) Hippocr. 6. Aph. 55. τὰ ποδαγρικὰ καὶ τὰ ἦρος, καὶ τὰ φθινοπώρου γίνεται ὡς ἐπὶ τὸ πολύ. id est, Podagricæ affectiones uere & autumno magna ex parte cōcitantur. Breuius Hippocrates, angustiusq; prolixius
B eandem sententiam ac plenius Celsus protulit. Pedum ille, hic articulorum: ille neq; neruorum neq; interstitiorum, hic amborum non sine causa meminit. Nam & cæterorum artuum iuxta ac pedum cruciatus per uer & inclinatam hyemem recursare consueuerunt, & neruorum quoq; tormenta, atq; eorum interuallorum quæ inter articulos cōtinentur, increscere solent. Conuulsiones, distentiones, tremores, certa membra repetere cernuntur. Adde huc, podagricos esse dolores quosdam, atq; adeò neruorum etiam, qui nunquam dimittant, & esse per autumnum aut ineunte hyeme aliâsq; excitatos qui totam uitam infestent. Rursusq; hoc mihi considerato, non uerno tempore solum inchoare quæ diximus: sed æquè etiā quouis tempore, pro corporis subiecti humorumq; quibus premitur ratione semel iterūq; ac sæpius recurrere, uarieq; nunc mitius, nunc atrocius, modò longius, modò breuius cruciare & desinere. Vt sit quod uterq; alteri attulisse uideatur, & utriusque nos amplectamur omnia.

At æstas non uacat quidem.) Hipocr. 3. Aph. 21. τὰ δὲ θέρεος φύσεται τοῖσιν, καὶ πυρετοὶ ξυνεχέες, καῦσοι, καὶ τριταῖοι πλεῖστοι, καὶ τεταρταῖοι, καὶ ἔμετοι, καὶ διάῤῥοιαι, καὶ ὀφθαλμίαι, καὶ ὠτῶν πόνοι, καὶ σωμάτων ἕλκωσιες, καὶ σπιλίδες αἰδοίων, καὶ ἕδρωτες. id est, Aestate uerò & plerisq; istorum, & febres continuæ, & ardentes, & tertianæ plurimæ, & quartanæ, & uomitus, & aluí profluuia, & lippitudines, & aurium dolores, & oris exulcerationes, & pudendorū putredines, & sudorum
C papulæ. Nam quæ ueri congruunt, æstatis initio, quod ueri & loco & natura proximum est, conuenire par est. Et fieri potest, ut media æstas uernū aliquid referat: & quę uere futura erant, ut aliqua de causa in æstatē producantur. Vt si brumale uer accidat, aut uictu, aut loci natura uitium erupturū in æstatem coerceatur: febres continuæ humoribus ac causis intra uenas arteriasq; putrefactis oriuntur. Ardentes è bile similiter ijsdem locis succensa nascuntur. Nam si extra uasa id illa patiat, iam tertiana & interpolata efficitur. Bilis itaq; quum per æstatē summè redundet, nihil miri uideri debet, si quæ modò dixi in humanis corporibus excitet. Quartanas Celsus in autumnū, nō nullo iudicio consilioq;, nec malè relegauit. Nam & rariusculè hic fiunt, & factæ breui finiuntur: fiunt nihilominus tamen. Vomitus autē bile uentriculi orificiū sollicitante, & aluí deiectiones eâdem intestina corrodente euenire frequens est. At lippitudines quas Celsus hinc in uernum tempus transtulit, ut ibi reliquis inflammationibus conuenienter adijciuntur, sic bilis pūctura calidiq; sanguinis ustione iam commoueri possunt: quanquam

aures magis ea tentare solent, quòd per eas natura bilem cuncti capitis ex- A
purgare docta est. Quarũ idcirco sordes amarescere rectum est, quemadmo
dum dulcescere summè malum. Celsus quoq; auriculas appellare non dubi-
tauit, utcunq; eas grammatici quidam mutorum tantum animantium, ut au
res hominum esse, nullo iure statuerunt: sequuntur deinde oris ulcera, quæ
è stomachi bile atq; aliarum quoq; partiũ frequenter accidunt. Verùm can-
cros, nescio quo iudicio pro putredine posuit, quum neq; obscœnarum par
tium omnis putredo protinus cancer sit, neq; cancer omnis putrefactionem
cõiunctam habeat. Et si quando fortasis habet, iam saniem quouis ueneno
uirulentiorem, & longè lateq; sic depascentem omnia, atq; absumentem, ut
nulla arte compesci aut cicurari queat, fœdissimè eructat. Quocirca ut æsta-
te ac maximè autumno cancros tum alibi in partibus nõ pudendis, tum his
quoq; obscœnis euenire non negauerim: sic putredinem sæpius in ijsdem
accidere sine cãcris seu occultis, seu exulceratis existimauerim: fit enim can
cer ex humore melancholico, & tanquam sanguinis fece crassissima, quæ
autumno plurima est, uti est æstate bilis feruentissima: sic ut æstate ferocis-
simos nasci, & autumno plurimos ac pertinacissimos, rationi cõsentaneum
sit, maximè si cui tum marisearum purgatio pariter intercepta sit: sunt tamẽ
omnino crudelissimi, qui à bile adusta originem trahunt, quæ desinente æ-
state æquè ac autumno plurima habetur. Putredo porrò non solum exulce- B
rantes cancros et alia similiter includere potest: sed & mitioribus initijs oriri
illis ipsis in partibus sæpe solet. Quomodo hydroa, sudorumq; papulæ mul-
tis sudoribus uel bilio sis, uel mordacibus genitæ, nullo præsidio adhibito,
candidis squamulis tantum relictis, in pueris maximè & iuuenibus per se e-
uanescere conspiciuntur. Celsus postremò obscura periphrasi non tam hy-
droa papulasq; circuire, quàm ea omnia quæ sudore copioso excitato cor-
pora humana resoluunt, designare uoluisse uidetur, non sanè exercitia, labo
res, amictus, stragula, quæ hoc maximè tempore plurimum sudoris elicere
consueuisse nemo est qui inficiabitur, sed certas affectiones quæ sudore plu
rimo siue inchoent, siue desinant, hominem mirum in modum infirmant.

Vix quicquam ex his.) Hippocrates 3. Aphoris. 22. Τὰ δὲ φθινοπώρου καὶ τῶν θε-
ινῶν τὰ πολλὰ, καὶ πυρετοὶ τεταρταῖοι, καὶ πλανῆται, καὶ σπλῆνες, καὶ ὑδρωπες, καὶ
φθίσιες, καὶ στραγγουρίαι, καὶ λιγνυρίαι, καὶ δυσεντερίαι, καὶ ἰσχιάδες, καὶ διαλύγχαι,
καὶ ἄδηματα, καὶ ἐπιλήψιες, καὶ ὠπληξίαι, καὶ τὰ μανικὰ, καὶ τὰ μελαγχολικά. hoc est:
Autumno uerò æstiui quoq; multi fiunt morbi, & febres quartanæ, & erra-
ticæ, & lienes magni, & hydropes, & tabes, & urinæ stillicidia, & intestino-
rum læuitates, & dysenteriæ, & coxendices, & anginæ, & anhelationes, &
uoluuli, & comitiales morbi, & insaniæ, & atræ biles. Cur autumnus sit æ-
stiualium ægrotationum particeps, & ipsius quoque uitiorum insequens
hyems, ex ijs quæ paulo suprà docui, cognosci licet. Quo enim modo ac no- C
mine uernis æstas morbis contaminatur, eodẽ penitus pacto pars anni con
sequens omnis, antecedentis ualetudine laborat: febres autem incertas tem
poris inconstantia parit, de qua suprà proditum est. At lienis tum dolor, tum
tumor fit, ex humore eius melancholico, huic tempori unicè accommoda-
to, & iam, si quando aliàs, in animantibus plurimo. Tabes ab exulceratione
pulmonis, & acribus humoribus illum erodentibus existit, quos autumnus
partim ab æstate, partim à sua ui & intemperie accipit. Vrinæ difficultas (sic
enim Celsus στραγγουρίαν non hoc tantum loco peruertit) ab acribus item &
mordacibus humoribus assiduè uesicam iritantibus, aut eius certè impoten
tia, quam aeris incertitudo maliciaq; conciliat, generatur. Tenuioris autem
intestini morbus Latinè uoluulus, Græcè ἐιλεὸς nominatur. Est enim εἰλεῖσθαι,
circumuolui. Præceps in hoc & uitæ mirè uiolenta noxa excitatur. Liente-
ria escarum potionumq; incontinentia est, quum protinus, quemadmodum
quæq; res assumpta est, per aluum reijcitur. Coxæ dolores coxendices, par-
tis quæ

A tis quæ affligitur nomine etiam appellamus. Atque hæc omnia uitia, cæteraq; consimilia, uel temporis huius imparitate orta homines fatigant, uel humoribus iam retrò, contrà atque uere fit, ui frigoris repulsis exiliunt: facit enim subita ea dimotio, ut & uernæ rursus ægritudines propè omnes, & quæcunque uel adustis, uel è crassis proferuntur humoribus, iam ualde corripiant: ut sunt comitiales & articulorum morbi, ut insaniæ, ut atræ biles: quos nihil mirarer à Celso omissos esse, quippe præter comitiales, ueris quoque comites uernos magis, si dysenteriæ duntaxat & asthmatis commeminisset: quum illa ab retorridis atq; mordacibus humoribus, iam nunc præteriti temporis uel maximè progeneretur: & hoc ab humorum crassorum in pulmonem coactorum multitudine producatur. Sed noluit Celsus superstitiosè omnia quæ fierent, aut Hippocrates tradidisset, percensere: summam perniciem ac pestilentiam huius temporis, cuius antè causam tradiderat, aliquot exemplis aperuisse contentus. Nullo enim tempore plures mortales opprimuntur morbis, nouis, ueteribus, lentis, acutis: nullo tempore latius atrociusq; grassatur pestilentia, nullo tempore implicantur homines, si hyemem solum excipias, ægritudinibus peruicacioribus. Neque enim quartanæ modò, quæ nunc inuadunt, quàm æstiuæ, longiores sunt: sed & cuncti morbi, cuiuscunque demum illi generis sunt, longius
B protrahuntur.

Hyems autem.) 3. Aphoris. 23. Hippocrates, Τὸν δὲ χειμῶνα πλευρίτιδες, περιπνευμονίαι, κῶμοι, λήθαργοι, βράγχοι, βῆχες, πόνοι κεφαλῆς, πόνοι πλευρέων, ὀσφύος, λαγόνων, φαλαγγίαι, ἴλιγγοι, ἀποπληξίαι. id est, Hyeme uerò pleuritides, peripneumoniæ, lethargi, grauedines, raucitates, tusses, dolores pectorum, laterum, lumborum, capitis, uertigines, apoplexiæ: haud facilè dixerim, utrum Hippocrates ne, an Celsus plura complexus sit. Numero uincit Hippocrates: Celsus grauitate præponderat. Celsus nihil alibi dictum repetit: facit id non hoc tantum loco, ac rectissimè Hippocrates. Viscerum aut faucium in Hippocrate nullum factum uerbum est: Pectorum aut grauedinis in Celso quoque nullum. Nam lethargum, uertigines, apoplexias, capitis doloribus subijcere licebit. Et ad tussim, raucitatē referre, ac peripneumonias quoq;, licitum erit: quemadmodum sub laterum dolore pleuritidem & lumborum tormenta complecti, absurdum ualde non erit. Quæ si quis ita parum probabit, uitia certè utriusque omnia uel frigori brumali, uel humori imputari poterunt ac debebunt: quomodo & si quæ sunt, quæ neuter annumerauerit, consimilia.

Ex tempestatibus aquilo.) Tempestas hoc loco idem ualet ac efficit, quod uentus ac cœli ratio, ex effectu causa ut declaretur. Hippocrates eandem sententiam 3. Aphoris. 5. his uerbis expresit: αὖ δὲ βορέιοι ἦ, βῆχες, φαρυγγῖτες, κοιλίαι σκληραί, δυσουρίαι, φρενῖτιδες, ὀδυνίαι πλευρέων, σύνθεσις, ὁκόταν ὅτε καὶ δυνάσθαι, τοιαῦτα ἐν τῇσιν ἀρρωστίῃσι προσδέχεσθαι χρή. id est, At si aquilonia fuerit constitutio (aeris) tussis, faucium affectiones, aluí duræ, urinæ difficultates, horrores, costarum dolores ac pectoris: si quando hæc dominatur, eiusmodi in morbis expectare oportet. Et 3. Aphoris. 17. αἱ καθημερὴν κατάστασις, αἱ μετὰ βορέιοι τὰ σώματα ξηραίνουσι, καὶ εὔτονα, καὶ εὐκίνητα, καὶ εὔχροα, καὶ εὐηκοώτερα ποιέουσι, καὶ τὰς κοιλίας ξηραίνουσι, καὶ τὰ ὄμματα δάκνουσι, καὶ περὶ τὸ θώρηκα ἄλγημα, ἢν τι προσπέσῃ μᾶλλον πονέουσιν. hoc est: Quotidianæ constitutiones aquilonares corpora quidem condensant, & robusta, & ad facilem motionem idonea, & bene colorata, & meliore auditu prædita reddunt, & uentres resiccant, & oculos mordent, & circa thoracem si quis antè dolor fuerit, magis intendunt. Celsus ea quæ recenset, aquiloni asscribit. Hippocrates non protinus aquilonibus, seu boreis spirantibus, superiora quæ enumerat, euenire docet: sed altero loco, si multis illi continuò diebus: altero, quod idem ualet,

si quàm cæteri uenti crebrius ualidiusq; ac diuturnius spirauerint, quæcunque enumerat accidere, significat. Nam si quę usquã aliis tum anni partibus omnibus, tum uentis cœliq; constitutioni tribuuntur, ea in ipsis tum solum, si & indolem natiuam & temperiẽ retineant, & perpetua temporis amplaq; spacia possideant, oriri intelliguntur. Nec enim una hirundo, nec uernus dies unus uer facit: nec borealis dies unicus, aut rarus, aut inualidus, aquiloniam constitutionem parit: sed tum hirundines multæ, tum dies uerni plurimi, tum boreales uenti assidui, firmiq;, primùm cõstitutiones suas, tum quæcunque eas sequi traduntur, efficiunt. Aquilo sanè, quæ diximus omnia, penetrabili quadam pernicitate, & horrifero suo frigore, & siccitate bene mordaci, non aerem solum, sed & corpora humana serenat, cogit, premit, arefacit, urit, exest, pungit: præcipuéque eas ipsorum partes, quæ uel frigidæ sunt ipsæ quoque, ut sunt pectus, costæ, uentres: uel teneræ, ut oculi, fauces, latera. Celsus quæ in Hippocrate de robore, de meliore auditu, de suaui colore memorantur, expeditiore omnia corpore comprehendisse uidetur. Oculos quo alio nomine præteritos dicam, quàm quo multa passim relicta additaq; suprà defendimus, non habeo. Id iure miretur quispiam, primùm in autumno stranguriam, urinæ difficultatem uersam esse, quum uel uocabuli sola compositione stillicidium urinæ efficere & declarare intelligi poterat: deinde hoc loco dysuriam, urinæ suppressionem reddi, quæ difficultatem notari uel prima uerbi fronte, si quis modò paulùm Græcè sciret, admonuerat. Ischuria enim est, quum lotium supprimitur: Dysuria, quum magna ui & dolore redditur. Minus autem graue putari potest, quod dolores lateris, quibus ferè Græcorum pleuritidem Latinè significamus, pro costarum doloribus posuerit: quum priores Hippocrates, & quicunque eum secuti sunt, πλευρίτιδ& uocabulo, si qua duntaxat inflammatio commenta sit, posteriores sine hac πλευρίτιδ ὠδυνίας appellare solitus sit.

Auster aures hebetet.) Hippocrates 3. Aphoris. 5. Νότοι βαρυήκοοι, ἀχλυώδεες, καρηβαρικοί, νωθροί, διαλυτικοί, ὁκόταν ἔτ& δυνατὸν, τοιαῦτα ἐν τῇσιν ἀῤῥωστίῃσι πάσχουσιν. id est, Austri auditum grauant, caliginem obducunt, caput grauant, torpidos reddunt, & uires resoluunt. Eiusmodi in ualetudine aduersa mortales patiuntur, si quando illi diuturniore tempore durauerint. Ac rursus 3. Aphoris. 17. αἱ νότοι διαλύουσι τὰ σώματα, καὶ ὑγραίνουσι, καὶ βαρυηκοίας, καὶ καρηβαρίας, καὶ ἀλίγγους ποιέουσιν: ἐν δὲ τοῖσιν ὀφθαλμοῖσι, καὶ τοῖσι σώμασι δυσκινησίλυσι, καὶ τὰς κοιλίας ὑγραίνουσι. quæ ita uertas licebit: Austri corpora dissoluunt, & humectant, & grauem auditum, ac capitis grauitatem, & uertigines faciunt. In oculis autem, & corporibus ægrum motum, & uentres aluumq; humectant: fiunt hæc austrorum pessima illa intemperie, quæ res omnes hebetat & obtundit, & pestilentia quadam imbuit. Quoniam nec uentus est alius impurior, nec pernicioſior, ob humorem, quem habet cum calore consociatum. Damnatus idcirco non Physicis tantum, qui rerum naturas causasq; inquirunt, sed & sapientia & eruditione ulla præclaris omnibus. Celsus autem hic quoq; mutauit quædam: at prætermisit nihil. Aures siquidem hebetari, synechdochicõs ex re continente aut instrumento rem siue contentam, siue agentem intelligendo, aliud est nihil, quàm auditum uel grauari, uel obtundi: similiterq; sensus tardari, an est obsecro aliud, atque torpidos eosdem reddi? nisi quod in Hippocrate aliquanto id latius patet, dum ad totum ille hominem torporem accommodauit. Rursus capitis dolores moueri, est fateor non planè idem quod caput grauari, aut uertigines cieri, sed sunt tamen hæc ipsa cognata. Et qua figura ex parte totũ iam paulo antè designauit, eadem nunc ex genere formam, & ex uicino iam rem uicinã significat. Est enim grauitas doloris species quædam: & uertigines grauitatis ferè affines sunt. Iam uerò aluum solui, quantulum quæso ab eadem humectata

A ctata discrepat? ex consequente, eodem quem modò dixi tropo, si rem antecedentem capias: quæ forma loquendi nec inuenusta est, nec infrequens. Cæterùm uitia reliqua, non modò quę Hippocrates numerando percenset, uerumetiam quæcunque ijs sunt similia, pulchrè tanquam unum in fascem colligit, dum corpus totum austris hebes effici, & humidum & languidum dicit. Pariter ijs et causam potiorem, quippe humorē nimium, & fermè quic quid is apportat mali, complexus. Vides enim hic principiò caliginem oculorum, uides deinde & corporis exolutionem atque humectationem, uides mox oculorum totiusq; corporis ęgram motionem, neutiquam obscurè includi: præterquam si caligo hebetudo quædam dici haud potest, aut nisi exolutio ægraq; dimotio languor quispiam non est. Nam humido certè ambo congruunt.

Cæteri uenti quo uel.) Aquilo uicinos habet Circiū ac Cæciam, Noortoost & Noortuuest. Auster Euronotum, Zuytoost: & Libonotū, Zuytuuest utrinq; habet. In medio amborū ex diametro Subsolanus & Fauonius positi sunt. Ille cum ijs qui aquilonem cingūt, siccitatis aquilonaris: & cum ijs qui austrum circumstant, caloris austrini particeps est: hic item ac aquilonaris turba frigore boreali riget, & similiter atq; austrina cohors australi humiditate madet. Quos octo mihi in pręsentia numerasse sufficit: quum Homerus
B & uetustissimi quiq; quatuor modò ex ęquo inuicem distantes agnouerint, & notent hodie nautæ alij duplo, alij triplo plures. Nam quaq; cœli parte uentos nasci & spirare posse, constat. Verùm quatuor illorū principū temperatione cognita, omniū ratio, quo propius longiusq; absunt, facilis habetur.

Deniq; omnis calor.) Hippocrates eandem sententiā 5. Aphor. 16. sic expressit: ὃ θερμὸν βλάπτει τοῦτο ὅσοι πλυνάκις χρεομένοισι, ἰσχνῶν ἐκθήλυνσιν, νοὺσῶν ἀπράτειαν, γνώμης ναρκώσιν, ἀμορβαγίας, λειποθυμίας. τοῦτο ὅσοι, θάνατον. id est: Calida ijs qui frequenter ipsa utuntur, has noxas inducit, carnium effœminationem, neruorum impotentiam, mentis stuporem, sanguinis eruptiones, animi deliquia: hæc quibus, mors. In Celso pleraque hoc loco deesse, aut certè quædam potius deprauata subesse, uehemens mihi suspicio est. Nam deesse primùm ὃ Deniq;, quod pleriscq; alijs antè enumeratis subijci tantum solet denotat: calor autē quid aliàs efficeret, nihil prægressum est. Truncum dein de quid subesse clamitant, quæ ad plenam Hippocratis sententiam desunt, præsertim quum ea quæ pręterita sunt, talia non sint, nec ea cognatione conIuncta, ut è positis facilè intelligi queant. Quoniam quid neruorum impotentia, aut carnis mollicies atq; effœminatio, quæ sunt hic omissa, cum mentis stupore, aut eruptione sanguinis, quę sunt expressa, commune habēt? At deprauatum atq; corruptum quippiam esse subindicant, quæ de iecore & liene, nescio quo pacto attexta sunt. Causam siquidem nullā uideo, nec ue-
C rò ullam esse puto, quamobrem iecur aut lienem calore inflammari dicat, aliaq; non dicat. An non & uentriculus calore inflammatur? an non & caput quàm illa procliuius? An non his omnibus tum pulmo, tum cor, non modò spiratione, sed et arteriarum micatione promptius, ut sumendas res atq; admouendas omnibus communes taceam, non ne & crebrius inflammantur? An deniq; calor omnis, quod hoc loco significatur, uel iecur, uel lienem accendit? Vanum nimirum hoc ipsum est, nec ratione fulciuntur cætera. Quare mendam apertè clareq; agnosco, medelam uerò nusquam circumspicio: neq; Hippocrates, circumactis oculis ubi omnia perlustro, huic uulneri curationē ullam, quā equidē agnoscā, suppeditat. Eamq; ob rem pro saucia ego libēs hac parte, sanam Hippocratis sententiā uel ex Aphorismis, quam modò diximus, uel ex Liquidorū lib. tantisper substituā, donec sit qui Achilleo huic uitio integritatē inuenerit. Præstat aūt calor plerunq; quę enumeraUimus, quia (ut de Valetudine tuenda libro docui) laxat, exoluit, emollit

carnem, neruos, cerebrum, uenas, spiritus. Etsi ista in aquam calidam A
ac tepidam temperatamq; propriè, non in calorem omnem, quomodo Cel-
sus docet, competunt.

Frigus modò neruorum distentionem.) Hippocrates 5. Aphoris. 17. τὸ ψυχρὸν, inquit, σπασμὸς, τετάνος, μελασμὸς, καὶ ῥίγια πυρετώδεα. hoc est, Frigida conuulsiones, distentiones, denigrationes, rigores febriles adfert. Vel hic locus Celsi summa & propè inusitata fide partes omnes Aphorismi Hippocratici continens, euidenti firmóque indicio & testimonio sit, superiorem similiter ad Hippocratis uerba fuisse recurandam: quando, ut hic è quinto illo Aphorismorum libro omnis sententia citra corporis humani ullarum partiũ mentionem petita est, ita illam fuisse capiendam, & in archetypo fuisse ab authore scriptam, maximè quum & contrariæ oppositæq; sententiæ sint, & ab eodem authore, eodemq; continuò ex loco translatæ, probabile penitusq; certum sit. Illud annotandum duxi, in Celso τέτανον, hoc est, erectam distentionem, ubi ex æquo antrorsum retrorsumq; homo conuellitur, rigorem dici, quo tamen nomine Græcorum ῥίγος propius clariusq; ab alijs reddi solet. Nam quod horrorem hic substituit, quo nomine superius quoque τὸ φρικῶδες aptè conuertit, res duas diuersissimas simplici uocabulo, maximo sententiæ & claritatis damno confudit. Illud minus mali habet, quod μελασμὸς non denigrationes tantum interpretatus est, quod uox nuda postu- B
larat, nulla quidem ueri iactura: sed tantum angustius, in ulceribus nigriciem dixit. Scimus enim, frigore compluria primùm liuescere, mox etiam nigrescere, nullo sanè ulcere affecta: & ulceribus tamen idipsum quoque usuuenire, ut frigore non solum commordeantur, aut cutis ut obduretur, aut dolor non suppurabilis reddatur, sed ut etiam denigrentur: quod 5. Aphoris. 20. docet Hippocrates. Nec interim docet, quod noster tradit, frigida rigorem in febribus excitari: sed ab ea duntaxat febrili rigori similem affectionem moueri. Non quin à frigore ingenti rigor in febribus plerunque accidat, sed quòd & ab acri calore idem euenire queat. Verùm imposuit Celso τὸ θερμὸν, καὶ τὸ ψυχρὸν, quæ non ad substantiam atque elementum, ut debuerat, sed ad qualitatem, ac frigoris caloris q; rationem retulit. Ex quo ea huc, quum de siccitate & madore, quid efficerent, sermonem pararet, aliunde ex Hippocrate reuocanda existimauit.

In siccitatibus acutæ febres.) 3. Aphoris. 16. Hippocrates: ἐν τοῖσιν αὐχμοῖσι φθινάδες, ὀφθαλμίαι, ἀρθρίτιδες, στραγγουρίαι, καὶ δυσεντερίαι. id est, In siccitatibus tabes, lippitudines, arthritides, stillicidia urinæ & dysenteriæ. Idemq; rursus 3. Aphoris. 7. ἐν τοῖσι αὐχμοῖσι πυρετοὶ ὀξέες γίνονται: καὶ ἢν μὲν ὑδατωδέστερον ᾖ τὸ ἔτος τοιοῦτον ἐὸν, οἷόν τὴν κατάστασιν ἐποίησεν ὡς, ὑδὴ πολὺ καὶ τὰ νοσήματα τοιαῦτα δεῖ πεφυλάχθαι. id est: In siccitatibus febres acutæ contingunt. Et siquidem annus magna ex parte talis fuerit, qualemcunque fecerit constitutionem, C
tales etiam morbos plerunque expectare decet. Celsus utranque sententiam ad siccitates collegit, ac solas tabes silentio præteriit, fortassis quòd pulmonum exulcerationi, unde tabes propriè nominata nascitur, siccitatem ac puritatem aeris summè opitulari animaduerteret. Quare & ex Italia ac Roma modò in Libyam, modò ad Tabias deportari tabidos medici consultissimi imperauerunt. Verùm Hippocrates etiam tabem esse nonnunquam citra exulcerationem, cui diuturna aridítas maximè esset infesta, cognouerat: sicut lippitudinem quoque quandam esse siccam, & artuum aliquando dolores ab acrimonia humorũ genitos, quibus arida aduersa, humida q; salutaria esse, ratione & usu compererat. Tormina autem pro dysenterijs, hoc est, intestinorum ulcerationibus, & urinæ difficultates pro stranguria pro, suo omnino more Celsus interpretatus est. Cæterùm ex anni constitutionibus, ut in summa id dicam, siccitates assiduis imbribus

semper

A semper sunt salubriores, minusq; lethales, ut 3. Aph. 15. habet Hippocrates.

Per imbres longæ febres.) Νοσήματα, ut 3 Aphoris. 16. legimus, ἐν μετὰ τῶν ἐπομβρίων, ὡς τὰ πολλὰ γίνεται πυρετοί τε μακροὶ, καὶ κοιλίης ῥύσιος, καὶ συμπεσόντος, καὶ ἐπίληπτοι, καὶ ἀποπληκτοι, καὶ κυνάγχαι. id est, Morbi per assiduos imbres bona ex parte fiunt, febres longæ, aluí deiectiones, & putredines, & comitiales, & siderationes, & anginæ. Hippocrates nec superiore in sententia, nec ista, hos morbos semper fieri per imbres dixit, sed bona duntaxat ex parte. Quia & alij quoque accidere possunt, & isti non euenire: febres acutæ ut materia constant arida, calidáque, qua & breues, & sæuis accidentibus truculentæ fiunt: sic longæ humida materia & è frigida oriuntur, qua lentius desinunt, languidiusq; afficiunt. Celsus hoc loco, item ac suprà fecit, pro putredinibus cancros reddidit: qui ferè tam humoribus adiuuantur, quàm putredines ab ijsdem exacerbantur. Iterumq; ne omnia Hippocratis referret, & aliquid de suo attexeret, pro siderationibus siue apoplexijs, neruorum resolutionẽ, quam Græci paralysin appellant, reposuit: quæ etsi causa quidem communi unde fiant congruunt, tamen grauitate & magnitudine plurimum dissentiunt: fit siquidem apoplexia è frigidis & crassis uiscidisq; humoribus, principes cerebri uentriculos totos atq; affatim replentibus: unde sensus protinus omnis ac motus cuncti corporis adimitur. Para-
B lysis uerò fit, ubi alter tantũ uentriculus, uel dexter, uel sinister, idem uitium patitur, ex quo deinde dimidium solum ad unguẽ corporis sub idem latus simili calamitate percellitur. Quanquã & resolutio uniùs alicuius membri, pro neruorum uariorum aut musculorum uitio existere sæpenumero consueuit: de quali Celsus loqui duntaxat hoc loco, & aliàs sæpe, ubi pro apoplexia paralysin substituit, non uidetur.

Nec solum interest.) Præteritionem id oratores uocant, qua breuiter & quid dictum sit repetunt, & quid dicendum ostendunt. Dixit enim hactenus, quid quisq; uentus, quid tempestas omnis, quid aeris unaquęq; ratio in præsentia adferret. Nunc quid alia alijs antecedentibus & insequentibus pariant, docebit: faciunt autem talia ad memoriam, & ad beneuolentiam comparandam.

Si hyems sicca septentrionales uentos habet.) Hippocrates 3. Aphoris. 11. περὶ δὲ τῶν ὡρέων, ἢν μὲν ὁ χειμὼν αὐχμηρὸς, καὶ βορέη θηρεύηται, ἢν δὲ ἔαρ ἐπομβρον, καὶ νοτίου, ἀνάγκη θέρεϊ πυρετοὺς ὀξέας, καὶ ὀφθαλμίας, καὶ δυσεντερίας γίνεσθαι, μάλιστα τῇσι γυναιξὶ, καὶ ἀνδράσι τοῖσιν ὑγροῖσι τὰς φύσιας. id est, De temporibus, siquidem hyems sicca & aquilonia fuerit, uer autem pluuiosum & australe, necessarium est sub æstatem febres acutas, & lippitudines, & dysenterias fieri, maximè mulieribus & uiris natura humidioribus: hyems optimà mediocriter humida, & opportuno frigore, nec ingẽti, nec immoderato prædita sit opor-
C tet. Vtí & uer, & æstas, suas, atq; tempestiuas quoque pluuias desiderant. Quamobrem si hyems plus iusto sicca sit & frigida, & uer deinde æquo pluuiosius, ægritudines eæ quas modò enumerauimus, æstate subeunt: sic enim in Celso, pro eo quod habent exemplaria typis excusa τὸ ferè, legerimt nisi si quis pro ἀνάγκη, quam addit Hippocrates, seruandum existimet. Celsus febres tantum dicit, neque acutas addit: forsitan quòd ueris ratione putaret longas quoque euenire posse. Nam quòd molliora corpora pro uiris humidioribus substituit, planè tolerabile est. Porrò Hippocrates libro eo quem de Aere, aquis, & locis uocant, causam omnẽ in uernas pluuias & repentinum ac duplicatum solis & æstatis æstum confert: adijcitq;, Et si quidem circa canis exortum accidat aqua ac tempestas, & Eteſiæ spirauerint, spes est cessationis, & fore ut autumnus salubris subeat: sin minus, in metu futuri sunt & pueri & mulieres ne moriantur, minimeque omnium senes, & illorum si qui euadent, periculum erit ne in quartanas incidant, & ab his in hydropas.

Si uerò

Si uerò austri pluuiæq; hyemem.) Hippocrates 3. Aphor. 12. ἢν δὲ νότιος ὁ χειμὼν καὶ ἔπομβρος καὶ ἡ βύρσα γρύπται, ὁκόσοι δὲ ἔαρ αὐχμηρὸν καὶ βόρειον, αἱ μὲν γυναῖκες ὅσαι οἱ τόκοι πρὸς ἢρ ἐκ πάσης προφάσιος ἐκπίπτουσι, &c. id est, Si uerò hyems australis fuerit, ac pluuiosa clemensq; , uer autem siccum atq; aquilonare, mulieres sanè quibus partus sub uer imminet, ex quauis occasione abortiunt. Verùm si quæ pariũt, infirmos & morbidos puerulos edunt: ita ut uel protinus óccidant, uel teneri morbosiq; uitam degant. Cæteris autẽ mortalibus dysenteriæ, & aridæ lippitudines accidunt. At senioribus, fluxiones quę breui perimunt. Quod attinet hoc loco ad integritatem Hippocraticæ sententiæ, Celsus quidem de suo nihil addidit, solam dysenteriam detraxit. Cæterà reipsa fidelis, uerbis angustior: de aere, aquis & locis libro, multo etiam fusius pleniusq; omnia sunt exposita: ac dysenterias corporibus pituitosis fœminisq; pituita è cerebro defluente euenire, bilioſis lippitudines aridas contingere. Graui senio confectis, è capite in pulmonẽ defluxiones, & grauedines ac raucitates accidere tantas, tãq; uiolentas tradit, ut quos breui spacio non sustulerint, semisideratos, & uel dextra uel sinistra corporis parte resolutos dimittant. Ex Aristotelis Problematis nihil hic referre libet. Si cui uidetur, ac uacat, ea quin consulat, nullus prohibuero. Et si quem etiam cõtrouersiæ de clementia ueris addita Hippocrati, & nõ hic solum præterita Celso, delectãt, è neotericis, Manardo, Fuschio, cæterisq; quæ ea de re doctè disserteq; disseruerunt, petat licebit. B

At si à prima hyeme austri.) Non sunt hæc quidem Hippocratis, nihilo tamẽ minus recta sunt, et ueritati cõsentanea: præsertim si perpetuos illos austros, aquilones excipiant, & corpora bile infestentur. Magnam enim corruptelam è tali cœlo colligi necesse est, quæ demum pernicioſissimos exitus sortiatur. Causam quisq; ex austrorum natura & ui superius exposita facilè consequetur. Alioqui in mollibus humidisq; corporibus intemperie magnopere adaucta, quicquid è putredine nasci solitum est, fore sperandum est.

Vbi primò calor à primo uere orsus.) Hippocrates 3. Aphor. scribit, ὁκόταν θέρος γρύπται ἦρι ὅμοιον, ἱδρώτας ἐν τοῖσι πυρετοῖσι προσδέχεσθαι χρή. id est: Quandocunque æstas simílis ueri fuerit, sudores in febribus expectare conuenit. Hippocrates uerni temporis nec calorem, nec ullum temperiei genus, ut sudores è febribus reliquis temporibus erumpant, postulat: sed æstate ut profluant, æstatem uernum ac temperatum solummodo requirit: huc enim mitis ille cœli calor, blandaq; humiditas satis in febrientibus confert. Nec tamen idcirco uanum est, quod Celsus in hac sententia mutauit, de calore uerno in æstatem continuato. Nam multo etiam sic magis sudores exiliẽt, qui sub uerna aeris omni constitutione, quandocunq; ea demum, seu æstate, seu hyeme se exhiberet, prodituri erant. Non satis mihi constat, quia temerè, nisi graui ratione aut meliorum codicum fide urgente, nihil immutandum in uetustis authoribus puto, sim' ne uenia dignus futurus, si pro eo quod inuenustè & parum aptè uulgò legitur, Vbi primò calor: & aptius ad rerum cõnexionem, & ad orationis sermonisq; rationẽ elegantius sufficiam, Vbi uerò calor: aut potius, Vbi porrò calor. nam hæc in è primò ut peruerterent, de procliui fieri potuit. C

At si sicca æstas aquilones.) 3. Aph. 13. ἢν δὲ ὁ θέρος αὐχμηρὸν, καὶ βόρειον γρύπται, αἱ δὲ φθινόπωρον, ἔπομβρον καὶ νότιον, λιθαλαλγίαι ὀδυνῶνται γίνονται, καὶ βῆχες, καὶ βράγχοι, καὶ κόρυζαι, ἐνίοισι δὲ καὶ φθίσιες. hoc est: Si uerò æstas sicca fiat & aquilonaris, autũnus porrò pluuiosus et australis, capitis dolores hyeme accidunt, & tusses, & raucitates, & grauedines. Nõnullis uerò & tabes quoq;. Caput siquidem æstiuis aquilonibus serenum, autumnalium imbriũ magnam uim imbibit: quæ si per hyemẽ resoluta, aut ui frigoris expressa in fauces defluat, destillatio: si in nares decurrat, grauedo: si in asperam arteriam cadat, raucitas: si in pulmonem leuiter transeat, tussis: si grauius, tusses molestas, & post

has

A has pulmonis exulcerationem aut tabem creat. Atq; his omnibus ferè præsto est, aut antecedit capitis dolor. Quem haud scio, quamobrem mali totius fontem & originem, Celsus prætermiserit. Hippocrates libro de Aere, aquis & locis inscripto, cerebri adnumerat corruptelam: quippe quum austri uniuersi capitis officinæ pernicioſissimi, unde & superiora & aliàs multo plurima uitia scaturiunt.

Sin autem autumnus quoq; æquè siccus.) Hippocr. de eadem sententia 3. Aphoris. 14. uerba sunt. ἢν δὲ βόρειον ᾖ, καὶ ἄνυδρον, τοῖσι μὲν ὑγροῖσιν ἐόσι τὰς φύσιας, καὶ τοῖσι γυναιξὶ ξύμφορον, τοῖσι δὲ λοιποῖσιν ὀφθαλμίαι ἔπονται ξηραὶ, καὶ πυρετοὶ ὀξέες, καὶ κόρυζαι χρόνιαι, φθίσισι δὲ μελαγχολίαι. Ea in hunc modum interpretabimur: At si autumnus borealis, atq; aquarum uacuus fuerit, ijs sanè qui humida natura sunt præditi, & fœminis utilis erit. Cæteris uerò lippitudines aridæ, & febres acutæ, & grauedines, & pleriſq; etiam biles atræ contingunt. Quamobrem mollibus corporibus, humidisq;, ſicca tempora idonea ſint, aut quare corporibus duris aridisq; madidus aer cõueniat, tam est ex oppositorum ratione apertum, ut uerbis alijs ad enucleationem opus non habeat: ne illud quidem obscurum est, cur per tempora sicca, hominibus siccis, siccæ lippitudines eueniant: febres porrò acutæ, & biles atræ tenui modò bilis, modò sanguinis parte ab aeris ariditate consumpta, crassaq; solum & ea adusta
B relicta generantur. Quod autem grauedines seu κόρυζαι χρόνιαι adijciantur, ut prorsus id absurdum non esse fateor, sic Celsum πολυχρόνιαι omnino legisse, id est, longæ, ut febrium id alterum sit epithetum, magna ratione contenderim. Quando Hippocrates quoq; libro de Aere, aquis & locis nuncupato, & ϕ κορύζης, hoc est, grauedinis nullo modo meminerit: & meminerit diserte febrium simul acutarum, simul diuturnarum. Iam illud præterea elegãs ac rectum esse arbitror, quod μελαγχολία, seu bile atra periphrasi ac circuitione Celsus dixerit, & hi morbi, qui ex atra bile nascuntur. Quandoquidem perpetua tum æstatis, tum autumni ista siccitate fieri non potest, quin in omnibus quidem, sed in bilioſis & melancholicis præcipuè, plurimũ crassæ deustæq; materiæ coaceruetur: unde quicquid ex atra bile nasci solet, demũ oriatur. ut sunt carcinomata, dysenteriæ, psoræ, lepræ, phagedenæ, elephãtiases, ulcera cacoethe, & Chironia & Telephia, cæteraq; similia.

Quod ad ætates uerò pertinet, pueri.) 3. Aphor. 18. Hippocratis sic habet· περὶ δὲ τὰς ὥρας τοῦ μὲν ἦρος, καὶ ἄκρου τοῦ θέρεος οἱ παῖδες, καὶ οἱ τούτων ἐχόμενοι τῇσιν ἡλικίῃσιν ἀρίστά τε διάγουσι, καὶ ὑγιαίνουσι μάλιστα. τοῦ δὲ θέρεος καὶ τοῦ φθινοπώρου μετρίως μὲν πάντες οἱ γέροντες. ὁ δὲ λοιπὸς καὶ τοῦ χειμῶνος οἱ μέσοι τῇσιν ἡλικίῃσι. Quæ ita uertero: Quod ad anni uerò tempora attinet, uere quidem & æstatis initio pueri, & qui hos proximè sequuntur ætate, optimè degunt, & ualent maximè. Aestate uerò, & autumni aliquanta parte senes. Reliquo autumno & hyeme, qui
C ætate inter utroſq; medij sunt: nempe iuuenes, & uiri, & qui constantẽ ætatem agunt. Nam qui calore naturali præstant, simili illi quidem sibi, & temperata uernaq; anni parte rectiſsimè ualent. At ita, ut adoleſcẽtes ueris principio, puberes medio, pueri extremo & æstate noua quàm iucundiſsimè uiuant. Ex cæteris ætatibus, ut quæq; frigidiſsima est, ita calidiſsimo aere gaudet: atq; è contrario, quo feruet unaquæq; corpore magis, hoc brumæ frigora fert erectius, & æstu citius frangitur. Quare extremè decrepiti feruentiſsima æstate suauiſsimè recreantur: quomodo etiam summa æstate, qui ad hãc nunc iam ætatem proni feruntur. Ineunte autumno degunt optimè, qui in uiridi senectute sunt constituti. sic hyeme item frigidiſsima iuuenes omniũ patientiſsimè se gerunt: mitiore, uiri, & qui constante in ætate uersantur. Quicquid enim mediocritatem exuperat, id à rebus omnib. similibus in immensum uitium tendit, & corrigitur contrarijs, quemadmodum temperata temperatis conseruantur.

Tum si imbecillitas oritur.) 3. Aphor. 24. ἐν δὲ τῇσιν ἡλικίῃσιν τοιάδε συμβαίνει τοῖς

μετὰ σμικροῖσι, καὶ νεογνοῖσι παιδίοισιν, ἄφθαι, ἔμετοι, βῆχες, ἀγρυπνίαι, φοβοί, ὀμφαλὸς φλεγμοναί, ὠτῶν ὑγρότητες. id est, Per ætates talia contingunt paruis & recens natis pueruliſ, feruida oris ulcera, uomitiones, tuſſes, uigiliæ, pauores, umbilici inflammationes, auriũ humiditates. Tuſſes & pauores, ſeu formidines Celſus ſiluit, uitia teneræ ætati frequentiſsima. Pulmo ſiquidem etiamnum tenellus, humoribus è capite aut aliunde collapſis, & quouis frigore & proprio humore nimio facilè tentari ſolet. Et è cruditate aut lumbricis corpore abditis metus ſubiti, quos pauores appellamus, crebrò territare cõſueuerunt. Nam paribus de cauſis, aut certè alimenti corruptela, cætera quæ dicta ſunt mala infantes experiuntur. Serpentia ulcera propriè ea ſunt, quæ Græci nomas, aut phagedænas, aut herpetes uocant: à quibus aphthę, quas Hippocrates nominat, longè ſunt diuerſæ: & qui Latinam medicinã ſectantur, calida feruidaq; oris ulcera appellant. Nec tamen eam ob rem tam uanitatis, quàm minus fidelis interpretationis inſimulandus Celſus eſt. Nam & ſerpentia ulcuſcula puerorum faucibus ſæpiſsimè innaſcuntur, non ſine uitę magno periculo. Id quod ſi non aliunde, nec uſu quotidiano deprehenderetur, certè authoritate Hippocratis cùm alibi, tum eo libello quem de Dentitione inſcripſit, ſatis conſtare poteſt. Vmbilici inflammationes nemo iam eſt, qui è recenti uulnuſculo, quo infantulus à parente & ſecundina liberatur, oriri neſciat. B

Propriæ etiam dentientium gingiuarum.) Hippocrat. 3. Aphor. 25. ſcribit, πρὸς δὲ ὀδοντοφυΐῃ προσάγουσιν ὅλῳ ὀδὰξασμοί, πυρετοί, σπασμοί, διάῤῥοιαι, καὶ μάλιστα ὅταν ἀνάγωσι τοὺς κυνόδοντας, καὶ τοῖσι παχυτάτοισι τῶν παιδίων, καὶ τοῖσι σκληρὰς τὰς κοιλίας ἔχουσι. hoc eſt: Ad dentitionem uerò iam accedentibus, gingiuarum pruritus, febres, conuulſiones, aluí profluuia fiunt, et maximè cùm caninos iam edũt dentes, tum pueris craſsiſsimis, tum aluos duras habẽtibus. Sunt quædam exemplaria typis excuſa, in quibus mendoſè dentium hoc loco Celſi, pro dentientium reperias, magno ueræ germanæq; ſententiæ damno. Non enim hic dentium uitia docere, ſed dentientium puerorum, ex Hippocrate inſtituit. quum iam ętas puerorum ſecunda ſub menſem omnino ſeptimum incipit, tum dentes exiliunt: qui anno rurſus ſeptimo ſua ſponte excidunt, quoniam ab alimento caduco uel intra matrem, uel à prima natiuitate concepto, primùm ſint orti. Poſt quos qui ſubeũt, à firma materia & ætate firmi conſtantesq; in omnem ætatem, niſi ui aut iniuria corruptelaq; uel pellantur, uel uitientur, hærent. Cæterùm primi illi, ubi primùm proſilire incipiũt, tanto dolore gingiuas findunt atq; perrumpunt, non pruritu tantum afficiunt, ut inflammationes & exulcerationes febresq; plerunq; concitent. Ex quo Celſum non equidem mendacem, ſed parum ſuperſtitioſè fidelem Hippocratis interpretem, ſi pari eſſet fide interpretatus cætera, agnoſcas. Sunt alij, qui per dentitionem pruritus auditorij meatus eſſe doceant. Nam con- C uulſiones tum neruorum adhuc teneritudine, tum ętatis illius uoracitate, & ſtomachi multa cruditate eueniunt. Cui malo ipſas deiectiones aluí aut febres eripere, aut mitius certè obnoxios reddere cõſueuerũt. Id quod de dentitione libello docet, & hoc ſatis loco indicat Hippocrates: ubi craſsiſsimis, & aſtricta maximè aluo prædítis hoc periculum minitatur, non quidem deiectionis dico, ſed conuulſionis, & ſi ita uidetur febrium quoq;. Fiunt igitur quæ diximus dentientibus ferè omnibus, ſed quum canini dentes proueniunt, maximè. Ex duobus ſiquidem et tricenis, quot ſinguli propè habemus, (inuenias ſiquidem octonis & uicenis, inuenias & tricenis inſtructos) quatuor infrà ſupraq; diducto ore ſtatim oſtendimus, quos primores à ſitu pariter & ortu nominauerunt: hos canini atq; acuti utrinq; duo ſequuntur, durioribus eſcis arrodendis nuncupati. Ab his deinde maxillares utroq; latere modò quini, modò quaterni tantum proferuntur: hinc intimi, nouiſsimiq; poſitu & natiuitate, quos genuinos uocant, homini ſub uigeſimũ quandoq;

annum

A annum primo enascuntur, quorum nulli, quemadmodum neq; conuulsi utcunq;, homini unquam reponuntur.

At ubi ætas paulùm processit.) 3. Aphoris. 26. Hippocrates: πρὸς βυτῶροισι δὲ γιγνομένοισι παιδίοισι, ἀσονδύλοις τῇ ἐπὶ ἰνίου ἔσω ὤσιος, ἄδμασι, λιθιάσιος, ἕλμινθος στρογγύλοις, ἀσκαρίδος, ἀκροχορδόνος, σκληρίασμοι, στραγγουρίαι, χειράδος, καὶ τὰ ἄλλα φύματα, μάλιστα δὲ τὰ προειρημένα. id est: At ubi ætate iam progrediuntur, tonsillæ, uerticilli in occipitio intrò uersus luxationes, anhelationes, calculorum uitia, lumbrici rotundi, ascarides, uerrucæ pensiles, prominentes secundum aures glandularum tumores, strumæ & alia tubercula, maximè tamen prædicta. Quæ παιδίμια & ἀμυγδάλας Græci uocant, ea Latini tonsillas nominant, inflammationes nempe uel earum glandularum, quæ in intimis faucibus inuicem sibi opponuntur, & amygdalæ uulgò dicuntur: uel eorum corporum quæ in pharynge os, gulamq; interiacẽt. Celsus loci nomine pro eius inflammatione utitur: ne quis glandularum fortè uocabulo tumores illos duros & sensus omnis expertes, mobilesq;, cuiusmodi in collo & alis & inguinibus plurimi proueniũt, quas strumas paulo pòst hoc eodem in loco rectè appellauit, denotari putet. Vertebrarum autem occipitis luxationes, ipsarum in spina inclinationes, latius aliquanto, quàm pro Hippocratis uera intelligentia cõueniat, noster appellauit. Non enim spinæ totius inclinatio-
B nes huic ætati, quàm cæteris, magis accidunt: sed in occipite ac summa ceruice, cauitate quadam relicta, uerticulorũ introrsum uersus luxationes, quæ quartam illam anginarum formam, cuius alibi meminit Hippocrates, plerunq; pariunt. Verrucarum porrò genera multa quum sint, acrochordõ pensile quoddam est, atq; tenui angustataq; prope cutẽ basi nititur, adeò ut chordæ nexu, unde nomen consecutum est, amploq; extra cutem capite, suspensum uideatur. Contra quam eæ quas myrmecias, ampla radice & coacto capite constantes, nominant. Acrochordon pueros istos multis ipsorum locis præcipuè infestare solet, & modò subitò desinere, modò inflammationem quandam ac suppurationem trahere. Frequentissima huius eiusdem ætatis cætera uitia, quæ recenset Hippocrates, miro silentio Celsus præterijt: eoq; ipsa uelim ab illo repeti, quando omnia ex incauto uictu, & imprudenti genere uitæ propter summam cruditatem, atq; humorum crassitiem, etiam alicubi pauca bile intermixta, oriuntur.

Incipiente uerò iam pube.) 3. Aphoris. 27. Hippocrates: τοῖσι δὲ ἔτι πρεσβυτέροισι, καὶ πρὸς τὴν ἥβην προσάγουσι τὰ πολλὰ, καὶ πυρετοὶ χρόνιοι μᾶλλον, καὶ ἐκ ῥινῶν αἵματος ῥύσιος. id est: Atq; adhuc etiam ætate prouectioribus, & iam ad pubertatem accedentibus, pleraq; eorundem, & febres diuturnæ magis, & ex naribus sanguinis profluuia. Celsus sententiam totam transtulit, si hoc saltem modò legatur: Incipiente uerò iam pube, ex ijsdem multa, & longæ fe-
C bres, & sanguinis ex naribus cursus. Nam si multæ, genere fœminino legas, & hypodiastolen cum insequente cõiunctione tollas, ut est sublata in ijs ferè qui uulgò extant exemplaribus, nec uenustas par orationis retinetur, & sensus uel alius, uel obscurior, uel imperfectior relinquitur. Contingunt autem puberibus tum alia multa, tum ista quoq;, ætatis ac sanguinis æstu quodam & incremento. Etsi totam pueritiam quæ infestant, ex uictus uictæq; totius erroribus summam etiam causam accipiunt.

Maximeq; omnis pueritia primùm circa.) Hippocrates 3. Aphoris. 28. τὰ δὲ πλεῖστα τοῖσι παιδίοισι πάθη λείνεται, τὰ μὲν ἐν τεσσεράκοντα ἡμέρῃσι, τὰ δὲ ἐν ἑπτὰ μησὶ, τὰ δὲ ἐν ἑπτὰ ἔτεσι, τὰ δὲ πρὸς τὴν ἥβην προσάγουσιν, &c. id est, Plurimæ uerò ægritudines puerulis iudicantur, partim quidem in quadraginta diebus, partim in septem mensibus, partim in septem annis, partim etiam ad pubertatem progredientibus. Quæ uerò puerulis permanserint adfectiones, nec prope pubertatem fuerint exolutæ, nec fœminis sub mensium eruptiones, multo

tempore durare consueuerunt. Hactenus ille. Celsus nec ista omnino, A
nec uana quoque protulit. Nam septimanæ cunctæ propemodum circuitio
nes dierum, aut mensium, aut annorum, ingentes rerum præcipuasq; muta-
tiones, & sæpe pericula adferre solent, corporaq; humana summa ui concu-
tere: sed sunt hæc, quamuis ut dixi uera, tamen ab Hippocratis ingenio sen
tentiaq; alieniora: qui totius pueritiæ diuturni morbi quibus spaciis maxi-
mè finiri soleant docuit, quos si terminos exuperent, in omnem consequen-
tem uitam ferè producuntur. Sunt autem illi, dies primùm quadragesimus,
deinde mensis septimus, tum annus item septimus, & postremò annus ma-
gna ex parte septimus etiam alter: aut certè fœminis sub menstruorum prin
cipia. Quicquid enim his spaciis nõ desiit (quod aptè & clarè expressit Cel-
sus) id ne nunquam deficiat metus est. Celsus in pueris etiam sæpius termi-
nari, quàm dictis interstitiis non cedere, bene sapienterq; monuit.

Adolescentia morbis acutis.) Sumpta sunt, ut omnia, ex Hippocrate, 3. Apho
ris. 29. τοῖσι δὲ νεανίσκοισιν αἵματος & πτύσιες, φθίσιες, πυρετοὶ ὀξέες, ἐπιληψίαι, καὶ τ'
ἄλλα νοσήματα, μάλιστα δὲ τὰ περιπλεύμονα. id est: Iuuenibus autem sanguinis spui
tiones, tabes, febres acutæ, morbi comitiales, & plerique item alij: at maxi-
mè antedicti. Comitiales uel uictus incontinentia, uel bile uentriculi magna
ex parte, & abdito quodam ueneno accidunt. Cæteri cùm propter ætatis
feruorem, tum uitæ intemperantiam, inconsultaq; exercitia, quibus & om- B
ne corpus accenditur, & sanguis ebullit, & uasa dirũpuntur, eueniunt. Quia-
re 5. Aphoris. 9. φθίσις, inquit, γίνεται μάλιστα ἡλικίῃσι τῇσιν ἀπὸ ὀκτὼ καὶ δέκα ἐ-
τέων μέχρι πέντε καὶ τριήκοντα. hoc est: Tabes fit præcipuè ætatibus ab anno
decimooctauo ad quintum supra trigesimum: propter errores nimirum e-
ius ætatis in omni uita.

Post hanc autem ætatem laterum.) Hippocrates 3. Aphoris. 30. τοῖσι δὲ ὑπὲρ τὴν
ἡλικίην ταύτην, ἀδιάκριτα, πλευρίτιδες, περιπνευμονίαι, λήθαργοι, φρενῖτιδες, καῦσοι,
διάῤῥοιαι χρόνιαι, χολέραι, δυσεντερίαι, λυγγοδίαι, αἱμορῥοΐδες. id est: Verùm ijs
qui hanc ætatem excesserunt, anhelationes, pleuritides, peripneumoniæ, le-
thargi, phrenitides, febres ardentes, aluí profluuia longa, bilis uomitu pari-
ter & deiectione effusiones, dysenteriæ, aluí læuitates, hæmorrhoides. Mul-
ta sunt hic rursus à Celso ad plenam Hippocraticæ sententię explicationem
necessaria, omissa: febres primùm ardentes, quæ è bile intra uenas arteriasq;
putrefacta, nulla, donec ex toto desinant, quiete intercedente, succendun-
tur. Deinde tria illa fusioris aluí genera, quum uel longa tantummodo mo-
ra copiaq; fatigant, uel cruditate atq; incontinentia ea, quæ qualia assumpsit
per aluum cõtinuò dimittit, uel quæ intestinorum exulceratione hominem
conficit. Postremò anhelationes, quas hactenus nullo usquã loco, nulla uer
sione dignatus est. Nam quod lateris & pulmonis dolores, ac insaniam pro
earum partium & cerebri inflammatione posuit, nihil noui fecit: nec magno C
pere refert, modò non omnis dolor lateris aut pulmonis, nec insania omnis,
sed inflammationis intelligatur. Veniaq; etiam dignius est, lethargum &
choleram ab Græcis seruata esse: quum sit ille obliuiosa quædam & inuin-
cibilis dormiendi cum febricula coniuncta necessitas, quem ueternũ & mar
corem quidam interpretantur: hæc sit præceps malum, bile sursum deor-
sumq; magna ui effusa. Omnium est & aptissima & elegantissima periphra
sis hæmorrhoidũ: qua facilè cognoscitur uocabulum illud & uenarum in
ano oscula, & sanguinis per illa profusionem denotare. Causam porrò om-
nium earum ægritudinum in bilem uel flauam, uel atram è iuuentute reten-
tam aptè reieceris: si in crassos duntaxat, ac frigidos pulmonis humores, an-
helationes: in similes cerebri posterioris, lethargum: in uentriculi item simi-
les, aut intemperiem, diarrhœan & lyenteriam cõtuleris. Vt sint hi morbi ui
ctus intemperantis, & ætatis uirilis ac constantis, quam tractamus, proprij;

reliqui

A reliqui iuuentutis reliquiarum. Nam in omni ætate ex antecedentium temporum humoribus reliquis sua illorum uitia sæpenumero generantur.

In senectute spiritus & urinæ.) Ex 3. Aphoris. 31. desumpta sunt, ubi Hippocrates: τοῖσι, inquit, δὲ πρὸς βύτησι δύσπνοιαι, καταῤῥοι βηχώδεες, στραγγουρίαι, δυσουρίαι, ἀῤθρωπόνοι, νεφρίτιδες, ἴλιγγοι, ἀκροπλῆξίαι, καχεξίαι, ξυσμοὶ τοῦ σώματος ὅλου, ἀγρυπνίαι, κοιλίης καὶ ὀφθαλμῶν καὶ ῥινὸς ὑγρότητες, ἀμβλυωπίαι, γλαυκώσιες, κὴ βαρυηκοΐαι. hoc est: Senibus autem spirādi difficultates, è capite defluxiones tussiculosæ, urinæ stillicidia, urinæ difficultates, articulorum dolores, renum uitia, uertigines, siderationes, mali habitus, pruritus uniuersi corporis, uigiliæ, alui & oculorum & narium humiditates, uisus hebetudines, glaucedines, auditus grauitates. Ista nec omnia, nec nulla uertit Celsus. Et adiecit, ac nouauit quædam. Defluxiones nanque tussiculosas, & urinæ stillicidia, & uertigines, & cuncti corporis pruritus prætermisit, senum uexationes & afflictiones creberrimas. Tormina uerò, ac læuitates intestinorum, cæteraq; profusi uentris mala è superiore ætate huc de suo iudicio detraxit: fatigant enim senes ista quoque, præterquam quòd tormina rarius in hanc ætatem incidant. Et proximam quamque iam tum præteritæ noxis sollicitari, suprà commonefecimus. Nouauit autem articulorum grauedinem, pro eorundem laboribus, sed delicto minimè graui: & leui item peccato, renum do-
B lores pro nephritide. Grauiore damno, neruorum resolutiones, quod suprà etiam monuimus, pro sideratione atq; apoplexia collocauit. Vt existimem, in eo exēplari quo usus est Celsus, παραπληγίας, non ἀκροπλῆξίας, id est, neruorum eas resolutiones, quæ ex siderationibus nascuntur, non siderationes ipsas scriptas fuisse. Tolerabilius paulo illud est, uitia longiora aurium, oculorum, etiam narium, pro oculorum narium q; humiditatibus, pro uisus hebetudine, & oculorum glaucedine, & denique pro auditus grauitatibus, esse sola posita. Quæ mala quamuis longiora esse soleant uel suapte natura, uel senij infirmitate, tamen explanatius Hippocrates eadem enunciauit. Quæ, superioraq; omnia senectutis uitia, frigore atq; ariditate singulari, ad quę crudi crasiq; humores plurimi cum summa totius corporis imbecillitate consequuntur et eueniūt. Ariditatis siquidem comites sunt glaucitates, uigiliæq;. Reliqua huius quoq; quædam nonnunquam, sed frigoris ac cruditatis & infirmi corporis maximè.

Præter hæc graciles, tabes.) In gracilibus ijs qui angusto pectore & procero collo ac capite imbecilli præditi, ordine se mutuò hęc consequuntur. Ex destillatione nempe peripneumoniæ & pleuritides oriuntur: quæ uiscerū & laterum doloribus hocloco, ut aliàs quoq;, in hoc duntaxat authore, significantur. Ab his tabes, post tabem deploratam deiectiones & alui profluuia lethalia consequuntur. Adde gracilium omnium tum temperaturā calidam
C aridamq; magna ex parte, tum capita grauitati suscipiendæ opportuna, tum etiam uasa sanguine bilique distenta huc inclinari, nisi siqua gracilitatem à corporis siccitate, cum frigore connexa insitam habeant.

Obœsi plerunq; acutis morbis.) 2. Aph. 25. οἱ παχέες σφόδρα κατὰ φύσιν ταχυθάνατοι γίγνονται μᾶλλον ἢ ἰσχνοί. id est: Si qui natura uehementer crassi sunt, subitò moriuntur magis quàm graciles. Acutos hic morbos intellige, quicunque hominem breui ac momento rapiunt, non eos tantum qui accidentium uiolentia & inflāmata sua natura longi esse non possunt: his enim qui obœsi crasiq; à natura primaq; natiuitate sunt, non tam facilè opprimunt, quàm apoplexijs, & anhelatione, & spiritus difficultate, ac uiriū suffocatione strangulantur: paucissimo sanguine & uasis minutissimis cum uasta carnis mole præditi. Siquidem ab ineunte ætate tales si qui non fuerint, & sanguine ac potentibus uenis fuerint conspicui, ex obœsitate atq; abdomine minus periclitantur. Minimeq; omnium, qui tenuiore constant corpore.

De signis aduersæ ualetudinis futuræ. Cap. II.

ANte aduersam autem ualetudinem, ut suprà dixi, quædam notæ oriuntur, quarum omnium commune est, aliter se corpus habere atque consueuit, neque in peius tantum, sed etiam in melius. Ergo si plenior aliquis & speciosior & coloratior factus est, suspecta habere bona sua debet. Quæ quia neque in eodem habitu subsistere, neque ultra progredi possunt, ferè retrò quasi ruina quadam reuoluuntur. Peius tamen signum est, ubi aliquis contra consuetudinem emacruit, & colorem decoremq; amisit: quoniam in his quæ superant, est quod morbus demat, in his quæ desunt, non est quod ipsum morbum ferat. Præter hæc protinus timeri debet, si grauiora membra sunt, si crebra ulcera oriunt̃, si corpus supra consuetudinem incaluit, si grauior somnus pressit, si tumultuosa somnia fuerunt: si sæpius expergiscitur aliquis, quàm assueuit: deinde iterum soporatur, si corpus dormientis circa partes aliquas contra cõsuetudinem insudat, maximeq; circa pectus, aut ceruices, aut crura, uel genua, uel coxas. Item si marcet animus, si loqui & moueri piget, si corpus torpet, si dolor præcordiorum est, aut totius pectoris, aut in plurimis uenis capitis: si saliuæ plenum est os, si oculi cum dolore uertunt̃, si tempora astricta sunt, si membra inhorrescunt, si spiritus grauior est, si circa frontem intentæ uenæ mouent̃, si frequentes oscitationes, si genua quasi fatigata sunt, totum ue corpus lassitudinem sentit. Ex quibus sæpe plura, nunquam non aliqua febrem antecedunt. In primis tamen illud considerandum est, nunquid sæpius horum aliquid eueniat, ac ideo neque corporis ulla difficultas subsequatur. Sunt enim quædã proprietates hominum, sine quarum notitia non facilè quicquã in futurum præsagiri potest. Facilè itaq; securus est in his aliquis, quæ sæpe sine periculo euasit. Ille solicitari debet, cui hæc noua sunt, aut qui ista nunquam sine custodia sui tuta habuit.

A

B

ENARRATIO.

Ante aduersam ualetudinem.) Futuræ ægrotationis signa mediã inter ea quę salutaria ac morbosa sunt, formã obtinẽt. Valentibus siquidẽ omnia secundũ naturã insunt: ægris, quatenus certè ægrotant, cõtra naturã è diuerso insunt omnia. In amborũ medio posita sunt, quę appetẽtes morbos denũciãt. Quę duũm rursus ipsa sunt generũ. Nam alia quidẽ secundũ naturã sunt, sed uel qualitate, uel quãtitate, uel tẽpore idoneo permutata. Alia p̃ter naturã sunt, sed q̃ ea quæ in morbis cernuntur, obscuriora. Prioris generis sunt, cibi potionisq; aut rerũ insolitarũ appetentia, uel solito maior, uel minor, uel alieno tẽpore accidens. Item purgamentorũ alui, uesicæ, sudoris, modò pluriũ pauciorũ ue, modò liquidiorũ aut duriorũ, modò tẽpore inusitato, aut absurdè coloratorũ, excretio: huc quoq; refer, uigilias, somnos, Venerẽ, maiores, minores, importuniores, inquietiores, molestiores q̃, pspere ualetudini ex usu sit. Adde motus tarditatẽ, grauitatẽq;, aut exolutionẽ animi indebitã: adde itẽ ructus, nauseas, sternutamenta, prẽterea hæmorrhoidũ, mensiũ, mariscarum suppressionẽ aut profusionẽ, uel maiorem æquo, uel minorem. Eódem pertinet mentis noua hebetudo, animi obliuio, somni uisis, quàm pro cõsuetudine,

C

A tudine, pluribus fracti: auditus similiter, gustatus, uisus, sensus hebetiores aut obscuriores, corporis moles maior, minor, rubicundior, candidior, fœdior, speciosior. Item narium, palati, aurium recrementa, pectoris sputa, tum copia, tum ratione quapiam, tum tempore opportuno immutata. Denique quicquid in secunda ualetudine rectum fuit, id iam si sit indecenter innouatum. Posterioris formæ sunt, grauedo, morsus, dolor, punctio, uentris, stomachi, intestinorum, capitis, seu aluo deijcienda, seu lotio reddendo, seu uomendo sic percepta mediocriter, ut à solitis omnino negotijs atq; officijs hominem non prohibeant, neq; auertãt. Sic in gustatu salsus, aut amarus saliuæ & rerum omnium quæ assumuntur sapor. Sic in odoratu uel rei absentis, uel omnium quæ in nares incurrũt similis odor, aut putor. Sic in auribus sonitus ac strepitus. In oculis secus ac sunt, quę uidentur, colorata aut formata, aut gracilia, aut crassa: sic in tactu inæqualitas, grauitas, tensio, stupor, ulceratio, percepta. Sic in toto postremò corpore tensio, contusio, morsus, grauitas: sed uel instabilis, uel parum magna, formidinẽ mali subesse denotant. Ad quam istam methodum, si quæ Celsus hoc toto capite exponit exigantur, omnia congruere doctrinæ modo & ueritati deprehendentur. Quæ enim in genere bonorum mediocritatem naturæ consentaneã excellunt, hoc ipso in uitio sunt, quòd nimia sunt. Nimium appetere, aut dormire, nimiũ sa
B pere, aut ualere nimium, nempe athleticè aut pancraticè, praua ideo sunt, quia naturæ inepta sunt.

Ergo si plenior.) Hippocr. 1. Aph. 3. ἐν τοῖσι γυμνασιωδίοισιν αἱ ὧδι ἄκρον ὀυ ἐξίαι σφαλεραί, ἢν ἐν τῷ ὀυχάτῳ ἐῶσιν, &c. id est, Constitutiones corporis athletarũ summè bonę, periculosæ sunt, si ad extremum progressæ fuerint. Nec enim possunt in eodem statu permanere, nec quiescere. Quum uerò quietem non habeant, neq; possint amplius in melius proficere, reliquum est idcirco ut uergant in deterius. Ob has itaq; causas bonam illam cõstitutionem quàm primùm soluere expedit. Hactenus ille.

Peius tamen signum est, ubi aliquis.) Bona si qua nimia sunt, mala sunt, nedum quæ per se mala sunt, aut si quæ iam in peius inclinata. Quoniam nisi occurratur, aut nisi quis Deus ea de improuiso sustulerit, quin suum ingenium illud mox prodant malignum, fieri non potest. Illa quo sustineantur, si quid detrahas, non habent: quod factu sæpe multo est procliuius, tutiusq;, quàm ut diminuta suppleas, aut deprauata corrigas. Celsus in his quæ desunt, Nõ est, inquit, quod ipsum morbum ferat: quod neutiquam uanum esse, libens illi largior, si ξυμπτώσιες ὀυ δ' ἔχαρυ, hoc est, extremas extenuationes, quas maximopere etiam damnat Hippocrates, intellexerit. Alioqui certè esse, quod ferat plus, minus, euidentissimum est.

Præter hæc protinus timeri debet.) Facilè mihi quis persuaserit, qui è tertio libro
C de Salubri diæta, nonnullis commutatis pro more quodam Celsi penè perpetuo, hæc deprompta contenderit: ubi imminentium ægritudinum uariæ eiusmodi notæ depinguntur, etsi quædam è Prædictionum etiam libro secundo petita uideri possunt.

Si grauiora membra.) Hipp. 2. Aph. 5. κόπτι αὐτόματοι φράζουσι νόσους. id est, Sponte enatæ lassitudines morbos denunciant. At ab exercitijs & laboribus contractæ minus habent periculi: hi etenim facilè discutiuntur, illi grauibus de causis & corpori intrinsecis oriuntur.

Vlcera crebra.) 2. Aph. 15. Hipp. ὁκοσι φαρυγξ νοσέει, ἢ φύματα ἐν τῷ σώματι ἐκφύεται, σκεπτεσθαι χρὴ τὰς ἐκκρισιας. ἢν μὲν χολώδεες ὦσι, τὸ σῶμα ξυνοσέει, ἢν δὲ ὅμοια τοῖσιν ὑγιαίνουσι γίγνωνται, ἀσφαλὲς τὸ σῶμα φέρειν. id est, Vbi fauces ægrè habent, aut tubercula in corpore enascuntur, excremẽta intueri cõuenit. Nam si bilioſæ fuerint, corpus simul ęgrotat: sin uerò sanis similes euadãt, tutũ fuerit corpus alere. Ex quib. uerbis, quẽadmodũ de ulceribus sperare deceat aut iudicare, cõpẽdio ostẽditur. Quãdonec imminẽtis mali indiciũ ac testimoniũ semp dãt:

sed

sed interdum sponte sua, quæ intus mala delituerunt, foràs expellentis natu A
ræ indicia sunt, si recta reliqui corporis excrementa sunt. Verùm si hæc quo
que corrupta prodeant, imminere aliquod periculum & occultari testantur.

Si corpus supra consuetudinem incaluit.) 4. Aphor. 39. Hippocr. ὅκου ἂν ἐνὶ τῷ σώματος θερμόν, ἢ ψυχρόν, ἐνταῦθα ἡ νοῦσος. hoc est: Vbi in corpore calor aut frigus, illic morbus alitur. Intemperiem siquidem subesse, & cum calore sæpe putredinem, significatur.

Si grauior somnus.) 2. Aphor. 3. Hippocr. ὕπνος, ἀγρυπνίη, ἀμφότερα τὰ μετρίως μᾶλλον γινόμενα, κακόν. id est, Somnus, uigilia, si mediocritatem excesserint, utraq; mala sunt: somnus refrigeratum, aut unà cum frigore humectatum cerebrum, aut in ipso uaporosi excrementi defluuia accumulata coerceri, quæ frigidum demum morbum pariant, ostendit. Vigiliæ siccitatis nimiæ aut caloris metum, ne quid uitij tandem apportent, commonstrant.

Si tumultuosa somnia.) φαντασιώδη Græci uocant. Animus corpori & quũ bene, & dum malè ualet, plerunq; consentit. Is itaq; quum ferietur nunquam, neq; sensibus externis uigilibus, neq; somno obrutis, quin intelligat, ratiocinetur, æstimet, expendat semper aliquid, modò cum lætitia, modò mœrore, tum metu, tum aliqua cum spe, audire, uidere, gustare, uenari, studere, negotiari, aut aliud se facere credit, tum ea omnia magna ex parte pro corporis affectionibus, & humorum natura ac plenitudine, defectu, qualitate, desu- B
mit. Quamobrem in somnis ægrè se moueri quis putat? aut se grauia ferre pondera? aut in ulla re impediri somniat? animalem facultatem uel copia, uel crassitie, uel lentore aliquo humorum aggrauatam existima. Volare contrà aut currere expeditè quis se credit? humores iam paucos ac leues, minimeq; excrementitios restare conijcito. Nocturnas Veneris imagines quis dormiendo spectat? genitali hic semine abundat. Fœtidis, sordidis, aut immundis locis uersari se quisquam credit? materiam putrem ac grauiter olentem corpori inesse suspicio est. Odoriferis & amœnis mundisq; locis agere sibi quispiam uidetur? probè iucundeq; corpus intus affectum esse spes est. Ignem porrò somniat quis? hunc flaua bili infestari consentaneum est. Fumum, caliginẽ, tenebras uidet quis? eum atra bile premi putandum est. Imbres, pluuias, aquas sentit quis? pituita hunc liquida aquosaq; perfundi atque madere probabile est. Niue conspuitur, aut glacie, aut grandine lapidatur quis? pituita talem frigida refertum esse credibile est. Item rubet quippiam per somnum? sanguinem: flauet? flauã bilem: atrum apparet? bilem atram & melancholiam: albet? pituitam significat. Bibere rursus suauiter se quisquam credit? is sitit: edere similiter iucundè se putat? hic esurit. Breuiter, quicquid agere sibi dormiens aut sentire uidetur, eius ferè causam intus accipit. Adeò animus corporis omnes affectiones percipit: ijsq;, dum illud ab externis officijs quiescit, solis occupatur. Præterquã ubi per uigilias C
quippiam uehementer ipsum seu odio, seu amore graui, seu molestia sui, seu uoluptate magna sollicitarit. Eius enim tum rei imaginibus maximè afficit, nec corporis tum affectiones à potentioribus formis oppressæ satis emicãt.

Si sæpius expergiscitur.) Bilem cum pituita pari ui cõiunctam significat, si par uigiliarum soporisq; uictoria extat: sin alterius maior uis est, eius protinus maiorem affluentiam declarat. Certè sociata ista pessimos morbos, ut semitertianas, et tertianas nothas, et quotidianas illegitimas, & febres horriferas minitantur. Quanquam sine his, uel curis, uel sollicitudine pertinaci quies interrumpi sæpenumero potest. Ne humoribus id semper imputetur, ut modò dixi, quod aliunde sæpe proficiscitur.

Si corpus dormientis circa partes aliquas.) Hippocrates 4. Aphoris. 38. ὅκου ἂν ἐνὶ τῷ σώματι ἱδρώς, ἐνταῦθα φράζεται τὴν νοῦσον. Vbi in corpore sudor, illic morbum impendere denotat. Quod de sudore sponte & naturæ ui prosiliente, idq; crebrò intelligitur. Et 4. Aph. 41. Sudor multus qui à somno citra ullam causam

aliam

A aliam manifestam accidit, corpus significat pluri uti alimento. At si cibum non capienti idem fiat, euacuatione ipsum egere demonstrat: quæ prius uel sanguine detracto, uel medicamẽto purgante adhibito malũ eximat, quàm uires aut corpus occupet. Nam è plenitudine alioqui uenarũ ruptio, inflammatio, obstructio, febris nascitur. E uitiosa corporis constitutione, uitium suo cuiq; humori accommodatum.

Circa aliquas contra consuetudinem corporis.) Hippocrates libro de Iudicationibus: Sudor multus, qui sano immoderatè exilit, morbum denunciat: æstate quidem minorem, hyeme uerò grauiorem.

Maximè circa pectus.) Libro de Iudicationibus Hippocrates: Sudores pessimi sunt frigidi, & qui circa ceruicem fiunt. Mortem enim isti, aut morborum longitudinem præsignificant: sed aliàs hæc commodius dicentur.

Aut crura uel genua.) Sub septo transuerso, & in imum uentrem malum abdi, quemadmodum & sub hisce comprehensarum partium dolor, ista significat. 4. Aphor. 18. Hippocrates: τὰ ὑπὲρ τῶν φρενῶν ὀδυνήματα ἄνω φαρμακίης δεῖσθαι σημαίνει, ὁκόσα δὲ κάτω, κάτω: id est, Dolores supra septum transuersum purgatione per supernas partes, ac uomitu opus esse declarant. At ijdem infra cinctum, per infernas & per aluí deiectionem requiri significant. Et 4. Aphor. 33. ἢν μὴ πρωϊεπονικός τι ᾖ πρὸ τοῦ νοσεῖν, γνὰ τῶν σκελέων ἡ νοῦσος. id est: Si quid
B etiam ante morbum doluerit, in id morbus incumbit. Iterumq; paulo pòst Aphor. 20. Non febrientibus si tormen fiat, & genuum grauitas, & lumborum dolor, deorsum medicamento purgante opus habere significant.

Item si marcet animus.) De his omnibus initio huius capitis quædam diximus, sic ut nihil iam hic addi ualde sit necesse, cuius quidem ratio è superioribus peti non possit. Vnà enim cum corpore torpet animus, torpent sensus, torpet omnis uitæ functio. Naturæ siquidẽ facultates grauatas esse ac declarant, aut debilitatas certè. Grauitatem, & tanquã lassitudinem ac segnitiem torporemq; adfert uel plenitudo, si modò ulla tensio uasorum subesse percipitur: uel magis cacochymia, si quid tanquam ulcerans aut inflammans apparet. Infirmitatẽ porrò tum intemperantia, tum cerebri neruorumq; constipatio aut obstructio conciliat. Cæterùm eædem causæ, aut materiæ plerunque crudæ, aut flatulentæ hypochondriorum dolorem, sic enim præcordia uocat Celsus, si liene aut iecore cõcipiantur, excitant. Et pectoris, & capitis, & oculorum cruciatum, si in his partibus constiterint. Saliuæ copia, modò è capite, modò è uẽtriculo, modò è faucibus nimia humiditate infestatis emergit. Tempora cõstringit, quicquid immoderatè ea refrigerat, exurit, exiccat. Horrent membra, & tota cõcutiuntur, uel ingenti frigore, uel mordaci calore materierum quarundam intus per sensilia membra discursantium. Spiritus autem grauis fit ab ijs quę sub pectore, aut faucibus, aut uẽtriculo, aut si-
C mili quapiam parte computrescunt. Plenitudine & calore quodam tum arteriæ concitantur, tum uenæ distenduntur: frequenter oscitant, qui flatulenta humiditate, aut spiritibus uaporosis inferioris maxillæ musculos alicunde imbutos, plenosq; habent.

Ex quibus sæpe plura.) Hoc in omni de signis ullis disciplina meminisse conuenit, non τεκμήρια notasq; necessarias tantũ, sed & σημεῖα ac signa probabilia, magnaq; ex parte respondentia ea esse, quæ de futura ualetudine præuidenda medici tradiderunt. Vtuntur enim artificiosa quadam coniectura è rerum notis ac signis, non ijs quidem uerisimilibus ac sæpe fallacibus, ut faciunt oratores, collecta: sed quæ non sanè nunquam, sed rarò fallere ac decipere, si accuratè in omnẽ partem cõspiciatur, possint. Vt sunt ea primùm, quæ sumuntur ex totius corporis functionibus atq; officijs: deinde è qualitatibus partium temperaturas consequentibus, quas sensibiles, quòd alicui semper generi sensuum subijciantur, nominant. Postremò ab his quæ à corpore toto reijciuntur, per aluum, per uesicam, per sudorem, per uomitio-

nem, spũta, muccos, cæteraq; similia. Ad quos iam tanq; tres nidos, quęcũq; A
usquam de signis sunt prodita, accõmodari possunt: functiones autem dixi,
in cerebro sensus internos atq; externos, & mouendi cuncti corporis facul-
tatem, & ratiocinationẽ, cogitationem, memoriã: in corde, arteriarũ pulsus,
& affectus animi, ac spirationis omnẽ rationẽ. In iecore, appetendi, coquen
di, dispensandi, nutriendi uim. At qualitates nominaui, tum cõmunes illas
omnium plurium ue sensuum affectiones, ut figurã, situm, numerũ, magni-
tudinem: tum unius alicuius proprias, nempe uisus colorũ genera, olfactus
odorũ formas, gustatus saporũ species, auditus uocum sonorumq; discrimi
na: tactus, quę tangi possunt, calorẽ, frigus, madorem, siccitatem, duritiem,
molliciem, asperitatem, læuitatem, dolorem, pruritum, uoluptatem. Nec ue
rò uniuersa indicia, quæ ad unam rem cognoscendam applicantur, semper
ut appareant necesse est: quanquam si id accidat, firmissimam spem aut for-
midinem facit, sed multis sæpenumero artificiosa coniectura contenta est:
nec paucis tamen satis fidit, uni alteriq; multo minus, nisi id plurium instar
sit, & apprimè momentosum, aut nisi effectuũ omnium uel causarum distri-
butione in unum certumq; adducatur. Certè quo signa & plura, & euiden-
tiora ad eandem rem conspirant, hoc minus dubitationis relinquitur. Et eo
uacillat coniectura magis, quo debilioribus notis & paucioribus sustenta-
tur: singula itaq;, aut pauca si apparent, an quid inde aliàs sit cõsecutum, an B
noua sint, percontabimur: si noua, solerter omnibus rebus expensis, & ani-
mi oculis in omnem partem circumactis, de euẽtu trepidè pronunciandum
est, donec quod certum sit, emicet: sin etiam aliàs apparuerint, metus ac spei
rationem ex se quisq; optimè capiet. Etsi ne his quidem ita fidere oportet,
quin quæ sæpe minitando pepercerint, aliquando demum moram grauita-
te ac periculo pensare possint.

Quæ bona in ægrotantibus signa sint. Cap. III.

VBi uerò febris aliquem occupat, scire licet non periclitari, si in
latus aut dextrum, aut sinistrum, ut ipsi uisum est, cubat, cruri
bus paulùm reductis, qui ferè sani quoq; iacentis habitus est, si fa-
cilè cõuertitur, si noctu dormit, si interdiu uigilat, si ex facili spirat,
si non conflictatur, si circa umbilicum & pubem cutis plana est, si
præcordia eius sine ullo sensu doloris æqualiter mollia in utraque
parte sunt. Quod si paulo tumidiora sunt, sed tamen digitis cedũt,
& non dolent, hæc ualetudo, ut spacium aliquod habebit, sic tuta
erit. Corpus quoq; quod æqualiter molle & calidum est, quodq; C
æqualiter totum insudat, & cuius febricula eo sudore finitur, secu-
ritatem pollicetur, quando iam ad sanitatem uenit corpus. Sternu
tamentũ etiam inter bona indicia est, & cupiditas cibi uel à primo
seruata, uel etiam post fastidium orta. Neque terrere debet ea fe-
bris, quæ eodem die finita est: ac ne ea quidem, quæ quamuis lon-
giore tempore euanuit, tamen ante alteram accessionem ex toto
quieuit, sic ut corpus integrum quod ἐλικρινὲς Græci uocant, fieret.
Si quis autem incidit uomitus, mixtus esse ex bile & pituita debet,
& in urina subsidere album, leue, æquale, sic ut etiam si quæ quasi
nubeculæ innatarint, in imum deferantur. At uenter ei qui à pe-
riculo tutus est, reddit modò mollia, figurata eodem ferè tempo-
re, quo secunda ualetudine assueuit: modò cõuenientia his quæ as-
sumuntur. Peior cita aluus est; sed ne hęc quidem terrere protinus

debet,

A debet, si matutinis temporibus coacta magis est: aut si procedente tempore paulatim cõtrahitur, & ruffa est, neq; fœditate odoris similem aluum sani hominis excedit. Ac lumbricos quoq; aliquos sub fine morbi descendisse, nihil nocet. Si inflammatio in superioribus partibus dolorem, tumoremq; fecit, bonum signum est. Sonus uentris inde ad inferiores partes euolutus: magisq; etiam, si sine difficultate cum stercore excessit.

ENARRATIO.

Non periclitari.) nisi rebus immutatis. Sunt enim quæ hic traduntur indicia, quæ spem quidem de se faciant bonam, pro alijs uerò minimè spondeant.

Si in latus dextrum aut sinistrum.) Hipp. in Prænot. Decumbentẽ, inquit, ægrotum à medico deprehendi conuenit in latus dextrũ aut siniſtrũ, & manus ac collum cruraq; modicè reflexa habentẽ. Et eodem rursus libro, atq; in Coacis item Prænotionibus: Decubitus optimus est, inquit, quo quis dum uale ret, uti solitus fuit. Quibus locis Hippocrates, decubitus formã qualemcũq; ualentium cæteris anteponit, non dextros semper aut siniſtros, nisi si in bona ualetudine fuerint usu frequentati, quod Celsus ita inquit: Sed hos tamẽ
B longè optimos quoq;, si ualentibus ita sunt usurpati.

Si facilè conuertitur.) Hipp. in Prænot. utriſq;: Conuerti autem facilè conuenit ęgrotum, & in se attollendo esse leuem. Si uerò grauis esse appareat, tum reliquo corpore, tum manibus pedibusq;, perniciosius est.

Si noctu dormit, si interdiu uigilat.) Hipp. in Prænot. Quod ad somnos attinet, quemadmodum secundum naturam consuetum nobis est, interdiu uigilare, noctu dormire oportet. Secus si fiat, peius est.

Si ex facili spirat.) In Prænot. utriſq;: Bonam spirationem ualde magnã habere uim ad salutem in omnibus acutis morbis, existimare decet: si quidem cum febribus ij affligant, atq; à quadraginta diebus iudicentur.

Si non conflictatur.) In utriſq; Prænot. Digitis ac pedibus penitus nigrescentibus, alia quoq; signa spectare conuenit: si enim æger facilè ferre uideatur malum, & aliud è salutaribus signis cõtestetur, fore ut morbus ad abscessum conuertatur ægro superstite, sed partibus illis nigris decidentibus, spes est.

Si circa umbilicum & pubem.) Hipp. 2. Aph. 35. ἐν πάσῃσι τῇσιν νούσοισι ἀ πρὶ τ ὄμφαλον, καὶ ἀ ἤτρου πάχος ἔχειν βέλτιόν ἐστι. ἀ δὲ σφόδρα λεπτὸν ἢ ἐκτῆκον μοχθηρόν, ὡσαύτως δὲ ἀ τοιοῦτον καὶ πρὸς πᾶς κάτω καθάρσιας. id est: In omnib. morbis partes circũ umbilicum & pectinẽ, crassitudinem habere melius est. At uehemens extenuatio atq; eliquatio, praua est. Quin & periculosa est purgationibus, quæ per infernas fiunt partes. Ferè in Celsi exemplaribus hoc loco cutis pla
C na legitur. Ego & Hippocratis uerbis adductus, & antithesi cutis macræ, cuius proximo capite fiet mentio, plenam cutẽ hic substituere nihil uerear, aut dubitem. Nam & in Prænot. Conueniunt, inquit, in omni morbo mollem esse uentrem, & iusta mole præditum. Quam molem plena cutis, quàm plana, melius impleuerit.

Si præcordia eius sine ullo sensu.) In Prænot. Præcordium optimum est doloris expers, & molle, & æquale, tum in dextra, tum in siniſtra parte.

Quòd si paulo tumidiora.) In utriſq; Prænot. Tumores præcordiorum molles, & doloris exortes, & qui digito cedunt, tardiores iudicationes faciũt: ac minus, quàm his contrarij, sunt horrendi.

Corpus quoq; quod æqualiter molle & calidum est.) In Prænot. utriſq;: Optimum est, & totum corpus calidum esse, & molle.

Quodq; æqualiter totum insudat.) Ambobus in Prænot. Sudores optimi sunt in omnibus acutis morbis, qui in diebus iudicatorijs fiunt, & febrem omnino submouent: sed & boni quoq; sunt, qui per totum corpus promanãt, & qui,

ut homo facilius morbum ferat, efficiũt. Hippocrates primùm qui sint optí- A
mi ostendit: tum qui, quamuis optimi non sint, boni tamen habeantur do-
cet. Celsus ambo cõfudit & miscuit, præterquam quòd dierum iudicatorio-
rum, iudiciorumq; in morbis rem cum nominibus cautè hoc libro ubiq; fu-
gisse omnino uidetur: sui seculi quorundam medicorum iudicio planè sedu
ctus. sed ea de re tertio libro dicendi amplius, locus dabitur.

Quando iam ad sanitatẽ uenit corpus, sternutamentũ.) Cerebrũ ubi calefit uel igni,
uel sole, uel alia re qualicũq;, calefaciendi ulla ui prædita: aut si est humecta-
tum siue uictus ratione uberiore, siue aeris madore: aut si qui in cerebro est
humor, in uapores ab aliquo calore resoluit, aut uapores in spiritus rarescũt,
atq; diffundunt caliditate: aut si solitũ effluuiũ, seu frigore, seu astringente re
quapiã cohibetur, sternutamentũ oborítur. Id q̃d ad ignẽ è frigore ingressi,
aut è calore in frigidum locũ digressi, & qui solem subitò intuent, aut mican
tius lumen inspiciũt, quotidie in se experiri cernunt. Quod si iam nulla ista-
rum causarũ de ratione crebrius excitet, humidam capitis, unde erumpit, æ-
gritudinem intus ali sæpe minitatur: quam natura ut expellat atq; exturbet,
gemino spirationis incumbit et cõnititur motu. Altero, quẽ per ossa ethmoi
dea in cerebrum trahit: altero, quem à naribus per neruos, ceu per digitos
quosdam prælongos in thoracẽ demissos, è uestigio à pulmone pariter & à
capite spiritũ omnẽ summo nixu summaq; ui elidente exprimit. Ex quo fit, B
ut capiti oppleto uaporibus, plerũq; sternutamentũ conducat uel plurimũ,
nisi ob destillationem eueniat, aut pectoris cuipiam ulceri coniungatur. A-
lioquí enim pulmonis humores fortè fortuna simul excutit, & maturis iam
morbis summopere confert: nam & mali causam, nunc ubi opportunum
est, fortiter elidit, & naturæ uires iam confirmari atque redintegrari signifi-
cat. In crudis uerò uitijs sternutatio licet præmatura sit, neq; quicquam opi-
tuletur, tamen naturæ cum uitio depugnantis uirtutem aliquam arguit.

Et cupiditas cibi uel à primo seruata.) Hipp. 2. Aph. 33. ἐν πάσῃ νούσῳ ὃ ἐρρῶσθαι τὴν δόξαν
νοιαν, ἢν εὖ ἔχειν πρὸς τὰς προσφορὰς, ἀγαθὸν· ἢν δὲ ἐναντίον, κακόν. id est: In omni mor
bo ualere mente, & bene se habere ad ea quæ exhibentur, bonũ est. Contrà
uerò si fiat, malũ. Nam prius, cerebri prosperè affecti neruosorũq; omnium
partium signum est: posterius, cor, iecur, uentriculum ualere, robustaq; esse
denotat. Quæ si nõ ualeant, nec cupidè cibus appeti, nec uires constare pos-
sunt. Quod nullo non tempore felix, dum mediocriter fit, esse debet.

Neq; terrere debet ea febris.) Hipp. 4. Aph. 55. οἱ μὲν βαθέσι πυρετοὶ πάντες κακοί,
πλὴν τῶν ἐφημερίων hoc est: In adenũ inflãmationibus febres oẽs malæ, præter-
quam diarię. Diarię siquidẽ ut à causis ferè externis, aut iuxta magnas uenas
ulceribus nascuntur, ita mitissimæ sunt, & citissimè suauissimeq; desinunt.

Quamuis longiore tempore euanuit.) Diarias etiam biduũ triduumq; durãtes fe-
bres nominat. Nõ sanè à tempore, sed quoniam diariarũ clementiã totumq; C
ingeniũ imitantur: solum hoc nomine differentes, quòd productiores sint,
quodq; stipato corpore à nimia ui frigoris aut æstus, aut astringẽte è balneo
nascantur: huc quoq; refer febres eas, quæ repetunt quidem, sed interuallis
ex toto quietis liberisq;. 4. Aph. 43. ὅτῳ δ' ἂν πρόπαν πυρετοὶ διαλείπωσι, σημαίνει
ὅτι ἀκίνδυνοι. id est: Quocunq; demum modo febres intermiserint, periculo
uacare significat. Eiusmodi autem maximè sunt tertianæ puræ interpolatæ,
& quartanæ quoq; intermittentes. Cæteræ enim integrum corpus, & pror-
sus omnis ægritudinis uacuum, ne per remissionem quidem deserunt. Quo
niam & quotidianę maximè intermittentes aliquid semper turbulentiæ re-
tinent, & reliquæ omnes, donec ex toto terminentur, perpetuò continuant.

Siquis autem incidit uomitus.) In utrisq; Prænot. Vomitus commodissimus ac
minimè molestus est, ex pituita ac bile quàm maximè permixtus, & neque
crassus ualde, neq; multus.

Et in urina.) In Prænot. utrisq;: Optima est urina, cuius toto morbi tempore,

quo

A quoad iudicetur, candida est, & lęuis, & æqualis subsidentia. Securitatem si-
quidē designat, & morbū fore breuem. In iudicationib. uerò suis Hippocra-
tes albissimā subsidentiā in urina optima, nō candidam tantū esse postulat.

Sic ut etiam si quæ quasi nubeculæ.) Quæ nubeculæ deorsum quidē ferunt, eas bonas esse putandū est, & laudādas, inquit in Prænotionib. suis utrisq; Hippocrates: sed & albas easdē utrobiq; pariter esse, quo sint meliores, expetit.

At uenter ei.) Vtrisq; suis in Prænot. Hipp. Alui deiectio optima est mollis & cohærens, & quo tempore ualenti reddi solebat, egesta. Et, q̄d ad copiam attinet, ciborum assumptorum multitudini respondens: hoc enim indicio infernum uentrem sanum esse cognoscitur. Idem eo libro quem de Victus genere in morbis acutis posteritati mandauit, eam aluum prædicat salutarē, quæ toto ægritudinis tempore, ualentis hominis deiectioni similis conspicitur: quæ profectò eiusmodi esse debet, qualem modò depinximus. In libro secundo Prædictionū, eam Hippocrates damnat alui deiectionē, quæ liquidior sit, quàm ut in transitu conformetur. Celsus item cum mollicie figuratā hic postulat, hoc ipso pariter & liquidam & durā uituperandam esse significans. Neq; enim aliud Hippocrates requirit, dum mollem ac cohærentem, & (quod in Coacis adijcit) compactam, alijs omnib. generibus anteponit.

Peior cita aluus, sed ne hæc quidem terrere.) Secundo libro Prænotionum Hippo
B crates, & item in Prænot. Quin, inquit, & egerere (si liquida est aluus) iuxta ingestorū copiam oportet bis aut ter in die, noctuq; semel. Plura quoq; manè, quemadmodum homini consuetum est. Inspissari item decet quod egeritur, morbo ad indicationē uergente, & subfuluum esse, & nō ualde grauiter olere. Celsus hactenus tam ab Hippocratis uerbis non abscessit, quàm iam facit hoc loco. Liquidam enim aluum (citam ipse nominat) matutinis horis coactiorem laudat. Hippocrates nō id quidem, sed plura tum deijcientem. Rursus ille, procedēte tempore, paulatim quæ cōtrahitur, aluum prædicat: si nō iam idem quod cogitur ac spissatur, id ualere & declarare, quod omnino cōgruat, & facilè ab imperitis & indoctis hominibus secus accipi potuit, existimes. Nam & in ambabus Prænotionib. & de Iudicationib. lib. Hippocrat. appetenti morbi iudicio spissiorē reddi aluum planè cōmendat. Postremò Celsus iudicationis nullam facit omninò mentionē, sed eam tota hac de signis doctrina graui delicto, cuius creberrimè meminit Hippocrates, ubiq; prætermisit, ne uerbulo quidē ullo eam alicubi dignatus. Cætera ad unguē tota sententia congruunt, & cum Hippocrate concordant atq; cōsentiunt.

Ac lumbricos quoq; aliquos.) In utrisq; Prænot. Commodum est & lumbricos rotundos cum alui egestione prodire, morbo ad iudicationē tendente. Finē hic, ut passim hoc libro, nisi rem etiam omninò taceat, quàm iudicationem dicere, aut iudicium, aut Græcorū more crisin maluit: haud scio, an insolita
C apud Latinos uocabuli significatione deterritus, non rei omninò ignorantia inductus: sed sunt ita medicinæ, ut cuiusq; artis, certa uocabula, quæ temerè mutari non debent, nec propter nouitatem apud eos qui disertè omnia quàm aptè ac clarè dicere ac legere malunt, repudiari.

Si inflāmatio in superioribus.) Fœdissima ignorantia superiorū temporū hic locus omnis hactenus cōspurcatus habet, sensu & dissipato ac dissoluto, & lō gè omniū uanissimo, quē Hippocratis libris collatis ad longè aliam sententiam reuocare, ut faciemus pòst in alijs bene multis, non dubitabimus. Præcordiorum dolores, in utrisq; Prænotionib. inquit ille, ac tumores si fuerint recentes, citra inflammationē, soluit murmur in præcordio obortum: idq; maximè sanè, si pertransierit cum stercore & urina ac flatu: sin minus, etiam ipsum per se, si permeauerit, prodest. Prodest quoq;, si quouis modo ad infernas partes subsederit. Et 4. Aph. 73. Eandē sententiā uerbis nōnihil cōmutatis breuitatis ergò sic extulit: ὑπόϐοισιν ὑποχόνδρια μετέωρα ἀλλοϐοείζοντα ὀσφύϊ ἀλγήματι ὠδηχυομένῃ, αἱ κοιλίαι τοῖσιν καθυγραίνονται, &c. id est: Quibus præ

cordia sublata ac tumida permurmurant, lumborũ dolore subeunte, his alui A
humectantur, si non flatus erumpant, aut urinæ copia prodeat: hæc uerò in
febribus accidunt. Quibus locis persuasus, Celsum in hæc uerba restituen-
dum esse, cum quouis cõtendere audeam: Si sine inflammatione in superio
ribus partibus dolorẽ quid, tumoremq; fecit, bonum signum est sonus uen-
tris: inde ad inferiores partes euolutus, magisq; etiã si sine difficultate cum
stercore excesit. Consentiunt enim ista doctrinæ Hippocratis, nec habent
quicq; incommoditatis, prẽterquàm quòd ex Celsi more, mutata sunt quæ-
dam, ut partes præcordiorum, siue hypochondriorum, in partes superiores,
uocabulo latius patente: & murmur in sonum uentris, simili figura, quam sy
necdochen & intellectionem uocant. Et quod diminuta truncataq; in fine
sunt quædam, quod ex ijs sentẽtijs, quas modò ex Hippocrate protulimus,
facilè perspici licet: sed sine ueritatis uiolatione graui, quæ non cõmoda in-
terpretatione tota facilè tolli queat, & cum rerũ inter se omnium appositissi
ma cõnexione. quũ quod antè legebatur, & uanissimũ esset, nempe inflam-
mationem in superioribus partibus, si tumorẽ doloremq; faceret, esse signũ
bonũ: quo quid dici aut cogitari poterat uel absurdius, uel uanius? Id ne bo
num signũ sit, quo nihil propè pernicioſius haberi potest? Et erat præterea
proxima sentẽtia nullo sensu, nulloq; iudicio à superiore diuulsa, ex qua ipsa
necessaria coniunctione dependebat. Quid est, si hoc non est, insigne barba B
riei, ne quid dicam atrocius, & ignorantiæ, qua optimi quiq; authores con-
fossi & penè enecti iacuerunt, argumentum? Sed nihilo minus grauia puti-
daq; uulnera paulo pòst, si Deus uolet, aperiemus ac detegemus, & curabi-
mus quoq; plurima.

Mala signa ægrotantium. Cap. IIII.

COntrà grauis morbi periculũ est, ubi supinus æger iacet por-
rectis manibus & cruribus, ubi residere uult in ipso acuti mor
bi impetu, præcipueq; pulmonibus laborantibus. Vbi nocturna
uigilia premitur, etiam si interdiu somnus accedit. Ex quo tamen
peior est, qui inter quartam horam & noctem, quàm qui matuti-
no tempore ad quartã. Pessimum tamen est, si somnus neq; noctu,
neq; interdiu accedit: id enim ferè sine continuo dolore esse non
potest. Æquè uerò signum malum est, etiã somno ultra debitum
urgeri: peiusq;, quo magis se sopor interdiu, noctuq; cõtinuat. Ma
li etiam morbi testimonium est, uehementer & crebrò spirare, à se
xto die cœpisse inhorrescere, pus expuere, uix excreare, dolorem
habere continuũ, difficulter ferre morbum, iactare brachia & cru- C
ra, sine uoluntate lachrymare, habere humorem glutinosum denti
bus inhærentem, cutem circa umbilicum & pubem macram, præ-
cordia inflammata, dolentia, dura, tumida, intenta, magisq; si hæc
dextra parte quàm sinistra sunt: periculosissimum tamen est, si ue-
næ quoq; ibi uehementer agitantur. Mali etiam morbi signũ est,
nimis celeriter emacrescere, caput & pedes manusq; calidas habe
re, uentre & lateribus frigentibus, aut frigidas extremas partes a-
cuto morbo urgente, aut post sudorem inhorrescere: aut post
uomitum, singultum esse, uel rubere oculos: aut post cupidita-
tem cibi, post ue longas febres hunc fastidire, aut multum sudare,
maximeq; frigido sudore: aut habere sudores non per totum cor-
pus æquales, quicq; febrem non finiant, & eas febres quæ quotidie

tempore

A tempore eodem reuertantur, quæ ue ſemper pares acceſſiones habeant, neq; tertio quoq; die leuent: quæ ue cõtinuent, uel per acceſſiones increſcant, per diſceſſiones tantum molliantur, nec unq; integrum corpus dimittant. Peſſimum eſt, ſi ne leuatur quidem febris, ſed æquè concitata continuat. Periculoſum eſt etiam poſt arquatum morbum febrem oriri, utiq; ſi præcordia dextra parte dura manſerunt, ac dolentibus his lęua. Nulla acuta febris leuiter terrere eos debet. Neq; unq; in acuta febre, ut à ſomno non eſt terribilis neruorum diſtentio. Timere etiam ex ſomno mali morbi eſt. Item q; in prima febre protinus mentẽ eſſe turbatã, membrum ue aliquod eſſe reſolutũ. Ex quo caſu quãuis uita redditur, tamen id ferè membrum debilitatur. Vomitus etiam periculoſus eſt ſincerę pituitę, uel bilis: peior q;, ſi uiridis aut niger eſt. At mala urina eſt, in qua ſubſidunt ſubrubra, aut liuida: deterior, in qua quaſi fila quædam tenuia atq; alba: peſſima ex his, ſi tanq; ex furfuribus factas nubeculas repræſentat. Diluta quoq; atq; alba uitioſa eſt, ſed in phre
B niticis maximè. Aluus autem mala eſt, ex toto ſuppreſſa. Periculoſa etiã, quæ inter febres fluens conquieſcere hominem in cubili nõ patitur: utiq; ſi quod deſcendit, eſt perliquidum, aut albidum, aut pallidum, aut ſpumãs. Præter hęc periculum oſtendit id q̃d excernitur, ſi eſt exiguum, glutinoſum, leue, albũ, idem q; ſubpallidum: uel ſi eſt aut liuidũ, aut bilioſum, aut cruentũ, aut peioris odoris, q; ex cõſuetudine. Malum eſt etiã, q̃d poſt longas febres ſincerũ eſt.

ENARRATIO.

Vbi ſupinus.) In Prænotionibus: Supinum iacere, & manus, & collũ, & crura extenſa habere, minus bonum. Colli Celſus non meminit: quemadmodum nec huius ipſius, neq; manuum quoq; Hippocrates, in Coacis Prænot.

Vbi reſidere uult in ipſo.) In Prænot. Hipp. Erectũ ſedere uelle ægrũ in morbi uigore, in omnib. morbis acutis malũ eſt: peſsimũ aũt in peripneumonicis, pulmone inflãmato. Celſus impetũ pro uigore, ſummaq; acerbatione, quã habere poteſt morbus, poſuit: quũ impetus uocabulo aliàs paroxiſmus omnis, & quæcunq; ex interuallo recurrit exacerbatio ſignificetur. Deinde pulmones laborãtes pro inflãmatis, ampliore quàm res ferat nomine ſubſtituit.
C Non enim in dyſpnœa aut aſthmate, illã ſpirãdi difficultatẽ, hoc anhelationem Latinè appellamus, uelle reſidere, malũ ſic eſt, ut nouũ inſolẽsq; periculum minitetur: ſed id pulmoni inflammato accidere, nouũ terrorẽ & ingentem metum obiicit. Vero propius eſt, quod Hippocrates in Coacis Prænotionibus in pleuritide parem formidinem ſubeſſe, ſi quis ita reſidere cupiat, dicit: quando pleuritis acutus quoq;, & peripneumonię uicinus morbus eſt.

Vbi nocturna uigilia.) In Prę not. utriſq;. Antè dixerat interdiu uigilandũ eſſe, noctuq; dormiendũ. Deinde cõtinuò adiicit: Si uerò hoc fuerit trãſmutatũ, peius eſt. Minimè uerò lędi æger poterit, ſi dormiat manè ad tertiã diei partem. Qui uerò ab hoc tempore fiunt ſomni, deteriores ſunt. Peſsimũ autem eſt non dormire, neq; noctu, neq; interdiu. Aut enim prę dolore & affectionibus uigiliæ premunt, aut delyrium ſecuturum eſt ab hoc ſigno. Celſus magna uenuſtate ac fide omnia reddidit. Eſt enim afflictio uel dolor moleſtus, uel è tali dolore naſcitur: ſed delyri mentio ab huius loci inſtituto aliena erat. De quo Hippocr. 7. Aph. 18. ubi is è uigilia ſeu conuulſionem, ſeu delyrium malum prædicat.

Aequè

Aequè uerò signum malum est.) 2. Aphoris. 3. Somnus aut uigilia, utrumuis ubi modum excesserit, malum est. Et primo libro Prædictionum: Sopor est ubique malus. A

Maliq; etiam morbi testimonium.) 4. Aphoris. 68. Hippocrat. ἐν τοῖσι πυρετοῖσι δ' πνεῦμα πρόσκοπον, κακὸν· ἀσασμὸν γὰρ σημαίνει. id est: In febribus spiritus offendens atq; subsistens, malus: conuulsionem nanq; significat. Neruorũ siquidem & musculorum eorum qui thoracẽ mouent, siccitate prouenit. Verùm Celsus hoc loco nõ tam huius, quàm densi naturam depingit. De quo Hippocrat. in Prænotion. Densus spiritus dolorem aut inflammationẽ in locis supra septum trãsuersum denotat. Et eodem libro: Mala, inquit, signa sunt, ægrè ferre morbum, spiritum magnum ac densum esse, dolorem non mitigari, sputum uix tussiendo reijcere, ualde sitire, corpus inæqualiter à febre teneri, uentrem quidem ac costas magno æstu premi, frontem uerò & manus ac pedes frigere.

A' sexto die cœpisse inhorrescere.) Hippocr. 4. Aphor. 29. ὁκόσισιν ἐν τοῖσι πυρετοῖσιν ἐκταίοισιν ἐξέσι ῥίγεα γίνεται, λύσκεται: id est: Si cui per febres sexto die rigores fiunt, mali indicij sunt: sic, ut uel ultra debitum tempus prorogentur, uel desinant non integrè, uel relabantur, uel perniciem adferant. Porrò Celsus, τὰ ῥίγεα horroris uocabulo conuertit: quem alij, uti decuit, rigore mitiorem statuerunt: sed de hoc ipso suprà dictum est, esse nempe rigorem inæqualem, & uehementem uniuersi corporis quassationem. B

Pus expuere.) Pectoris siquidem, aut pectore atq; thorace comprehensi uisceris, aut gutturis, aut eius canalis exulcerationẽ subesse significat, quorum nihil est quod non magnopere sollicitum hominẽ habere debeat, aliàs aliasq; magis ac minus. Hippocratres 4. Aphoris. 47. Excreationes, inquit, in febribus non intermittentibus liuidæ, & cruentæ, & graueolentes, & biliosæ, omnes malæ sunt. At probè uerò secedentes bonæ sunt, et per alui deiectiones, & per urinas. Si uerò nihil per hæc loca, quod adiuuet, excernatur, malum est.

Iactare brachia & crura.) In Prænot. Et manus, & collum, & crura inæqualiter dissecta ac nuda habere, malum est: anxietatem enim declarat. Celsus nec colli, nec nuditatis, nec anxietatis commeminit: non colli, quia quòd pari careat, uariè quidem posse moueri, non inæqualiter dissici posse, fortasis uideatur. Non nuditatis, quoniã alio loco de ea quid minitet, scripserit: non denicq; anxietatis, quando ipsa facilè è partibus dissectis intelligatur. At Hippocrates optimo iure omnium commeminit. Causamq; eius quisq; & eorũ omnium quę de signis consequentur, ex Galeni benignissimis fontibus abundè, plenaq; manu haurire poterit.

Sine uoluntate lachrymare.) ὁκόσοισι τοῖσι πυρετοῖσιν, ἢν ἐν τῇσιν ἀῤῥωστίῃσι κατὰ προαίρεσιν οἱ ὀφθαλμοὶ δακρύσωσιν, ὀδὲν ἄτοπον, ὁκόσοι δὲ μὴ κατὰ προαίρεσιν, ἀθυμώτατοι. C inquit Hippocrates 4. Aphoris. 52. Quicunque in febribus, aut alijs ægritudinibus suo arbitratu sponteq; lachrymantur, nihil absurdi: qui uero præter uoluntatem, absurdius. hoc enim ab infirmitate euenit. Vt Temenæ sorori 4. Epidemion: Illud uel animi perturbatione & tristitia, uel ui expressis, tutisq; oculis fit.

Habere humorem glutinosum.) 4. Aphoris. 53. Hippocrat. ὁκόσοισιν ὠδοῦσιν ἢν ὀδόντων ἐν τοῖσι πυρετοῖσι πρόγλισχρα γίνηται, ἰσχυρότατοι γίνονται οἱ πυρετοί. id est: Quibus circa dentes in febribus admodum uiscida adhæserint, uehementiores ipsis febres fiunt; febrili nempe ardore lentorem hunc efficiente.

Præcordia inflammata, dolentia.) In Prænotionibus: Præcordium inflammatum, aut dolorem exhibens, aut dextra parte secus ac siniſtra affectum, hæc omnia obseruare oportet. in Coacis uerò Prænot. Non leuis, inquit, ægritudinis hæc signa sunt: si uerò etiam pulsus suberit in præcordio, turbationẽ denunciat, aut delyrium. Verùm oculos talium præter hæc intueri oportet, qui si

A qui si frequenter dimouentur, ne furiosi euadant metus est. Tumor in præcordio si durus est & doloroſus, peſsimus quidem is est, ubi per totum ſpargitur præcordium. Sin in alterutra tantū fuerit parte, minus periculoſus est in ſiniſtra. Sed & alia multa ad hanc rem cumprimis utilia, eo dē loco de Prę cordiorum tumoribus refert Hippocrates. Et Celſus quoq; mox eadem de re uariſs in locis pro re præſente, quā tractabit, uerba facturus est. Nam tumores prę cordiorum ſoli qui periculo uacāt, ſuperiore capite expoſiti ſunt: & hoc, duntaxat qui malum imminere denunciant.

Mali etiam morbi ſignum est nimis celeriter.) 2. Aphor. 28. Febricitantiū, ait Hippocrates, non omnino leuiter, permanere, & nihil minui corpus, aut etiam magis quàm pro ratione colliqueſcere, malum est. Prius enim morbi longitudinem, poſterius debilitatem ſignificat.

Caput & pedes manuſq; calidas.) In Prænot. utriſq; Hippocr. Caput & manus, & pedes contrà ſi frigida ſunt, malum est ubi & uenter, & latera calida ſunt. Quæ ſi iam inuertas, ex uitio ſanè aliquo etiam proficiſcuntur.

Aut frigidas extremas partes.) 7. Aph. 1. ἐν πῖσιν ὀξεισι νουσήμασι ψύξις ἀκροτηρίων, κακόν. id est: In morbis acutis extremarum partium frigus malum est. Malum quoq; in uehementi circa uentrem dolore, ſi quid eiuſdem libri Aphoriſ. 27. credimus.

B *Aut poſt ſudorē inhorreſcere.*) 7. Aphor. 4. ὑδρώτι φρίκη ἀγαθόν. id est: Poſt ſudorem horror bonus non est. Quoniam noxiæ materiæ copiam in partibus ſenſilibus deliteſcere notat.

Aut poſt uomitum ſingultum eſſe.) Hippocr. 7. Apho. 3. ὑδρὶ ἐμέτῳ λύγξ, καὶ ὀφθαλμοὶ ῥυθροὶ, κακόν. hoc est: A' uomitu ſingultus & oculi rubicundi, malum. Quippe hæc coniuncta (licet Celſus diſtrahat, ſeparetq;) uel uentriculi, uel potius cerebri inflammationem ſignificant. In Coacis itaq; Prænot. Ex meracis, item uomitionibus ſingultus aut conuulſiones malitiæ cōdemnantur.

Aut poſt cupiditatem cibi.) Id Celſus ex oppoſitione eorum, quæ ſuperiore capite de cibi appetentia ſunt dicta, ſumpſit. Nam ſi appetentia in omni ægrotatione expetenda est, certè cibum faſtidire malum est. Hippocr. 7. Aphor. 6. ὑδρὶ νόσῳ πολυχρονίῃ ἀσιτίη κακόν. id est: In morbis longis cibū faſtidire malum est. Ne quis, quod Celſus hic refert, de acutis intelligat: qui propterea deſignatè inquit, poſt longas, & poſt cupiditatem. Id quod ex 2. Aph. 32. tranſtuliſſe uidetur, ubi hæc prodita ſunt: ὡς τὰ πολλὰ πάντων οἱ φαύλως ἐχόντων κατ' ἀρχὰς μὲν δύσιτέοντων, καὶ μηδὲν ὠφελουμένων, πρὸς τῷ τέλει πάλιν ἀσιτέουσιν. οἱ δὲ κατ' ἀρχὰς ἀσιτέοντων ἰσχυρῶς, ὕστερον δὲ δύσιτέοντων, βέλτιον ἀπαλλάσσουσι. id est: Plerunq; omnes qui malè habent, ſi ab initio cibum bene capiant, nec robo rentur, tandem ſub finem cibum rurſus faſtidiunt. At qui ab initio cibū ualde auerſantur, ac deinde cibum probè capiunt, melius euadunt.

C *Aut multum ſudare.*) Sunt hæc tam multis locis in Hippocrate repetita & inculcata, ut quem primùm proferam, penitus ignorem, 4. Aphoriſ. 42. ἱδρὼς πολὺς ψυχρὸς ἢ θερμὸς ἀεὶ ῥέων, ὁ ψυχρὸς μείζονα, ὁ δὲ θερμὸς ἐλάσσονα νοῦσον σημαίνει. id est: Sudor multus ſiue frigidus, ſiue calidus aſsiduè fluens: frigidus maiorē, ac longiorem, calidus minorem breuioremq; morbum indicat. Et primo libro Prædict. Sudor multus cum febribus acutis, malus. ſed in Prænotionibus quæcunq; Celſus habet, præſcripta ſunt ab Hippocrate pleniſsimè, quē idcirco ſolum locum protuliſſe propè ſuffecerat: Sudores peſsimi habentur frigidi, & tantum circa caput ac faciem ceruicemq; oborientes: hi etenim in acuta quidem febri mortem denunciant, cum mitiore uerò morbi longitudinem. Et eodem libro paulo ſuprà: Sudores, inquit, qui neq; febrem perfectè ſubmouēt, neq; eandem leuant, incommodi ſunt. At 4. Aph. 56. Qui febrienti, febri non remittente, ſudor accidit, prauus est. Moram enim hic trahit morbus, multamq; humiditatem ſignificat.

Et eæ febres quæ quotidie.) ὁκόσοισι παροξυσμοὶ γίνονται, ἢν αὖ ὥρην ἄφῃ ὁ πυρετὸς ὃν

τὴν αὐτὴν ὥρην ἡμ λάβῃ, λύσκειται. id quod habet Hipp. 4. Aph. 30. id est: Quibus exacerbationes accidunt, quacunq; tandem hora febris dimiserit, si eadem postridie corripuerint, difficile iudicium sortiuntur. Quibus ego uerbis impulsus, pro ὃ eas in accusandi casu, quē uulgò pleraq; exemplaria habēt, primùm casum pluratiuū, eæ, sufficio. Vt ne sudores cum his febribus quotidianis, nulla authoritate, & ratione exigua consocientur: sed ut, quemadmodum sudores dicti, & fastidia, cæteraq; exposita malum euentum præ se ferunt: sic has febres eodem tempore recurrentes, & pares accessiones seruantes, à periculo minimè immunes esse intelligamus. A

Neq; tertio quoq; die leuentur.) Alludit ad illum Hippocr. ex 4. lib. Aphor. 43. Οἱ πυρετοὶ ὁκόσοισι μὴ ἀφαλέες ἐπῆδε, ἀφ' ἁ τρίτης ἰσχυρότεροι γίνονται, ὠμὴ κίνδυνοι· ὅτῳ δ' ἂν πρόσω ἀφαλέα ᾖ, σημαίνει ὅτι ἀκίνδυνοι. id est: Febres quæcunq; non intermittentes tertio quoq; die intenduntur, periculosæ sunt. at quæ quoquo modo intermiserint, periculo carere eas testimonio est. Semitertianas enim uterq; suis uerbis depingit, quæ & continuæ sunt, & formidandis horrēdisq; signis plenæ: nempe lethargicis delationibus, atq; attonitis, sideratisq;, & uigilijs, & syncopis, & totius corporis metuendis turbationibus refertæ. Cæterùm quæ Celsus de continuis cæteris, & per accessiones increscentibus, ac nunquam integrum corpus dimittētibus attexit, facit id paraphrasticōs, ex aphorismi Hippocratici parte posteriore: quæ laudatis solis ijs, quæ sincerè interdesinunt, tacitè, quicquid in febribus tale non est, damnat. B

Periculosum est etiam post febrem.) Dubium nemini esse debet, hunc quoq; locum corruptè mendoseq;, in ijs qui typis excusi extant, exemplaribus, lectū esse: quo, febrem post arquatū morbum oriri periculosum esse, significatur. Constat enim, atq; in cōfesso est, tum rei natura bene perspecta, tum Hippocratis sententia ex 4. Aphor. 6. & è Coacis Prænotionibus, prolata, febribus contra bifariam arquatū morbum uitioſè superuenire. Tum si septimū ante diem appareat, tum si post eundem cum præcordiorū duritie suboriatur. sic enim ille scriptū reliquit: Morbus regius (Celsus arquatū uocat) ante septimum diem si accedat, malus est. Nec scripsit tantū hoc pacto Hippocrates, sed & legit & approbauit omnis deinde posteritas. Adijcit itaq;: Septimo uerò, ac nono, & undecimo, & decimoquarto, iudicatorius est, si non etiam hypochondria indurauerit. Sin id fecerit, etiam ambigua res est. Quæ repetuntur ferè Aph. & 62. & 64. eiusdem libri. Quare hoc modo Celsus emendari ac restitui poterit, & nisi fallor, etiam, ut sanus sit, debebit: Periculosum est etiam arquatū morbū post febrē oriri. utiq; si præcordia dexta parte dura manserunt, aut dolentibus his læua. Vbi codices excusi rursus, ac pro aut habent, non bene, meo quidem iudicio. Celsus numeros dierū neq; parium, neq; impariū ullo usquam loco dignos existimauit. Et eorundē obseruationem explanatè alibi sugillare nō dubitauit. Itaq; id hoc loco delinquit, quòd falsa hac persuasione, ex gemino naturæ peccato simplex statuit. Duplici nanq; nomine, ut modò docui, arquatus in febribus improbè superuenit: si ante septimū diem, aut si cum hypochondrij duritia corripiat. Nam ἐν τοῖσιν ἰκτερικοῖσι ἢν ἅπαξ σκλήρον γένηται, πονηρόν. 6. Aph. 42. id est, Morbo regio affectis, iecur indurescere malum: idq; nullo non tempore. Arquatus uerò post diem sextū sæpe etiā bonus est, & iudiciarius, si diebus illis imparibus, quos modò tradidimus, hominē mundat. Plinius hunc locūde ictero Hippocratis, uanitatis insimulare non dubitauit. Sed non animaduertit iste, de iecoris hæc inflammatione dicta esse. Celsus ut alterius delicti iacturā pensaret, hic etiam sinistri hypochondrij dolorē simile ferè uitium attexuit: solet aūt frequenter dolorem, hoc potissimū libro, pro inflammatione sufficere. Quod si ipsum hic etiā feciſſe largiamur, nihil absurdi magnopere cōmissum arbitrabor. Quinetiā quàm est ab dextro hypochondrio inflāmato morbus regius intempestiuus detestandus, tam est propè periculosus fortasis, cum sinistri C

hypochon-

A hypochondrij inflammatione subortus. Præsertim quum sit arquatus etiam duplex, à iecore flaueſcens, et à liene subnigricans. Id quod tacitè Hippocrates notasse uidetur, dum hypochondriorum uno nomine, uel tota ipsa, uel ipsorum dextram, uel læuam partem complectitur.

Nulla acuta febris leuiter.) Omnes acutas febres, si non felici uacuatione in die quopiam iudiciario finiantur, periculosum subitumq; exitum sortiri, omnibus seculis compertum est: eamq; uel interitus, uel recidiuæ, quæ morte plerunq; nō multo sit tutior. Neq; ullæ sunt quæ per initia quò demū euadant, obscurius præ se ferant: nullæ de insperato citius tum in partē meliorem ac salutem, tum in deteriorē atq; perniciem ruunt. Quare Hipp. 2. Aph. 19. Τῶν ὀξέων, inquit, νοσημάτων δὲ πάμπαν ἀσφαλέως οὐ πρόσεστι προγινώσκειν, οὔτε τὸν θανάτου, οὔτε τὴν ὑγιείης. id est: Acutorum morborū non omnino certæ sunt prædictiones, neque mortis, neque salutis. Vocat autem eos omnes acutos, qui citò iudicantur, eoq; protinus summam acerbitatem obtinent.

Neq; unquā in acuta febre ut à.) Ex 4. lib. Hipp. duos Aph. hic in simplicē orationis sententiā contexuit. Alterū 66. ἐν τοῖσι πορίσιμον ὄφεσιν οἱ σπασμοὶ, καὶ οἱ πρὸς τὰ σπλάγχνα πόνοι ἰσχυροὶ, κακόν. id est: In febribus acutis cōuulsiones, et circa uiscera uehemētes dolores, malū. Alterū: ἐν τοῖσι πυρετοῖσιν οἱ ἐκ τῶν ὕπνων φόβοι, ἢ σπασμοὶ, κακόν. id est: In febribus post somnos timor, aut cōuulsio, malū.

B *Timere etiam ex somno.*) Istud melancholici humoris copia caput grauari declarat, uti conuulsio pituitæ multitudine neruos redundare denotat. Quæ quemadmodum nunquam bona sunt, ita in febribus præcipuè acutis multo sunt peiora. Hippocr. 2. Aph. 1. ἐν ᾧ νοσήματι ὕπνος πόνον ποιέει, θανάσιμον. hoc est: In quo morbo somnus laborem adfert, lethale. Nam de timore ex somno, iam nunc in proxima sententia dictum est.

Itemq; protinus mentē esse turbatam.) 2. lib. Prædict. Hipp. In principijs febrium siue delyriū accesserit, siue mēbri alicuius sideratio cōtigerit, periturū hominem, sciendum est: si non omnino aut ex optimis signis aliquod accesserit, aut corporis uires sufficiant. Quare is cōsiderandus modus est, quippe homini spes etiam salutis tum supererit: at ita, ut si superstes maneat homo, claudus reddatur articulus in quem uitium incubuerit. Et certè si quod 2. Aphoris. 33. scribit, ἐν πάσῃ νόσῳ ἀγαθὸν ἡ ἐρρωδήσασα διάνοια, ἀγαθόν. id est: In omni morbo ualere mente, bonū est: turbari nimirum, malum est. Maximè in principijs, & antè maturitatis morbi indicia, post quæ mali iam nihil idem denunciat, sed crisim iudiciumq; modò instare ægritudinis monet.

Vomitus etiam periculosus est sinceræ.) In Prænot. utriusq;: Vomitus meraciores, deteriores sunt. Si uerò id q̄d uomitu reiectū est, prasini uiridisq; fuerit colorit, aut liuidum, aut nigrum, quicūq; horum fuerit colorū, malum esse putandum est. Celsus liuidū data opera cōsulto omisisse uidetur. Quod is Hip-

C pocrati paulo pòst non malus solum, uerumetiam citam mortem, iamq; appetentem minitari tradatur: sed addit ibi Hippocrates, si graueolens fuerit. Alioqui ubi non putet, liuidus inter malos tantum censeri debet. Prasinus autem is color dicitur, qui ad morem porraceorum foliorum uiret.

At mala urina est, in qua subsidunt.) Si quæ de subrubra & liuida hypostasi atq; subsidentia hoc loco docent, è Coacis Prænot. nō sunt decerpta, qua authoritate uetusta ea cōfirmē, nō inuenio. Verū illic malitiæ neutra apertè insimulatur: solū subrubra morbū nullo cū metu productū iri, liuida præcordiorū dolorē significare traditē. Quæ uerba sicut uituperationi, quàm laudi propiora sunt: ita rationē nōnullam subesse uideo, cur utraq; nō bona esse credatur: idq; si & coloris modò naturā cōtemplemur, & optimæ urinæ notas cōferamus. Abest enim uterq; color plurimū, sed maximè liuidus, à candidissimæ subsidentiæ, quæ optatissima ducitur, natura. Et in cæteris excremētis alui, sputi, sudoris, uomitionis similes damnari colores omnibus cōsueuerunt. Id tantū igitur meminerimus oportet, dum malitiæ eas subsidentias taxamus,

urinam ſubrubram cum ſubſidentia ſimili ac leui diuturnum quidem mor- A
bum ſignificare, ſed admodum ſalutarem, quod ſcriptum reliquit Hippocr.

Deterior in qua quaſi fila.) Id credo Celſus in his uerbis ſpectauit, quod in Præ not. utriſq; inquit Hippocr. Sed & pinguedines ſuperne inſtantes, araneo-rum telis ſimiles, damnare oportet. Sũt enim quædam colliquationis ſigna: has Celſus quaſi filis albis ac tenuibus, & Latinè, & claré proximeq; deſi-gnari atq; explanari poſſe ratus eſt. Nam quum colliquationis pingues illæ guttulæ minutis ueluti filis & tenuibus lineis dirimuntur: tum reticulorum telarumq; plagæ, atq; interſtitia quædam quaſi feneſtrata, filisq; diſtincta in ipſis cernuntur. Vtcunq; tamen ſit, res modò intelligatur, quibus id uerbis fiat, parum referre puto. Nec aliud quò Celſi ſententia referatur, atq; illuſtre tur, uſquam inuentum iri exiſtimo.

Peßima ex his.) Oro te atq; obſecro lector, accuratè hæc mecũ ut inſpicias, ſint ne hæc nimis quàm pro re præſente, diminuta atq; obſcurata. Minuta quidem uoco & truncata, quando inter eas res, quæ in urinis ſubſidunt, tum crymnodeos, à polentæ craſsioris quam præ ſe fert, ſimilitudine, tum lami-noſæ, tum albæ tenuisq;, tum denicq; furfuraceæ ſubſidentiæ, ut fecit Hippo crates, meminiſſe oportuerat. Cæterùm obſcurata dixi, quum tanquam è furfuribus factas nubeculas cõmemorat. Nubes enim eiuſmodi nemo legit, nec uidit, puto, unquam. Sed iamdudum uidere mihi uideor, quid Celſo (ſi B
eius modò hæc culpa fuit) impoſuerit. Quamobrem repetã uerba Hippo-cratis ea, quib. quæ diminuta dixi, cõprehendantur omnia: hinc mox quid errorẽ pepererit, oſtendam. Subſidentiæ (inquit ſenex ille & medicinæ pa-rens ſapientiſsimus) in urinis craſsiores polentæ partes præ ſe ferẽtes, prauę ſunt: his tamen peiores, laminoſæ. Albæ porrò & tenues, admodum malæ: uerùm & his ipſis deteriores ſunt furfuraceæ. ſequitur deinde continuò: Nu beculæ quæ feruntur in urinis, albæ quidẽ bonæ ſunt, nigræ uerò malæ. Ha ctenus quanta potuimus fide, uerba Hippocratis protulimus. In quibus ui-des principiò, in prauis ſubſidentijs, quatuor ordine gradus expoſitos eſſe. Primùm, eas quę polentæ partes craſsiores referant: deinde peiores lamino ſas, tum utriſq; etiam deteriores albas tenuesq;, poſtremoq; uitioſiſsimas il-las furfuraceas. Quas quum Celſus aptè uereq; peſsimas appellaret, minus noxias illas alias quoq;, ut in quibus peſsimæ eſſent cognoſceretur, adijcere debuerat. Sed uides quoq; poſt hæc, quæ nubeculæ bonæ, quæq; malignæ habeantur. At iſta, quiſquis ea ſcripſit, ita ſeparata non animaduertit. Adiectiuum nãq; furfuraceæ, ſummo errore & ueri diſpendio nubeculis adiecit, quod erat ſubſidentiarũ ſubſtantiuo apponendũ. Quare è Celſo nubeculas iſtas libens ſuſtulero, ut à craſsiſsima caligine, qua cõrectus à nemine hacte-nus cognoſci potuit, totus tandem uindicetur. Atq; in hunc modũ poſthac legendum cuiq;, ne quid uſquã ceſpitet, cenſebo: At mala urina eſt, in qua C
ſubſidunt ſubrubra, aut liuida: deterior, in qua quaſi fila quædam tenuia ara nearum innatant: peſsima ex his, ſi tanquam ex furfuribus factas ſubſiden-tias repræſentat. Nam hæc ſi minus uidetur compta oratio, res certè eſt me-lior, imperfecta tamen adhuc, ſi non reliquas illas ex Hippocrate ſubſiden-tiæ formas adiunxeris.

Diluta quoq; atq; alba uitioſa eſt.) Non hypoſtaſin quidẽ atq; ſubſidentiã, ſed di lutam urinã, quam Plin. cryſtallinã lib. 28. cap. 6. aqueã Actuarius lib. 1. cap. 2. Hipp. ἀλαφανίαν uocat, intelligito. 4. Aph. 72. ὁκόσοισι ἂρα ἀλαφανίαι, λευκαὶ, πυκνὰι, μάλιστα δὲ ἐν τοῖσι φρενιτικοῖσιν ἢν ὑπαφαίνηται. id eſt: Quibus urinæ pellucidæ & al bæ, malæ, maximè ſi in phreneticis apparent. Quandoquidem in his bilem omnem & craſsitiem urinæ in caput abreptam declarant. In reliquis extre-mam cruditatem, aut obſtructionem, aut naturæ imbecillitatem, aut denicq; hæc omnia denotant.

Aluus autem mala eſt ex toto.) Quia alui purgamenta diutius æquo in corpore retenta,

A retenta, ipsa putrefieri necesse est, & pessimis putidisq; uaporibus reliquum corpus afficere, unde capitis grauedo, aut cordis palpitatio, aut uentriculi fastidia, & totius corporis debilitas consequatur.

Periculosa etiam est, quæ inter febres fluens.) In Prænot. Si liquida fuerit alui egestio, conducit neq; stridere, neq; frequentẽ esse, & paulatim secedere. Delassatur enim homo ex frequenti desessu, & uigilias utiq; contrahit. Si uerò sæpe aceruatim egerit, periculum est, ne in animi deliquiũ præcipitet. idemq; Prædict. lib. 2. Liquidiores deiectiones, quę cum febribus fiunt, si longæ fuerint, penitus malæ sunt, siue biliosæ fuerint, siue pituitosæ, siue crudæ. Cæterùm huc quoq; uel maximè quadrant, quando sua illinc Celsus omnia desumpsit, illa in Prænotionũ uolumine tradita: Aquosum ualde, aut albũ, aut pallidum, aut uiride, aut uehementer ruffum, aut spumosum stercus egerere, hæc omnia mala sunt. Malum insuper est, & quod exiguum est, & uiscidum, & album, & quod subpallidum, aut subuiride, ac leue sit. Celsus liuidũ etiam huc, & biliosum, & cruentum, & malè olens, è superiori catalogo adiecit: fortassis quòd ista, si singula appareãt, minus esse mortifera cognosceret, quàm si alijs aut inter se permixta deijcerentur. Quando huius quoq; nomine Hippocrates ipsa summè pernicioſa esse pronunciat.

Malum est etiam quod post febres.) 7. Aphor. 6. Hippocr. ὧν νόσῳ πολυχρονίῃ ἀσιτίη, καὶ χολώδεα ἐκκρίσιος, κακόν. id est: In morbo diuturno fastidium cibi &
B meracæ deiectiones, malum. Fastidium quidem, quia concoctricis uirtutis infirmitatem denotat: Meracæ deiectiones, quia aquosa omni ipsarum substantia per febres exusta, consumptaq;, eueniunt.

De signis longæ ualetudinis. Cap. V.

POst hęc indicia, notum est, longum morbum fieri. Sic enim necesse est, nisi occidit. Neque uitæ alia spes in malis magnis est, quàm ut impetum morbi trahendo aliquis effugiat, porrigaturq; in id tempus, quod curationi locum præstet. Protinus tamẽ signa quædam sunt, ex quibus colligere possumus morbum, etsi non interemerit, longius tamen tempus habiturum. Vbi frigidus sudor inter febres non acutas circa caput tantum, & ceruices oritur, aut ubi febre non quiescente corpus insudat: aut ubi corpus modò frigidum, modò calidum est, & color alius ex alio fit: aut ubi quod inter febres aliqua parte abscessit, ad sanitatem non peruenit: aut ubi æger pro spacio parum emacrescit. Item si urina modò liquida & pura est, modò habet quædam subsidentia, leuia, atque alba rubrá ue sunt, quæ in ea subsidunt, aut si quasdam quasi maculas re-
C præsentat, aut si bullulas excitat.

ENARRATIO.

Sic enim necesse est.) Refert signa horrenda, quo nam tempore in morbis oriantur. Cum crudítate enim morbi nunquam bona sunt. Cum maturitatis uerò indicijs atque concoctionis morbi, non semper mala. Quare, quod docet Hippocrates, signis, ne bonis quidem ipsis in speciem, quũ nulla ratione subleuant, fidere oportet: nec formidare nimis quoq; mala, si quæ citra rationem eueniant, est necesse. Multa siquidem talia inconstantia parumq; firma sunt, quippe quæ neque diu permanere, neque longo tempore produci consueuerunt. Cæterùm nulla ratione Hippocrati releuare ea dicuntur, quæ citra aliquam uel sponte uel arte factam uacuationem, nulloq; antè cõcoctionis indicio conspecto, mitigantur. Vel enim ea peius aliquod monstrũ intus alũt, q̃d mox per se apparebit: uel relapsum experiẽtur.

Mala autem ea citra rationẽ accidere dicuntur, quæcunq; post cõcoctionis A
notas horrendæ res apparent, crisis iudicijq; appetentis internunciæ. Nam
q̃d Celsus inquit, In magnis malis impetũ morbi trahendo effugi: in crisi im
perfecta morbi salutaris locũ habet. Perfecta nanq; morbum totũ idonea ua
cuatione uel sanguinis, uel alui, uel lotij, uel sudoris, uel uomitus, uel horum
pluribus, post certa concoctionis testimonia eripit. Duabus etenim his for-
mis morbi salubriter desinunt, si uel lentè quasi in salutẽ pristinã migrando,
uel subitò noxã abrumpẽdo, ualetudinẽ reddant. Id q̃d fit, impetu quodam
ferè terribili, & (ut Hippocrates dixit) nocte graui antecedente. οἱ σύβιοι λυεί-
σις γίνονται, τοῖσιν ἡ νὺξ δύσφορος ἢ πρὸ τῆς παροξύσιος· ἢ δι' ὧν ὑδροποτέει ὑδρο-
πολύ. 2. Aph. 17. id est: Quibuscunq; iudicatio fit, ijs nox grauis ante exacer-
bationem. Quæ uerò sequit̃, plerunq; tolerabilior est. Est enim crisis siue iu-
dicatio, subita & præceps ægritudinis mutatio, in melius aut deterius. Atq;
utrũq; rursus modò paulatim, modò subitò uel necẽ, uel salutem præbet. Ne
putes morbum quemcunq;, ubi non occiderit, à malis testimonijs, semper
longum fieri. Potest siquidem uel pedetentim, uel raptim in perniciem ire.
Et potest subitò integritati post concoctionem excretionemq; legitimã, &
lentè quoq; restituere. Quæ è concoctionis signis, ut dixi, aut cruditatis, &
ægri uiribus, ac morbi natura moribusq; metiri omnia decet.

Protinus tamen signa quædam sunt.) Sunt hæc signa, si pariter cum morbo appa- B
reant, & durent, longitudinis certiora multo testimonia, quàm quod est di-
ctum: morbos, si impetu non perimant, trahendo motum adimere.

Vbi frigidus sudor inter febres.) 4. Aph. 37. Hipp. οἱ ψυχροὶ ἱδρῶτες ξὺν μὲν ὀξεῖ πυ-
ρετῷ γινόμενοι, θάνατον· ξὺν πρηΐτέρῳ δὲ, μάκρου νόσου σημαίνουσιν. id est: Frigidi sudo
res cum acuta quidem febri ubi accidunt, mortem denunciant: cum mitiori
uerò, morbi longitudinẽ. At in Prænot. utriscq;: Pessimi, inquit, sudores sunt,
frigidi, & qui tantum circa caput, & faciẽ, ac ceruicẽ oriuntur: hi siquidem,
cum acuta quidem febri mortẽ prænunciant, cũ mitiore morbi longitudinẽ.

Aut ubi febre non quiescente.) Hipp. 4. Aph. 56. πυρέσσοντι ἱδρὼς ἐπιγιγνόμενος, μὴ
ἀπολείποντος ἢ πυρετοῦ, κακόν. μακρώσει γὰρ ἡ νοῦσος, καὶ ὑγρασίαν πλέω σημαίνει. id est:
Febrienti sudor obortus, febre non remittente, malus est. Diu enim durat
morbus, & multam humiditatẽ significat, quam breui tempore natura con-
coquere nequeat, atq; discutere.

Aut ubi corpus modò frigidum.) Ὅταν τῷ ὅλῳ τῷ σώματι μεταβολαὶ, καὶ ἢν τὸ σῶμα κα- C
ταψύχηται, ἢ αὖθις θερμαίνηται, ἢ χρῶμα ἕτερον ἐξ ἑτέρου γίνηται, μάκρου νόσου σημαίνει. tra-
dit Hipp. 4. Aph. 40. id est: Atq; ubi in toto corpore mutationes, etsi corpus
perfrigeretur, deinde rursus inuicẽ calefiat: aut color alius ex alio fiat, longi
tudinem morbi designat. Quoniã uarij humores subsint oportet, quos diffi
culter superari par est. Vti sunt febres cõplicatæ simplicibus longiores: sunt
eadem omnia quę de sudore iam, & corporis crebra mutatione diximus, in
eo libro Hippocr. tradita, quem de Crisibus siue iudicationibus conscripsit.

Aut ubi quod inter febres.) 4. Aph. 51. Hipp. ἐν τοῖσι πυρετοῖσιν ἀκρήσιμα μὴ λυό-
μενα πρὸς τὰς πρώτας κρίσιας, μάκρου νόσου σημαίνει. id est: In febribus absessus ad
primas iudicationes non resoluti, longitudinem morbi testantur. Quòd fit
in longis morbis tota materia in absessus locum non delapsa, siue quia ni-
mia, siue quia crassior sit, siue quia natura debilior est: sed interea, quæ bona
sunt, cruda parte retẽta. Et de Ratione uictus in morbis acutis, docet idem:
Si quibus in febribus crura tuberculosa fiãt, eaq; & diu trahãt, & per febres
non maturentur, sed clàm euanescant, strangulatione faciũ cum gracilitate
subeunte: si sanguis è naribus multus profluxerit, solui, sin paucus, produci.

Aut ubi æger pro spacio parũ macrescit.) Ex 2. Aph. 28. petitũ est, ut est suprà à no
bis annotatũ: Febricitantiũ nõ undequaq; leuiter, si corpus permaneat, ni-
hilq; minuat̃, aut etiã magis quàm pro ratione colliquefiat, malũ est utrũq;.
Illud enim morbi longitudinẽ, hoc uerò debilitatẽ significat. Prius ob cutis

densitatem

A denſitatem & humorum craſsitiem, lentoremq; accidit. Poſterius ob cutis raritatem & humorum tenuitatem, & æſtum ferè fit.

Item ſi urina modò liquida.) In Prænot. Si urina intermiſerit, & aliquando quidem pura mingat, aliquādo albū ſubſidat ac leue, diuturnior fit morbus, minusq; ſecurus: ſi uerò fuerit et urina ſubrubra, et ſubſidētia illi ſimilis, leuisq;, diuturniorē quidem hæc morbū quàm ſuperior ſignificat, ſed ualde ſalutarem. Porrò quas hic Celſus maculas intelligat, neſcire me ingenuè profiteor: niſi quod non omnino aliena mihi uideantur ab ijs, quę tum in Prænot. tum Aph. 32. lib. 7. in hunc modum Hippocr. poſteritati mandauit: ὁκόσοισι πυρέσσουσιν ἐν τοῖσιν οὔροισι λιγμωδέων αἱ ἀκρόσπαδοι γίνονται, μακρὴν τὴν ἀῤῥωστίην σημαίνουσι. id eſt: Quibuſcunq; febrientibus in ipſorū urinis ſubſidunt, quæ craſsiores polentæ partes repræſentent, longū morbū deſignant. Idq; ob materię craſsitiem, ſi non mors etiam, ut ferè fit, præuertat. Vides enim ad hunc locū de ſignis lōgæ ualetudinis, mirè omnia & cū Celſi doctrina quadrare, quē probabile eſt uel aliam uocē hic offendiſſe, uel putaſſe λιγμωδέα maculas repręſentantia ſignificare, quæ ꝓpriè craſſas cuiuſq; farinę illas partes notat, quæ molīturā effugerint. Vnde metaphoricōs trāsferē ad corpuſcula cūcta ſimiliter craſſa: quales et molas ſæpe effugiūt, et in urinis ſæpenumero cōſpiciunt.

Aut ſi bullas excitat.) 7. Aph. 35. ὁκόσοισιν ἐν τοῖσιν οὔροισιν πομφόλυγοι ἐγείρονται,
B νεφριτικὰ σημαίνουσι, καὶ μακρὴν τὴν ἀῤῥωστίην ἔσεσθαι. id eſt: Cuicunq; in urinis bullæ ſuperſtant, renū affectiones & longū fore morbum declarant. fiunt enim è flatibus bullę intra craſſum lentumq; humorē, qui diuturniore ſpacio, quo ſuperetur, indiget, comprehenſis. Atq; hic locus aperte è ſeptimo lib. Aphoriſmorum ſumptus, probabili atque adeò euidenti argumento eſſe teſtimonioq; poſsit, ſuperiorem quoq;, quem modò patefecimus, ex eiuſdem libri eo Aphoriſmo, qui hunc proximè ferè continuoq; antecedit, eſſe petitum: ſicq; ambas ſententias de eadem re agentes, in Celſo eſſe connexas, ut conſociauit in eandem ſignificationem illas Hippocrates.

De indicijs mortis. Cap. VI.

SEd inter hæc quidem propoſito metu, ſpes tamen ſupereſt. Ad ultima uerò iam uentū eſſe teſtantur, nares acutæ, collapſa tempora, oculi concaui, frigidæ languidæq; aures, & imis partibus leniter uerſæ: cutis circa frontem dura et intenta, color aut niger, aut perpallidus: multoq; magis, ſi ita hæc ſunt, ut neq; uigilia præceſſerit, neq; uentris reſolutio, neq; inedia. Ex quibus cauſis interdum hæc ſpecies oritur, ſed uno die finitur. Itaque diutius durans, mortis index eſt. Si uerò in morbo uetere iā triduo talis eſt, in propin-
C quo mors eſt: magisq;, ſi præter hęc oculi quoq; lumen refugiunt, & illachrymant, quæq; in ijs alba eſſe debent, rubeſcunt, atque in hiſdem uenulæ pallent, pituitaq; in ijs innatans nouiſſimè angulis inhæreſcit: alterque ex his minor eſt, hique aut uehementer ſubſederunt, aut facti tumidiores ſunt: perq; ſomnum palpebræ non cōmittunt, ſed inter has ex albo oculorū aliquid apparet: neq; id fluens aluus expreſſit: eędemq; palpebrę pallent, & idem pallor labra & nares decolorat. Eademq; labra & nares, oculiq; & palpebrę et ſupercilia, aliaq; ex his peruertūtur: iſq; propter imbecillitatē iam nō audit, aut nō uidet: eadem mors denunciat, ubi æger ſupinus cubat, eiq; genua contracta ſunt, ubi deorſum ad pedes ſubinde delabit: ubi brachia & crura nudat, & inæqualiter diſpergit,

neq;

neq; his calor ſubeſt. Vbi hiat, ubi aſsiduè dormit, ubi is qui men- A
tis ſuæ non eſt, neque id facere ſanus ſolet, dentibus ſtridet. Vbi ul
cus quod aut antè, aut in ipſo morbo natum eſt, aridum, & aut pal
lidum, aut liuidum factum eſt. Illa quoque mortis indicia ſunt, un-
gues, digitiq; pallidi, frigidus ſpiritus: aut ſi manibus quis in febre,
& acuto morbo uel inſania, pulmonis'ue dolore, uel capitis, in ue-
ſte floccos legit, fimbrias'ue diducit: uel in adiuncto pariete, ſi qua
minuta eminent, carpit. Dolores etiam circa coxas & inferiores
partes orti, ſi ad uiſcera tranſierunt, ſubitoq; deſierunt, mortem
ſubeſſe teſtantur, magisq;, ſi alia quoq; ſigna acceſſerunt. Neq; is
ſeruari poteſt, qui ſine ullo tremore febricitans, ſubitò ſtrangula-
tur, aut deuorare ſaliuam ſuam non poteſt. Cui ue in eodem febris
corporisq; habitu ceruix conuertitur, ſic ut deuorare æquè nihil
poſſit. Aut cui ſimul & cõtinua febris, & ultima corporis infirmi-
tas eſt. Aut cui febre nõ quieſcente, exterior pars friget, interior ſic
calet, ut etiam ſitim faciat: aut qui febre æquè non quieſcẽte, ſimul B
& delyrio & ſpirandi difficultate uexatur: aut qui epoto ueratro
exceptus diſtentione neruorum eſt, aut qui ebriusobmutuit. Is e-
nim febre, adiecta neruorũ diſtentione conſumitur: niſi aut febris
acceſſit, aut eo tempore, quo ebrietas ſolui debet, loqui cœpit. Mu
lier quoq; grauida, acuto morbo facilè cõſumitur, & is cui ſomnus
dolorem auget: & cui protinus in recenti morbo, bilis atra uel in-
frà uel ſuprà ſe oſtendit: cui'ue alterutrum modò ſe prompſit, cum
iam longo morbo corpus eius eſſet extenuatum & affectum, ſpu-
tum etiam bilioſum & purulentum, ſiue ſeparatim iſta, ſiue mixta
proueniunt, interitus periculum oſtendunt. Ac ſi circa ſeptimum
diem tale eſſe cœpit, proximum eſt, ut is circa quartumdecimum
diem decedat: niſi alia ſigna meliora, peiora'ue acceſſerint. Quæ
quo leuiora, grauiora'ue ſubſecuta ſunt, eo uel ſeriorem mortem,
uel maturiorem denunciant. Sudor quoq; frigidus in acuta febre
peſtiferus eſt, atq; in omni morbo uomitus, qui uarius, & multo-
rum colorũ eſt, præcipueq; ſi malus in hoc odor eſt. Ac ſanguinẽ
quoq; in febre uomuiſſe, peſtiferum eſt. Vrina uerò rubra, & te- C
nuis, in magna cruditate eſſe conſueuit: & ſæpe antequã ſpacio ma
tureſcat, hominem rapit. Itaq; ſi talis diutius permanet, periculum
mortis oſtendit. Peſſima tamen eſt, præcipueq; mortifera, nigra,
craſſa, mali odoris. Atq; in uiris quidem & mulieribus talis deterri
ma eſt. In pueris uerò, quæ tenuis & diluta eſt. Aluus quoq; uaria
peſtifera eſt, quę ſtrigmentum, ſanguinem, bilem uiridem, aliquid
modò diuerſis temporibus, modò ſimul, & in miſtura quadam, di
ſcreta tamen repræſentat. Sed hæc quidem poteſt paulo diutius
trahere. In præcipiti uerò iam eſſe denũciat, quæ liquida, eademq;
uel nigra, uel pallida, uel pinguis eſt, utiq; ſi magna fœditas odoris
acceſſit. Illud interrogari me poſſe ab aliquo ſcio: ſi certa futuræ
mortis indicia ſunt, quomodo interdum deſerti à medicis conuale
ſcant,

A scant, quosdãq; fama prodiderit in ipsis funeribus reuixisse? Quin etiam uir iurè magni nominis Democritus, ne finitæ quidem uitæ satis certas notas esse proposuit, quibus medici credidissent: adeò illud nõ reliquit, ut certa aliqua signa futuræ mortis essent. Aduersus quos ne illud quidem dicam, quod in uicino sæpe quędam notæ positæ, non bonos, sed imperitos medicos decipiunt. quod Asclepiades funeri obuius intellexit, eum uiuere, qui efferebatur: ne protinus crimen artis esset, si quod professoris sit. Illa tamen moderatius subijciam, Coniecturalem artem esse medicinã: rationemq; coniecturæ talem esse, ut cum sæpius aliquando responderit, interdum tamen fallat nos. Si quid itaq; uix in millesimo corpore aliquando decipit, id notam non habet, cum per innumerabiles homines respondeat. Idq; non in his tantum quæ pestifera sunt, dico, sed in his quoq; quæ salutaria. Siquidem etiam spes interdũ frustratur, & moritur aliquis, de quo medicus securus primò fuit. Quęq; medendi causa reperta sunt, nonnunquam in peius aliquid cõuer-
B tunt. Neq; id euitare humana imbecillitas in tanta uarietate corporum potest. Sed est tamẽ medicinæ fides, quæ multo sæpius, perq; multo plures ægros prodest. Neq; tamen ignorare oportet, in acutis morbis fallaces magis notas esse, & salutis & mortis.

ENARRATIO.

Sed inter hæc quidem.) Superiora metus omnis uacua non sunt, sed bona tamen aliqua spe sustinentur omnia. Amplæ spei locupletissima sunt: nõnullo tamen metu semper, ut in rebus fit humanis, addito, quæ hominẽ non periclitari docent. Plus formidinis habent, quæ longitudinem ostendunt. Plurimum terrent, quæ grauis morbi periculum præ se ferunt. In primis enim illis optimè sperare, sed coniuncta quadam sollicitudine licitum est. In alteris spem intra metumq; magna cum diligẽtia uersari decet. In postremis exigua cum spe, & metu bene graui, maiorem in modum sollicitum esse conuenit. At in ijs indicijs, quæ nũc explicabimus, nulla fermè cum spe (nisi quantã in rebus propè desperatis, Deus aliquis de insperato accidẽs bene facere potest) & terrore longè maximo summa quæq; & accuratissima, ultimaq;, addam interdum etiam & temeraria experiri oportet. Alijs nanq; extremã debilitatem, in alijs morbi sæuissimam atrocitatem, discere licebit. Et sunt hæc à Galeno in ijs commentarijs quos scripsit in Hippocratem, clarissimè
C explanata: ne quis nouam nostram in causis eorũ reddendis operã requirat.

Nares acutæ, collapsa tempora.) In utrisq; suis Prænotionibus Hippocrates inquit: In morbis acutis primùm quidem faciem ægroti, an similis sit eorũ qui ualent, maximeq; eius qui nunc decumbit, considerare oportet: ita enim optima fuerit. Sin summè contraria, horrendissima est. Talis autem fuerit, nasus acutus, oculi caui, tempora collapsa, aures frigidæ & contractæ, atq; extremitates aurium auersæ, & cutis circa frontem dura, & circũtenta, aridaq;, & color totius uultus pallidus, aut etiam niger, & liuidus aut plumbeus. Siquidem igitur in principio morbi facies talis fuerit, & nondum ex alijs coniecturã facere licuerit, interrogare decet, num uigilauerit homo, aut sint'ne alui excremẽta ualde liquida, aut fames'ne aliqua ipsum detineat. Quorum si quid confiteatur, minus graue esse putandum est. Iudicantur autẽ, cognoscunturq; talia diei unius ac noctis spacio, si modò ob eas causas facies talis extiterit. At uerò si nihil horum esse dicat, nec prædicto iam tempore consi-

dat, scire oportet mórti proximum esse. Verùm si uetustiore existente mor- A
bo seu triduano, seu quatriduano, eiusmodi facies apparuerit, de his interro-
gare, quæ prius etiam suprà iussi, conueniet. Itemq; alia spectare tum in uul-
tu uniuerso, tum corpore quoq; & oculis. Hunc autem totum locum quàm
paucis uerbis Celsus, quantaq; luce incluserit, qui utrũq; alteri comparabit,
facilè cognoscet. Neq; enim in sententia multum discrepant, pauca modò
quædam Celsi, si ad Hippocratem reuoces. Quoniam Hippocrates aures
contractas, Celsus languidas, contrario propè sensu, dixit: præterquã quòd
illæ aríditatis maximæ, hæ debilitatis extremæ testimonium dant. Hippo-
crates item extremitates auriũ expendit, Celsus minus idem facit, partemq;
solum imarum aurium attrectat. Nam quod frontis aridæ non meminerit,
quæ è dura, quam parit, utcunq; intelligi potest, exile crimen est. Illud ma-
gis miror, nec liuidi coloris, nec plumbei in uultu, mentionem factam esse,
quum soleat alias colorum formas diligenter explicare. In cæteris nihil Hip
pocrates à Celso, imò Celsus ab Hippocrate nihil differt: præterquam quòd
hic prolixior sit, & medicum quid legítimum facere, & quo se pacto apud
ægros gerere deceat, ostendat. Non enim domi desidendo lotia operiri, &
ea tantum, sæpe uetustate, sæpe quassatione portantium ab omni iudicio, ut
infinita alia incommoda taceam, alienissima contemplari uult: sed in are-
nam egredi, ac comínus cum ægritudine, adhíbito etiam ægro, iubet. Vbi B
rursus nec futilem loquacemq; hominem expetit, nec protinus arripere ma
tellam docet: sed inspicere in primis & intueri uultum suadet. Et, si hominẽ
antè nouerat, sit'ne ab illo quum ualeret prosperè commutatus, animaduer-
tere. Sin ad ignotum uentum est, an à cõmuni eius regionis hominũ uultu
multum diuersus sit uidere: hinc enim morbi sæuitiem, hinc pericula, hinc
quid facto opus aut dicto sit, intelligi. Nec tamen his contentum esse permit
tit: sed causis mali omnibus propositis, ex ipsa illarum partitione percontan
do præsentia præteritaq; omnia, in eam demum quę uitium fecerit, deuenire
docet: hinc os, oculos, supercilia, nares, decubitum, manus, brachia, cruraq;,
& paucis, cũcta corporis membra, functiones, qualitates sensiles uniuersas
inspectare consulit. Postremoq; demum excrementa non unius uesicæ, sed
cuiusq; partis obseruare & expendere, quemadmodum à corpore digressa,
& quo modo sepositа quietaq; sint immutata, præcipit. Talem profectò æ-
gri medicum expetere & amplecti, tali uitã salutemq; suam credere debent.
Tales se, medicos bonos præbere decet. Causasq; omnes, è quibus quodq;
uitium sequi possit, & causa quot unaquęq; effectus habere queat, cunctaq;
indicia, et cuiq; malo quid optimè opponi solitũ sit, in numerato atq; in pro
cliui habere oportet. Vt illos Deus optimus maximus malè perdat medi-
cos, quid autem dico medicos? medicastros, pharmacopœos, seplasiarios,
insanas Circes aut Pithias dicere debebã, qui artem ualetudini humanę præ C
fectam, & multo difficillimã, longissimamq;, & longè prudentissimam, nul
lo iudicio, consilio nullo, nulla eruditione, nullo studio tractant: imò labefa-
ctant, illudunt, contaminant spurcissimè. Sed quid ego adistos relabor? de-
sino itaq;, & ad propositum redeo.

Si præter hæc oculi.) Hipp. in utriscq; Prænot. Oculi si lucẽ fugiunt, aut inuo-
luntariè lachrymentur, aut distorqueant, aut alter altero minor fiat, aut can-
didas partes rubore suffusas habeant, aut uenulas in ipsis liuidas, nigras ue,
aut lemę ac sordes circa oculos appareant, aut sint instabiles quoq;, aut pro-
tuberantes, aut caui uehementer redditi, aut squalidi, aut etiam obscuri, aut
sit totius faciei color alteratus, hæc inquam omnia mala, atq; adeò pernicio-
sa esse putandũ est. Nihil hic est quod nõ planè & enucleatè Celsus expresse-
rit. In lachrymis tantũ id quod dixit Hippocrates, inuoluntariè prætermisit.
Et in uenulis pallorẽ pro liuore, omisso etiã nigrore, reddidit. Sed superius,
sine uoluntate illud ipsum, est noster interpretatus. Nec, si tacuisset, puto,

quisquam

A quisquã de ijs lachrymis, quas sibi quisq; sponte, aut mœrore, aut tristitia elicit, exteritq;, sed quas morbi iniquitas cuiq; exprimit, accepisset. Nec uerò infrequẽs est, ut pallorem pro omni decoloratione, fœdoq; colore, quam ἀχροίαν Græci uocant, capiamus. Etsi pallor propriè pituitæ multæ cum pauca bile soboles est, quod Græci ὠχρὸν nominant. Vti liuiditas ab humore & simul à frigore nascitur, qui color in cadaueribus, maximeq; in labris ac genis ipsorum cernitur. Quanquã est sanè liuiditas non omnis similis: sed aliàs argenteo, aliasq; pullo colori propinquior, id quod in plũbo manifestè perspicitur. Adde his, ueteres ὑχλωρὸν, id est uirorem, pro eo quod est ὠχρὸν palli dumq; sæpe posuisse. Vt sæpe pallorem, an liuorem, an uirorem, dicerent, in paruo discrimine haberent, modò propè enecti corporis speciem significarent. ut ne grauis de his coloribus, tanq; de asini umbra, controuersia suscitetur. Cæterùm si quis iam pituitam pro lemis & sordibus positam à Celso accusabit, is se animum rixandi cupidiorem, quàm ueritatis amantiorem ad ad lectionẽ attulisse, quod à uirtute & omni probitate longissimè abest, existimet. Quis enim nescit, lemas illas oculorum ac sordes pituitam sæpe appellari? non in iecore quidem natam, aut eam quæ sic propriè dici solet, sed quiddam subacidæ pituitæ simile.

Perq; somnum palpebræ non committere.) In Prænot. Hippocr. Considerare etiã
B oculorũ in somnis subapparitiones conuenit. Si enim albæ quid partis subapparuerit palpebris non commissis, si id non ex alui profluuio, aut medicamenti potione acciderit, aut ægrotus non ita dormire assueuerit, malum signum & ualde lethale est. Celsus utrunq; aluí profluuium, siue natura reddi tum, siue pharmaco petitum, fluentis appellatione simplici cõplexus est: nõ malè quidem, meo iudicio. Illud uellem adiecisset, quod de cõsuetudine ita dormientium Hippocrates rectè admonuit: sed ne nullo exemplo id Celsum commisisse putemus, ipse Hippocrates, cum 6. Aph. 52. hæc eadem omnia repetiuerit, consuetudinem tamen prætermisit. Nam in ægris, ex rebus signisq; nouis & non assuetis, spem aut metum quærimus.

Eædemq; palpebræ pallent.) In Prænot. Si uerò distorta, aut cõtracta, aut liuida, aut pallida palpebra fiat, aut labrũ quoq;, aut nasus, cum aliquo ex alijs signis, morti proximũ esse sciendum est. Sola supercilia Celsi in Hippocrate hoc loco nõ inuenio, sed reperio in Aphorismis lib. 4. Aph. 49. Labrum, palpebra, supercilium, oculus, aut deniq; nasus, si in febre non intermittente distorqueat, aut si non audiat, aut nõ uideat æger iam debilis, morti uicinũ esse scire licet. Vnde dubio omni ,pcul, sua Celsus ordine hæc omnia trãscripsit. Hoc uehementer admirandũ duco, cum nihil hactenus intactũ in tota facie prętermiserit, tamẽ illud omissum esse, Labra resoluta habere, ac pendula, & frigida, atq; albicantia, æquè ac ea quę dicta sunt reliqua, lethalem notã esse.

C *Eadem mors denunciatur.*) In Prænot. utrisq;: Lethale est & hiantẽ semper dormire, & crura supini iacentis ualde incuruata esse, ac cõplicata. Tenue hoc est, & rectũ tamẽ, genua pro cruribus, quæ nisi p genua curuantẽ, positũ esse.

Vbi deorsum ad pedes.) In Prænot. ambobus: Si quis etiam pronus fiat, & de lecto ad pedes delabatur, magis horrendum est.

Vbi brachia & crura.) In Prænot. Si uerò nudos quoq; pedes habere cõperiatur, nec admodum tamen calidos, & manus, & collum, ac crura inæqualiter disiecta, nudataq;, malũ est: anxietatẽ enim significat. Hoc oportuerat fortasis inter periculorũ tantũ indicia superius, nõ inter hęc lethalia annumerare tum fuisse: quum maliciam & anxietatem, non interitũ denunciare dicatur.

Vbi is qui mentis suæ non est.) In Prænot. Dentibus stridere in febribus, quibus id à pueris familiare nõ fuit, furiosum est, ac lethale. Verùm prædicere oportet, ab utrisq; periculum imminere. Si uerò delyrus etiã hoc faciat, perniciosum ualde iam habetur. Discedit nonnihil Celsus, dum nimiũ breuis esse studet, à plena Hippocratis sententia: hic enim stridorẽ modò præcedere de-

lyrium, modò unà cum eodem coniungi declarat. Atq; utrauis ratione periculum ac necem denunciare, si quis id à puero facere non est solitus, docet. Celsus dentibus stridere in delyrio, tantummodo quid significet ostendit. A

Vbi ulcus, quod aut antè, aut.) In Prænot. Vlcus autem siue prius extitit, siue in morbo ortum fuerit, obseruare decet. Si enim periturus est homo, ante mortem liuidum ac siccum, aut etiam pallidum pariter ac siccum euadet.

Illa quoq; mortis indicia sunt.) In Prænot. Si cui supra grauitatem cùm pedum manuumq;, tum reliqui corporis, & ungues & digiti liuidi fiãt, mors è uestigio expectanda est. Iterum pallorem pro liuiditate suppositit, neq; his grauitatem membrorũ, quod fecit Hippocrates, Celsus adiunxit. Verùm pro uicino rem uicinã capere frequens est. Alioquí pallor exiguo calore naturali reliquo: liuor eodem prorsus oppresso atq; extincto oboritur. Id quod paulo antè notauimus.

Frigidus spiritus.) In Prænot. Spiritus si frigidus è naso atq; ore expiretur, ap primè is nunc pernicioſus est.

Aut si manibus quis in febre.) In utrisq; Prænot. Quę manus in febribus acutis, aut peripneumonijs, aut in phrenitide, aut capitis dolore, ante faciẽ ferunt, & quid frustra uenant, & festucas legunt, & floccos de uestibus reuellunt, & è pariete paleas extrahunt, malæ omnes sunt & lethales. Pro phrenitide insaniam Celsus, & pro peripneumonia pulmonis dolorẽ, etiam aliàs frequẽter usurpat. Pro febre acuta, re simplici, febrẽ & acutum morbũ res geminas esse subditas nouũ est. Et, quod purgari nequit, de manibus ante faciem dimotis, & aliquid tanquam uenantibus, Celso summum silentium est. B

Dolores etiam circa coxas.) In Prænot. utrisq;: Dolores qui cũ febre fiũt circa lumbos, & partes infernas, si septũ transuersum attigerint, infernis partibus relictis, pernicioſi sunt maiorẽ in modum. Et si q̃d aliud signũ malum pariter appareat, iam desperatus homo est. At si assiliente ad septũ transuersum morbo, alia signa nõ mala cõspicua sint, hũc suppuratũ iri spes est. Celsus coxas substituit pro lũbis, atq; ijs partibus quas ἰσχιάδας Hippocrates uocat, nempe à mollicie eximia & quasi uacuitate quadam sic appellatas, in quibus ieiunum tenueq; inteſtinum ac meſenterium tantum sine ossibus, sine cartilagine ulla continentur. Et uiscera præterea noster pro septo transuerso cõuertit. Illicre ac parte uicina, hic genere pro forma deceptus. Si modò id decipi est, data opera quippiam nouare, nec tamen omnino mentiri. Nam certè & à coxis in uiscera noxam transire, pernicioſum esse solet.

Neq; is seruari potest, qui sine ullo tumore.) 4. Aph. 34. ἢν ὑπὸ πυρετῶ ἐχομένῳ οἱ ἀμυγδάλοι μὴ ἔοντος ἐν τῇ φάρυγγι πνιξ θαλφνης ὥστε, θανάσιμον. id est: Si cui febricitanti, nullo in faucibus conspicuo tumore, strangulatio subitò superuenerit, lethale est. Idipsum repetitur 7. Aph. 62. Et in Coacis Prænot. in hæc uerba: In febribus derepentè suffocari, & deglutire non posse, citra tumorem, malum est: huc refer, quæ de anginarũ prima specie in Prænotionibus memorantur. Vbi, id quod de saliua Celsus attexuit, comprehensum esse cernes. C

Cui ue in eodem febris corporisq; habitu.) Hipp. 4. Aph. 35. Si cui febrienti collum repentè peruertitur, & uix deglutire potest, nullo neq; in faucibus, neque in ceruice tumore conspecto, mortiferum est. In Coacis Prænot. sic habet: Collum conuerti non posse, neque deglutire, ut plurimum lethale est. Quia inflammatio uel gulæ, uel eius musculorum subest.

Aut cui simul & continua febris.) Ex Aph. 46. lib. 4. sumptũ apparet, ἢν ῥίγος ὦσι πίπτῃ πυρετῶ μὴ σφοδρὸν, ἀλλὰ ἀδηκὲς ἰόντι, θανάσιμον. id est: Vbi rigor incidit febri non desinente, & ægro iam debili, lethale est.

At cui febre non quiescente exterior pars friget.) 4. Aph. 48. ἐν τοῖσι μὴ σφοδροῖσι πυρετοῖσιν, ἢν τὰ μὲν ἔσω ψυχρὰ ᾖ, τὰ δὲ ἔξω θερμὰ καὶ ἡ, καὶ δίψαν ἔχῃ, θανάσιμον. id est: In febribus nõ intermittentibus si externæ quidẽ partes frigidæ fuerint, internæ uerò ardeant, ac sitiant, lethale est. De ardente febri loquitur, & Lipyria,

quarum

A quarum illa ex uiscerum erysipelate, hæc ab inflammatione nascitur. Eadem sententia repetita est 7. Aph. 1. & in Prædict. lib. 2.

Aut qui febre æquè nõ quiescente.) 4. Aph. 50. ὅκου ἐν πυρετῷ μὴ σφακελίσαντι δύσπνοια γίνηται, ἢ παραφροσύνη, θανάσιμον. hoc est: Vbi in febre nõ intermittente difficultas spirandi & delyriũ accidit, lethale. Verùm 6. Aph. 54. ἐν τοῖσιν ὀξέσι πάθεσι, τοῖσι μετὰ πυρετὸν αἱ κλαυθμώδεες ἀναπνοαὶ, κακόν. quod ita uertas: In acutis morbis coniunctis cum febribus luctuosæ respirationes, malæ sunt.

Aut qui epoto ueratro.) 4. Aph. 16. Ἐλλεβόρῳ δὲ ὠφελίμῳ τοῖσι τὰς σάρκας ὑγιεινὰς ἔχουσι, σπασμὸν γὰρ ἐμποιέει. id est: Sano corpore præditis helleborus periculosus est. conuulsionem etenim parit. Et 5. Aphor. 1. σπασμὸς δὲ ἑλλεβόρου θανάσιμον. id est: Conuulsio ex ueratro mortalis est.

Aut qui ebrius.) 5. Aph. 5. Si quis ebrius subitò uoce priuet, cõuulsus moritur, si nõ febris corripuerit: aut nisi qua hora crapulæ soluunt, ea loquatur, uocẽq; recuperet. Voce aũt priuari dicuntur ij, qui & sensu & motu omni destituti sunt, q̃d cerebro neruisq; uino refertis accidit. Vnde uel febribus cruditatẽ eam ac crapulã absumẽtibus, uel tẽporis spacio natura illũ superãte, euadũt.

Mulier quoq; grauida acuto morbo.) Hipp. 5. Aph. 30. γυναικὶ ἐν γαστρὶ ἐχούσῃ ὑπὸ ὀξέος νοσημάτων ληφθῆναι, θανάσιμον. id est: Mulierem uterum gerentẽ ab acuto quopiã morbo corripi, lethale est. Quia fœtus tum morbo perimitur,
B tum inedia: quam summã morbi ratio postulat. Sin fœtum alimento suffecto seruare contendis, nec seruas quidem, & cum fœtu fœtam interimis.

Et is cui somnus dolorem auget.) Hipp. 2. Aphor. 1. In quocunq; morbo laborem somnus parit, lethale est. Maximè si id in declinatione morbi, quo tempore somnus maximopere subleuare debebat, euenerit.

Et cui protinus in recenti morbo.) 4. Aph. 22. νοσημάτων ὁκοσάων αἱ χολαὶ μέλαιναι, ἢ ἄνω, ἢ κάτω ἐπέλθῃ, θανάσιμον. id est: Quibuscũq; morbis inchoantibus, si atra bilis uel supernè, uel infernè prodierit, lethale est. Id siquidẽ nulla cõcoctione apparente, & per initia quoties acciderit, atrã illam pessimamq; bilem suapte tum malitia, non naturæ ui exturbari cognoscitur. Eadem extat sententia in Coacis Prænot.

Cui ue alterutrũ modo.) 4. Aph. 23. Ὁκόσοισιν ἐκ νοσημάτων ὀξέων, ἢ ἐκ πολυχρονίων, ἢ ἐκ τραυμάτων, ἢ ἄλλως λελεπτυσμένοισι χολὴ μέλαινα, ἢ ὁκοῖον αἷμα μέλαν ἐπέλθῃ, τῇ ὑστεραίῃ ἀποθνήσκουσι. id est: Quibuscunq; siue ex morbis acutis, siue diuturnis, siue è uulneribus, seu aliàs attenuatis, atra bilis, aut quasi sanguis niger subierit, postridie moriuntur. Tanta est huius mali uiolentia in corporibus uehemẽter debilitatis. Locũ hũc in Celso nimis esse truncatũ uideo: eius'ne
C incuria, uehementer addubito. Nam solet aliàs, quũ est breuissimus, & ubi multa omittit, tamen aliquã sententiã dilucidè retinere: hic uerò ἀ alterutrũ positũ est, q̃d quũ de duobus optionẽ proponat, atrã quidẽ bilẽ præcessisse uideo, secundũ uerò quippiã nusquã conspicio. Hippocrates tamẽ id nobis suffecit. Quare uix dubitẽ in Celso hanc sententiã, bona lectoris cum uenia, ita restituere: Cui'ue alterutrũ modò, bilis atra, aut tanquã sanguis niger se prompsit, cum iam longo morbo corpus eius esset extenuatum et affectum. Quanquã & cætera quęcunq; refert Hippocrates, mirificè ad totius rei plenam intelligentiam requiruntur. Quæ poterant simul omnia pari breuitate, quantam affectauit Celsus, comprehendi, uocula modò una commutata, si pro longo morbo, aut ὀ quopiã, aut multo, aut ullo, aut quid simile legeris. Quale nunquid Celsus scriptum reliquerit, quod postea scioli & indocti hominis opera deprauatum sit, spectandum tantum propono. Certè præter hæc, illud quoq; ad huius mali atrocitatem faciebat, si postridie quàm talia euenirent, mortem expectandam cum Hippocrate tradidisset.

Sputum etiam bilioſum & purulentum.) In Prænot. utrisq; Hipp. Quæcũq; dum sputũ adhuc bilioſum est, suppurantur, pernicioſa ualde sunt, siue bilioſum illud seorsum, siue simul cum pure expuatur: & hoc potissimum, si mor-

bo ad ſeptimum diem progreſſo, ſuppuratio à tali ſputo procedere incipiat. A
Timor autem eſt, ne qui eiuſmodi expuit, decima quarta die, ſi non aliquod
ei bonum ſignum acciderit, moriatur. In Coacis Prænot. Quicunq; inquit,
cum bilioſo purulentũ educũt, ſeu ſeorſim, ſeu permixtũ, plerunq; decima-
quarta die, ſi non mali aut boni quippiã alioqui ſuperueniat, intereunt. Peri
clitantur autẽ ita maximè, quibus eiuſmodi pus ſeptima die incipit.

Sudor quoq; frigidus in acuta.) 4. Aph. 37. οἱ ψυχροὶ ἱδρῶτες ξὺν μὲν ὀξεῖ πυρετῷ γινό
μενοι θάνατον. id eſt, Sudores frigidi cum febre acuta mortẽ denunciant: ſeu
tactui tales appareant, ſeu eiuſmodi è corpore dimanent. In Prænot. utriſq;:
Peſsimi ſudores ſunt frigidi, et qui circa caput ſolũ, &c. quę ſuprà ꝓtulimus.

Atq; in omni morbo uomitus qui uarius.) In utriſq; Prænot. Si q̃d uomitu reiectum
eſt, praſini ſit coloris, aut liuidũ, aut nigrũ, malũ eſſe putandũ eſt. Si uerò oẽs
colores idem homo uomit, ualde pernicioſum eſt. Celerrimã tamẽ mortẽ ſi-
gnificat liuidus uomitus, ſi graueolẽs fuerit. Omnes aũt ſubputridi ac fœtidi
odores in omnib. uomitibus mali ſũt. Celſus nõ quidẽ diſtinctè hæc omnia,
ſed in ſumma propè uniuerſa dixit: ſi de citiſsimã necẽ minitante quippiam
duntaxat adieciſſet. Hippocrates etiã breuius q̃ Celſus in Prædict. 1. lib. di-
xit: Vomitiones malæ ſunt tum aliàs, tum ſi proximè inuicem cõſequantur.

Ac ſanguinẽ quoq; in febre uomuiſſe.) 7. Aph. 37. οκόσοι αἷμα ἐμέσαν, ἢν μὲν ἄνευ πυρε-
τοῦ, σωτήριον· ἢν δὲ ξὺν πυρετῷ, κακόν. id eſt: Quicunq; ſanguinẽ uomũt, ſiquidẽ B
ſine febre, ſalutare eſt: cum febre uerò, malum. Et 4. Aph. 25. αἷμα ἄνω μετὰ ὀ-
δυνίου ἂν ᾖ, κακόν· κάτω δὲ, ἀγαθόν. hoc eſt: Sanguis ſurſum qualiſcunq; elatus fue
rit, malus eſt: deorſum uerò, bonus. Quanq; neq; ſine febre omnino ſaluta-
ris, neq; per inferna deiectus undequaq; bonus eſt: ſed uterq; minus malus
ac pernicioſus, catachreſticõs. In Prænot. autem Coacis: Eſt, inquit, & letha
lis ruber uomitus, & maximè ſi cum neceſsitate doloroſa proueniat.

Vrina uerò rubra & tenuis.) Quandiu fulua fuerit urina & tenuis, morbum cru
dum ſubeſſe ſignificat. Si uerò diu talis permaneat, periculũ eſt, ne non ſuf-
ficiat homo, donec cõcoquat. Lethaliores aũt ſunt urinæ & fœtidæ, & aquo
ſæ, & nigræ, & craſſæ. At tum in uiris, tum in mulieribus nigræ urinæ peſsi-
mæ ſunt, in pueris autem aquoſæ. Ex quo loco Hippocratis è Prænot. facilẽ
perſpicitur, uel fuluã urinam in rubrã à Celſo uerſam fuiſſe, uel in eandẽ ab
aliis perperam cõmutatam eſſe. Et omiſſa eſſe peſsimarum genera plurima.

Aluus quoq; uaria.) Hippocr. in Prænot. ea ſtercora pronũciat mala, quæ exi
gua ſunt, & alba, & ſubpallida, aut ſubuiridia, leuiaq;: ſed his etiam magis le
thalia ſunt nigra, aut pinguia, aut liuida, aut æruginoſa, aut malè olẽtia. Quæ
uerò uaria ſunt, diuturniora quidem his ſunt, nihilo tamen minus pernicio-
ſa. cuiuſmodi ſunt ramentoſa, & bilioſa, & cruenta, & praſina, & nigra, mo-
dò pariter prodeuntia, modò per ſe ſingula. Scio equidem Celſi orationem
defendi poſſe. ſed dubito idem quoq;, poſsit' ne in hunc modum, ueritati & C
Hippocrati cõueniẽtius legi: Aluus quoq; uaria peſtifera eſt, quę ſtrigmen-
tum, ſanguinẽ, bilẽ, uiride aliquid, modò diuerſis temporibus, modò ſimul,
& in mixtura quadã, diſcreta tamẽ, repræſentat. ſic enim & bilis, quã adiicit
Hippocrates, adiungetur, & atrũ ſolum tacebitur. Aequè neſcio, paulo pòſt
pro liquida, utrum' ne potius liuida, litera ſolũmodo una eraſa, ſubiici poſ-
ſit: propterea quòd & hãc in Hippocrate inuenio, & ratio magis eandẽ ap-
probat, etſi nõnihil reclamat rerũ & orationis ſtructura. Aptum ſiquidẽ eſt,
quæ liquida, eademq; uel nigra, uel pallida, &c. Minus aũt congruũ eſt, quę
liuida, eademq; uel nigra, uel, &c. Fortaſsis alius quiſpiã idcirco à Eadem, è
medio ſuſtulerit, atq; ut æruginoſa ſubſtituatur expetet. Ego ut ita malim,
quia ratione hæc & authoritate magis cõfirmata uideo: tamen quæ paulùm
modò tolerari poſſunt, temerè mutare nõ audeã. Quid incõmodi animad-
uertã, profari nihil erubeſco, ſed interim ſine præiudicio: tamẽ, quid ab Hip
pocr. Celſus diſsẽtiat, indicaſſe cõtẽtus. Quæ porrò in finẽ uſq; capitis huius

conſe-

A consequuntur omnia, ut ad σημειωτικὴν indiciorumq; ac notarum cognitionẽ nihil conducere possunt: ita sunt aptissima ad ostendendum quid firmi medicina cõplectatur, & quantũ sit medicorũ diuinationibus tribuendũ. Neq; enim principijs mathematicis, & præfatis atq; ratiocinationibus necessarijs perpetuoq; ueris, ars medicina nititur: sed nec eadem oratorum icotibus ac probabilibus, incertisq; & plerunq; fallacibus axiomatis uacillat: sed artificiosis coniecturis, sæpissimeq; respondentibus sustentatur. Quę ubi per innumerabiles homines apparuerint, uix in millesimo quoq; fallunt. Aut si fefellerunt sæpius, hominum incuria ac imprudentia imperitiaq; fortasis, nõ signorum natura & uolubilitate deceperũt. Modò id quoq; meminerimus, quod suprà ex 2. Aphor. 19. protulimus: Acutorum morborum non esse per omnia certas prędictiones nec salutis, nec interitus: fallunt enim hi interdũ, præsertim per initia, & prius quàm firmæ notæ eluescant: propter subitas quas natura in illis habet mutationes. Quod quum imperiti homines non animaduertunt, uel bonorum medicorũ in his hęsitationem reprehendunt, uel temerariorum mendacem diuinationem irrident.

De notis, quas aliquis in singulis morborum generibus habere posit. Cap. VII.

B SEd cum proposuerim signa quæ in omni aduersa ualetudine communia esse cõsueuerunt, ea quoq; transibo, ut quas aliquis in singulis morborũ generibus habere posit notas, indicem. Quędam autem sunt quæ ante febres, quædam quæ inter eas, quid aut intus sit, aut uenturũ sit ostendunt. Antè febres, si caput graue est, aut ex somno oculi caligant, aut frequentia sternutamenta sunt, circa caput aliquis pituitæ impetus timeri potest. Si sanguis aut calor abundat, proximum est, ut aliqua parte profluuium sanguinis fiat. Si sine causa quis emacrescit, ne in malum habitum corpus eius recidat, metus est. Si præcordia dolent, aut inflammatio grauis est, aut non toto die cõcocta fertur urina, cruditatem esse manifestum est. Quibus diu color sine morbo regio malus est, hi uel capitis doloribus conflictantur, uel terrã edunt. Qui diu habent faciem pallidam & tumidam, aut capite, aut uisceribus, aut aluo laborant. Si in cõtinua febre puero uenter nihil reddit, mutaturq; ei color, nec somnus accedit, ploratq; is assiduè, metuenda neruorũ distentio est. Frequens autem destillatio in corpore tenui, longoq;, tabem timẽdam esse testatur. Vbi pluribus diebus nõ descendit aluus, docet aut subitã deiectionem, aut febriculam instare. Vbi pedes turgent, longę deiectiones sunt. Vbi dolor in imo uentre & coxis est, aqua inter cutem instat. Sed hoc morbi genus ab ilibus oriri solet. Idem propositum periculum est his quibus uoluntas desidẽdi est, uenter nihil reddit, nisi & ægrè & durum: tumor in pedibus est, idemq; modò dextra, modò sinistra parte uentris inuicem oritur atq; finitur, sed à iocinere id malũ proficisci uidet. Eiusdem morbi nota est, ubi circa umbilicũ intestina torquentur (στροφὸν Græci nominãt) coxæq; dolores manẽt, eaq; neq; tẽpore neq; remedijs soluunt. Dolor aũt articulorũ, prout in pedibus manibus ue, aut alia qualibet parte sic est, ut eo loco nerui cõtrahant: aut si id mẽbrũ ex

C leui

leui causa fatigatum æquè frigido calidoq; offenditur, ποδάγραν χεῖράγραν ue, uel eius articuli in quo id sentitur, morbum futurum esse denunciat. Quibus in pueritia sanguis ex naribus fluxit, dein fluere desiit, hi uel capitis doloribus conflictentur necesse est, uel in articulis aliquas exulcerationes graues habeant, uel aliquo morbo etiam debilitentur. Quibus fœminis menstrua nõ proueniunt, necesse est capitis acerbissimi dolores sint, uel quælibet alia pars morbo infestetur. Eademq; his pericula sunt, quibus articulorũ uitia, dolores, tumoresq; sine podagra, similibusq; morbis oriuntur & desinunt. Vtique si sæpe tempora ijsdem dolent, noctuq; corpora insudãt, frons prurit, lippitudinis metus est. Si mulier à partu uehementes dolores habet, neq; alia præterea signa mala sunt circa uigesimum diem, aut sanguis per nares erumpet, aut in inferioribus aliquid abscedet. Quicunq; etiam dolorem ingentem circa tempora & frontem habebit, is alterutra ratione eum finiet: magisq; si iuuenis erit, per sanguinis profusionem: si senior, per suppurationem. Febris autem quæ subitò sine ratione, sine bonis signis finita est, ferè reuertitur. Cui fauces sanguine & interdiu & noctu replentẽ, sic ut neq; capitis dolores, neq; præcordiorum, neq; tussis, neque uomitus, neq; febricula præcesserit, huius aut in naribus, aut in faucibus ulcus reperietur. Si mulieri ex inguine febricula orta est, neq; causa apparet, ulcus in uulua est. Vrina autem crassa, ex qua quod desidet, album est, significat circa articulos, aut circa uiscera, dolorem metum q; morbi esse. Eadem uiridis, aut uiscerũ dolorem tumorem q; cum aliquo periculo subesse, aut certè corpus integrum non esse testatur. At si sanguis aut pus in urina est, uel uesica, uel renes exulcerati sunt. Si hęc crassa carunculas quasdam exiguas quasi capillos habet, aut si bullat, & malè olet, & interdum quasi harenam, interdum quasi sanguinem trahit, dolent autem coxæ, quæq; inter has, superq; pubem sunt, & accedunt frequentes ructus, interdum uomitus bilios us, extremæq; partes frigescunt, urinæ crebra cupiditas, sed magna difficultas est: & quod inde excretum est aquæ simile, uel ruffum, uel pallidum est, paulùm tamen in eo leuamenti est, aluus uerò cum multo spiritu redditur, utiq; in renibus uitium est. Aut si paulatim destillat, uel si sanguis per hanc editur, & in eo quædam cruenta cõcreta sunt, idq; ipsum cum difficultate redditur, & circa pubem inferiores partes dolent, in eadem uesica uitium est. Calculosi uerò his indicijs cognoscuntur. Difficulter urina redditur, paulatimq; interdum etiam sine uoluntate destillat. Eadem harenosa est, nonnunquam aut sanguis, aut cruentum, aut purulentũ aliquid cum ea excernitur. Eamq; quidam promptius recti, quidã resupinati, maximeq; hi qui grandes calculos habent, quidam etiam inclinati reddunt: colemq; extendendo, dolorem leuant. Grauitatis quoq; cuiusdam in ea parte sensus est, atq; ea cursu omniq; motu augetur. Quidam etiam cum torquentur, pedes

inter

A inter se subinde mutatis uicibus implicant. Fœminæ uerò oras naturalium suorū manibus admotis scabere crebrò coguntur. Nonnunq; si digitū admouerunt, ubi uesicæ ceruicē is urget, calculum sentiunt. At qui spumantē sanguinem excreant, his in pulmone uitium est. Mulieri grauidæ sine modo fusa aluus elidere partum potest. Eidem si lac ex māmis profluit, imbecillum est q̄d intus gerit. Duæ māmæ sanū illud esse testant. Frequens singultus, & præter cōsuetudinem cōtinuus, iecur inflammatū esse significat. Si tumores super ulcera subitò esse desierūt, idq; à tergo incidit, uel distentio neruorū, uel rigor timeri potest. At si à priore parte id euenit, uel lateris acutus dolor, uel insania expectāda est. Interdum etiam huiusmodi casum, quæ tutissima inter hæc est, profusio alui sequit. Si ora uenarū sanguinem solita fundere subitò suppressa sunt, aut aqua inter cutem, aut tabes sequitur. Eadem tabes subit, si in lateris dolore orta suppuratio, intra quadraginta dies purgari nō potuit. At si longa tristitia cum longo timore & uigilia est, atræ bilis mor-

B bus subest. Quibus sæpe ex naribus fluit sanguis, his aut liē tumet, aut capitis dolores sunt, quos sequitur, aut quædā ante oculos tanquam imagines obuersentur. At quibus magni lienes sunt, his gingiuæ malæ sunt, & os olet, aut sanguis aliqua parte prorūpit. Quorum si nihil euenit, necesse est in cruribus mala ulcera, & ex his nigræ cicatrices fiant. Quibus causa doloris, neq; sensus eius est, his mens labat. Si in uentrem sanguis confluxit, ibi in pus uertitur. Si à coxis & ab inferioribus partibus dolor in pectus transit, neq; ullū signum malum accessit, suppurationis eo loco periculum est. Quibus sine febre aliqua ex parte dolor, aut prurigo cum rubore, aut calore est, ibi aliquid suppurat. Vrina quoq; quæ in homine sano parum liquida est, circa aures futurā aliquam suppurationem esse denunciat. Hæc uerò cum sine febre quoq; uel latentiū, uel futurarum rerum notas habeant, multo certiora sunt, ubi febris accessit, atq; etiam aliorum morborū tum signa nascuntur. Ergo protinus insania timenda est, ubi expeditior alicuius, quàm sani fuit, sermo est, subitaq; loquacitas orta est, & hæc ipsa solito audacior: aut ubi

C rarò quis & uehementer spirat, uenasq; concitatas habet præcordijs duris & tumentibus. Oculorum quoq; frequens motus, & in capitis dolore offusæ oculis tenebræ, uel nullo dolore substante somnus ereptus, continuataq; nocte & die uigilia, uel prostratum contra consuetudinem corpus in uentrem: sic, ut ipsius alui dolor id nō coegerit, item robusto adhuc corpore insolitus dentium stridor, insaniæ signa sunt. Si quid etiam abscessit antequā suppuraret, manente adhuc corpore insolita febre subsedit, periculū affert primùm furores, deinde interitus. Auris quoq; dolor acutus, cum febre cōtinua, uehementiq;, sæpe mentē turbat: & ex eo casu iuniores interdum intra septimū diem moriunt, seniores tardius: quoniam neq; æquè magnas febres experiuntur, neq; æquè insaniunt,

ita sustinent dū is affectus intus uersatur. Suffusæ quoq; sanguine A
mulieris mammæ, furorē uenturū esse testant. Quibus autem lon
gæ febres sunt, his aut abscessus aliqui, aut articulorum dolores e-
runt. Quorum faucibus in febre eliditur spiritus, instat his neruo-
rum distentio. Si angina subitò finita est, in pulmonem id malum
transit, idq; sæpe intra septimum diem occidit. Quod nisi incidat,
sequitur, ut aliqua parte suppuret. Deinde post alui longam reso-
lutionem, tormina. Post hæc intestinorum leuitas oritur. Post ni-
mias destillationes, tabes. Post lateris dolores, uitia pulmonū: post
hæc, insania. Post magnos feruores corporis, neruorum rigor aut
distentio. Vbi caput uulneratum est, delyrium. Vbi uigilia torsit,
neruorum distentio. Vbi uehementer uenæ supra ulcera mouen-
tur, sanguinis profluuium erit. Suppuratio uerò pluribus morbis
excitatur. Nam si longæ febres sine dolore, sine manifesta causa re-
manent, in aliquam partem id malum incumbit, in iunioribus tan
tum, in senioribus ex eiusmodi morbo quartana ferè nascitur. Ea- B
dem suppuratio fit, si prȩcordia dura dolentia ante uigesimū diem
hominē non sustulerunt, neq; sanguis ex naribus fluxit, maximeq;
in adolescentibus, utiq; si inter principia aut oculorum caligo, aut
capitis dolores fuerunt, sed cū in inferioribus partibus aliquid ab-
scedit. At si prȩcordia tumorem mollem habent, neq; habere intra
sexaginta dies desinūt, hæretq; per omne id tempus febris, tum in
superioribus partibus fit abscessus, ac, si inter ipsa ulcera non fluit,
circa aures erumpit. Cumq; omnis longus tumor ad suppuratio-
nem ferè spectet, magis eò tendit is qui in præcordijs, quàm is qui
infrà est. Si lassitudinis etiam sensus in febre est, uel in maxillis, uel
in articulis aliquid abscedit. Interdum quoq; urina tenuis & cru-
da sic diu fertur, ut alia salutaria signa sint, exq; eo casu, plerunq; in
fra transuersum septum (quod διάφραγμα Grȩci uocāt) fit abscessus.
Dolor autem pulmonis, si neque per sputa, neq; per cucurbitulas,
neq; per sanguinis detractionem, neq; per uictus rationem finitus
est, uomicas aliquas interdum excitat, aut circa uigesimū diem, aut
circa quadragesimū, nonnunq; etiam circa sexagesimū. Numerabi C
mus aūt ab eo die, quo primum febricitauit aliquis, aut inhorruit,
aut grauitatem eius partis sensit. Sed hæ uomicæ modò à pulmo-
ne, modò à contraria parte nascuntur. Quod suppurat, si ab ea par
te quam afficit, dolorem, inflammationemq; concitat, ipsum cali-
dius est: & si in partem sanā aliquis decubuit, onerare eam ex pon-
dere aliquo uidetur. Omnis etiam suppuratio, quæ nondum ocu-
lis patet, sic deprehendi potest. Si febris non dimittit, eaq; interdiu
leuior est, noctu increscit, multus sudor oritur, cupiditas tussiendi
est, & penè nihil in tussi excreatur, oculi caui sunt, malȩ rubent, ue-
næ sub lingua inalbescunt, in manibus fiunt adunci ungues, digiti,
pallent maximeq; summi †calent: in pedibus tumores sunt, spiritus diffici
lius trahitur, cibi fastidiū est, pustulæ toto corpore oriunt. Quòd
si pro-

A si protinus initiò dolor & tussis fuit, & spiritus difficultas, uomica uel ante, uel circa uigesimũ diem erumpet. Si serius ista cœperint, necesse est quidem increscant, sed quo minus citò affecerint, eo tardius soluentur. Solent etiam in graui morbo pedes cum digitis unguibusq; nigrescere. Quod si nõ est mors consecuta, & reliquum corpus inualuit, pedes tamen decidunt.

ENARRATIO.

Sed cum proposuerim signa.) Transitio est ad nouum testimoniorum genus. Nam aduersæ ualetudinis tum impendentis, tum urgentis signa proposita sunt. Atq; inter urgentis mali notas, quæ spem præbeãt, quæ longitudinem minitentur, quæ periculum denuncient, quæ mortẽ intentent, suis quæq; locis, q̃d nusquã fecit Hippocrates, sunt demonstrata. Nunc quod uitij genus futurũ è præsentibus quibusq; signis sperari debeat, ostendetur. Mox deinde proximo capite, quid cognito iam uitio & apparẽte feliciter ac securè, aut quid improbè & periculosè, cõiungatur aperiẽt. Quemadmodũ superius, quid malam ualetudinem in genere primùm præcedat. Deinde, quid cũ omni cõmuniter spem aut metũ faciat salutis uel longè, uel propè positæ, uel du
B bię, uel nullius quoq;, traditũ est. Ita nũc duo supersunt, ut singulas morborũ formas quid antecedat, easq; nunciet secuturas, & ut in quoq; genere quid securitatẽ ullam aut formidinẽ apportet, & quid intus sit, aut uenturum, cognoscamus. Quorum prius hoc capite, proximoq; posterius intelligetur.

Ante febres, si caput graue.) Sunt hæc tria quotiescunq; simul ingruunt, pituitæ in capite redundantis satis firma indicia. Nam etsi tum capitis grauitas, tum oculorum caligatio potest non modò è cuncto corpore, uerùm etiam multo crebrius è uentriculo suboriri: tamen quum hæc coniunguntur, & à somno cum sternutamentis lacessunt, erupturæ pituitæ uel in nares, uel in fauces, uel in pulmonem, unde febres ac tabes quibusdam mox consequantur, signa præbent: si non sputo prius reijciantur, & sit pituita tenuis atq; acris quæ delabitur. Crassa enim in pulmone potius anhelationẽ, in faucibus tumorem & deglutiendi difficultatẽ, in aspera arteria raucitatẽ paritura est. Grauitas porrò multitudinis index est. Caligatio, ex somno humoris, aut uaporis crassi in neruos opticos illapsi. Sternutatio, uaporũ è cerebro uel perfrigerato, uel calefacto erumpentium nota est: quæ tam est sub initijs destillationum noxia, quàm est à morbo se colligentibus atq; confirmantibus salutaris. In principio siquidem, mali ingraueſcentis: in desinentia, uirtutis se reparantis indicium est. Fiunt autem hæc maximè in senibus, & qui senili capite, hoc est debili, & frigido humidoq; sunt præditi.

C *Si sanguis aut calor.*) Calor quia laxat & resoluit uenas arteriasq;, & quia sanguinem in quo includitur diffundit & amplificat, eius fluxionẽ ubi exęstuat parit. Quare Hippocr. 5. Aph. 16. & lib. de Liquidorum usu, ex multis, quæ calor facit alia, τὸ θερμὸν, inquit, βλάπτει τοῖσι πλεονάκις χρεομένοισι αἱμορῤῥαγίας. Calido (seu mauis calida) si quis crebrius utatur, adfert sanguinis profluuia. De sanguine aũt clarius est, ipsum ſicubi abundat, ferè profundi, quàm ut multis probari debeat: sua nanq; copia perrumpit, & calore diffunditur, ac sua uascula reserat: præcipueq; tempore uerno, & ætate pubescente, ubi quis hirquitallire iam atq; adolescere incipit. Viget enim, si quãdo maximè, hoc tẽpore & hac ætate, & calor genuinus, & sanguis illius thesaurus. Id quod de Natura humana, & lib. 1. tertioq; Aphoris. docet Hippocr. Qui tum quoq; multo certius de naribus sperari potest, si capitis temporũq; grauitas, si frontis dolor, si oculorum caligatio, uultusq; rubescẽs antecesserit. Quippe quæ ita connexa, sanguinis in capite redundantis testimonium dant.

Si sine causa quis.) Non alitur corpus certè feliciter, nisi & uirtutibus suis in-

tegris constet,& humoribus prosperis sit præditũ. τὰ μὴ καθαρὰ ἧν σωμάτων, A
ὁκόσον ἂν θρέψῃς, μᾶλλον βλάψεις. id est: Impura corpora quanto magis nutriueris, tanto lædes magis. 2. Aph. 10. Idemq; lib. eod. Aph. 15. Non antè tutò corpus nutriri docet, quàm sit intus expurgatũ ac mundũ. Quare si quis, quantum ualenti sufficiat, edat, bibatq;, nec cõfirmetur tamen, sed emarcescat etiã hoc ipso magis, integra firmaq; cõstitutio intus subesse nõ potest, sed cacochymiã & malum corporis habitũ clàm ali significatur. Quod fieri credendum est, uel quia nimio alimẽto corpus oneratur, uel quia immundiciei purgatione opus habet: quæ prodita sunt 2. Aph. 32. Quæ cùm in omnibus uera sint, tum in ijs maximè qui gracili ac tenui bilioso' que habitu naturæ sunt præditi. Nam probè uereq; mihi facere uidebuntur, qui è duabus iam dictis sententijs, priorem ad pituitosos, proximã deinde ad sanguine refertos, & hanc tertiam, quam nunc tractamus, ad bilioſos, & quartam quæ continuò sequetur, ad melancholicos ac flatulentos homines accommodabit.

Si præcordia dolent.) Dolor hic multis de causis fieri potest, si quid delicti uel in uẽtriculo, uel in iecore, uel in liene cõmittatur. In uentriculo tum cruditate, tum mala temperatione, tum humorũ flatuumq; uitio, quæ uel rerũ sumptarum malicia, uel loci praua affectione, uel aliundè è reliquo corpore malo illuc importato nascunt. Quæ primùm uentriculum cui includunt inficiunt, deinde omnẽ proximam regionẽ hypochondriorũ, aut earum partẽ alteram præcipuè, & cum his sæpe caput aut intestina discruciant. In iecore si qua obstructio, si qua imbecillitas, si bilis flaua aut pallida exuperet, protinus dextri hypochondrij grauitas, distentio, morsus sequitur: hinc mox in mesenteriũ, in intestina, in uentriculũ, in caput, in totũ deniq; corporis habitum, seminariũ spargitur, præsertim si bilis etiam crassior sit, aut tenuior q; oportet: si in uitellinã, in porraceã, in æruginosam, in cæruleã conuertatur. In liene item si quid obstructũ, si humor eius melancholicus, aut maior sit, aut crassior, aut adustior q; cõueniat, primùm sinistro hypochondrio uitiũ infertur: tum etiã uentriculo, iecori, intestinis, & toti plerunq; corpori affricatur. B

Aut inflammatio.) Fit inflammatio tum putredine humorũ in ijs uisceribus quæ paulo antè memorauimus, tum præcipuè bilis copia & feruore, aut atræ bilis adustione quadam, aut uenarum obstructione quapiam.

Aut non toto die concoctione.) Cruditas naturæ & uirtutis eius quæ cõcoctioni præficitur, aut copiæ eorũ quæ assumuntur, ferè uitiũ aliquod cõsequitur.

Quibus diu color.) Lib. 2. Prædict. Hippocr. Quibus colores, dum iuuenes sunt, assiduo multoq; tempore praui sunt, non tamen more regij morbi, ij siue uiri sint, siue fœminę, caput dolent, & lapides ac terram comedunt, & hæ morrhoides habent. Pallidi uerò cum uirore quodã colores si diuturni sunt, & morbus regius uehemens nõ est, cætera quidem eadem facere solent. Verùm pro lapidũ terræq; esu, præcordijs himagis quàm superiores cõflictant. C
Celsus decolorationẽ sine regio morbo dicit: Hippocrates non morbũ quidẽ regiũ, sed eius tantũ colorẽ excipit. Vt malũ colorẽ, sed minimè tamẽ flauũ aut uiridẽ intelligas: sicut in magna crudorũ humorũ coaceruatione cerni potest. Vnde & capitis dolor, & aridissimarũ rerũ appetentia sequi solet.

Qui diu habent faciẽ pallidã.) Lib. 2. Prædict. Quicunq; multo tempore pallidi apparent, & facies in tumorẽ eleuatas habent, eos capite dolere sciendũ est, aut circa uiscera dolorẽ, aut uitium aliquod in sede, aut horũ multa, aut etiã omnia. Pleraq; interdum, nonnunq; etiã omnia accidere, Celsus prætermittit.

Si in continua febre puero uenter.) In Prænot. utriusq;: Pueris conuulsiones fiũt, si febris fuerit acuta, & uenter nihil egesserit, & uigilarint, & terreantur, & eiularint, & colorem mutauerint, & uiridem pallidum'ue, aut liuidum, aut rubrũ contraxerint: fiunt aũt hæc promptissimè quidem pueris nuperrimè editis, usq; ad septimũ annũ. Seniores uerò pueri & uiri nõ amplius in febribus conuulsionibus corripiuntur, si nõ quid è signis fortissimis ac pessimis

acceſſe-

A accesserit. Celsus nõ hæc quidẽ omnia, sed tantũ ea quæ in Coacis Prænot. breuiter de hac re Hippocrates perstrinxit, explicauit. Illud aũt huc etiã pertinet, q̃d 7. Aph. 18. proditũ est: A' uigilia conuulsio, aut delyriũ, malum est.

Frequens destillatio in corpore.) Lib. 2. Prædict. Tabescentem hominẽ ut facilè è uitio emergat, inter alia multa, quàm minimè tenuẽ esse oportet. Pectusq; in ipso requiritur quadratũ & hirsutũ, & ut os ipsius paruũ sit, & robustè carnosum. Quæ qui nõ habet, in metu uersatur: hinc Celsus à contrariarũ rerũ ui, tenuia corpora, longaq;, ac procero collo angustoq; pectore prędita, tabi subiecta esse, si frequens in ipsis destillatio accidat, uerissimè tradidit.

Vbi pluribus diebus nõ descẽdit aluus.) 2. Prædict. Alui deiectiones procedere cõuenit his qui laboribus exercentur, quandiu parũ ederint ac potauerint modicus & durus, idq; q̃tidie. Si uerò quoq; die, aut quarto, aut lõgiore etiã interuallo, pdierint, periculũ est ne aut febri, aut alui profluuio demũ corripiantur.

Vbi pedes turgent.) In Indicat. Qui ab alui profluuio multo tempore detinentur unà cum tussi, ij non liberantur, nisi dolores uehementes in pedibus inciderint: sed in mẽstruis quoq; purgationibus, & in hæmorrhoidibus, & omni deiectione alui immoderatiore, pedũ tumor, si quã iecur etiam noxã præsenserit, suboriri cõsueuit. Quanq; nõ id spectasse Celsum puto, ut pedes turgentes longę deiectionis indiciũ statuere uoluerit: sed quatuor ista, primùm
B pedes turgentes, deinde longã deiectionẽ, tum in imo uentre dolorẽ, postremoq; in coxis etiam dolorẽ, impendentis aquæ inter cutẽ, atq; ab ilibus subnascentis, signa proponere uoluisse existimo. Id quod ex Hippocratis ambabus Prænot. euidentissimũ fieri potest, & nos iam cõtinuò subijciemus. Quare erroris causam omnẽ hinc sustulerit, qui addita modò coniunctione copulante sic leget: Vbi pedes turgẽt, & longæ deiectiones sunt, ubi dolor in imo uentre, &c. Sunt enim hæc summè consentanea Hippocrati, cuius uerba subijciam, ut quatuor illa, quæ modò dixi, quid denunciẽt & efficiãt intelligatur. Incipiunt hydropes, & aquæ inter cutẽ, pleræq; quidem à laterum mollitudine, & à lumbis, nonnullæ uerò etiã ab hepate. Quibus autẽ à laterũ mollitudine lumbisq; inchoant, ijs & pedes intumescunt, & alui profluuia diuturna ipsos detinent, quę neq; dolores lumborũ laterumq; soluũt, neq; uentrẽ emolliunt. Celsus, q̃d fecit etiam superius, coxas hic pro lumbis ac locis, secundum iliũ ossa constitutis posuit. Et ilia pro lumborũ partibus molliorib. est interpretatus. Certè Latini partes sub umbilico laterales ad os ischij collocatas ilia nominãt, græci λαγόνας dicũt. Inter quas, & extremã thoracis costã, partes illæ laterũ inanes ac molliculę, in quib. sũt ieiunũ, mesenteriũ, & tenuia intestina, quas græci ὑγρεῶνας & λαπάρας uocãt, cõprehendunt: sunt eñ in utroq; latere ad spurias costas hypochõdria posita, quæ nũc ferè cũ Celso præcordia nominare solemus. Post quę in laterũ rectitudine ὑγρεῶνάς, inaniaq; illa cõsequant: sub quib. ilia ad ischij os subiecta sunt, post quæ
C proximè statuunt ὀσὰ λαγόνων, id est, iliũ ossa. Postremoq; sub his ad femoris ingressũ coxa, siue coxendix adhæret: quæ Græci ἰσχία, & Arabũ scholæ anchas uocãt. Celsus ambo illa ossa, nempe superiora latioraq; iliũ, & inferiora exterioraq; coxendicũ, coxarũ nomine: atq; adeò ilia quoq; ipsa, & cunctam lumborũ regionẽ eodem uocabulo cõplecti sæpe solet: nõnulla quidem rerũ perturbatione & obscuritate, sed quæ parum ad hydropis originẽ intelligendã momenti habeat, quando hæ partes uniuersę compati & collaborare consueuerũt. Alioqui lumborũ uerbo omnẽ eam partem quæ à præcincto per quinq; dorsi spondilia laterumq; omnẽ molliciem ad sacrũ usq; os propter amplitudinẽ sic appellatum interiacent, appellant. Perinde atq; mollia inaniaq;, laterũ, à summa costa ad os usq; iliũ sæpe tota nominantur.

Idẽ propositũ periculũ est.) In Prænot. Quibuscũq; à iecore aquæ inter cutẽ oriuntur, ijs tusses, tussiendiq; prõptitudo accidit, & nihil memorabile expuũt, & pedes tument, & aluus non egerit nisi dura, idq; coactè, & circa uentrem

fiunt tumores, tum in dextra, tum in sinistra parte, modò crescentes, modò desinentes. Non dubitò rursus hoc loco in Celso, hominum malè doctorum ignorantia, uoluntatem tussiendi, peruersam esse in desidendi uoluntatem: proptera quòd uentris nihil reddentis mentio continuò subsequatur, existimantium fortassis ad τλωδυμόν id referendum fuisse, quem doctissimi quique crebram & inanē egerendi uoluntatē definiunt. Et Celsus quoq; frequentē desidendi cupiditatē alio loco finit, sed pari atq; in dysenteria dolore, ubi aliquid excernitur: de qua cōtrouersia aliàs aliquando dicendi locus dabitur. Nunc id constare debet, nec egerendi uoluntatis, neq; desidēdi cupiditatis rationem hoc loco competere, multoq; etiam minus esse ista ad tenesmō accōmodanda: sed tussiendi uoluntatē, tum authoritate manifesta, tum ratione expressa cōuenire. Aqua siquidem inter cutē ubi iecur obsidet, cōpresso septo trāsuerso, & per uenā cauam eius bona parte in pulmonē diffusa, tussiendi cupiditatē lōgè periculosissimā, sed tamē promptā adfert. Quāobrē 6. Aph. 35. inquit Hipp. τοῖσιν ὑδρωπικοῖσι ὅκῃ ὐδηγυομένη, κακόν. id est: Aqua inter cutē laborantib. tussis si accidat, malū. Sed 7. Aph. 47. plus etiā dixit, ὑδρωπιῶντα ἢν βηξ ἔχῃ, αὐέλπιστος ὄσιν. id est: Hydropicū si tussis uexet, desperatus est.

Eiusdem morbi nota est.) In Coacis Prænot. Dolor supra umbilicum pariter & secundum lumbos, si medicamentis nō soluatur, in hydropem siccam desinet. Quæ etsi præclara ratione cum Celso hoc loco congruunt, sunt tamen non paulo ad hanc rem illustriora, quæ 4. Aphor. 11. idem author posteritati mandauit. Quibus tormina (Græci στρόφους appellant) & circa umbilicū cruciatus & lumborū dolor accidit, qui neq; medicamento, neq; per alia præsidia soluitur, in hydropa siccum firmatur. Celsus Hippocratis στρόφους, aptissima periphrasi, ubi circa umbilicum intestina torquentur, circumlocutus est. Tormina uerò, quæ à torsione ducuntur, aliàs ubique pro dysenteria dixit: quum longè aliud dysenteriæ appellatione, nempe intestinorum exulceratio, non tortio tantum designetur. Coxas autem iterum pro lumbis ac uoce ὀσφύος redditas esse pro more Celsi, ne admonendum quidem duxi.

Dolor autem articulorum.) Hæc ut reprehendere nō possum, ita cum quo loco Hippocratis uno cōparem, nondum cōpertum habeo, nisi q; mirè cōsentiant cum multis illis ex 4. lib. sententijs. Primùm Aph. 33. Si quid cuiq; antè morbum doluerit, illuc morbus incumbit. tum Aphor. 39. Qua parte corporis frigus aut calor est, ibi morbus est. Præterea Aph. 44. Quibus febres longæ sunt, ijs tubercula ad articulos aut dolores fiunt. Denicq; lib. 2. Aph. 5. κώποι αὐτόματοι φλέζεσι νόσους: Spōte lassitudines ortę denunciāt morbos. Sed nec de febribus, neq; de lassitudinis sensu, in articulos & circa maxillas maximè abscessus minitante, 4. Aph. 31. hic agendum fuisse fortassis quispiā existimauerit, propterea q; qualia quodq; genus morbi antecedāt, nō cuiusmodi comitentur, hoc capite exponere propositum sit. qualia primis illis modò productis Aphorismis, nō istis posterioribus cōprehenduntur. Nam q; articulorum dolorē talem dicit, ut eo loco nerui cōtrahantur, quemadmodū certum est ea cōtractione appetentē arthritidem sæpe indicari: sic te quæso lector, ut Aphor. illum 25. è 5. lib. cum his conferre uelis, quo dolores articulorum ac tumores sine ulcere, & podagricæ affectiones cōuulsionesq; frigida aqua multa affusa leuari soluiq; traduntur. fieri enim certè potest, ut ad hos omnes Celsus, aut ad plerosq; dictos Aphorismos, animi oculos intenderit: non ut eos quales in Hippocrate offenderat, ad Latinos conuerteret, quod facit rarissimè: sed ut eos magno compendio in unum locum cogeret, suoq; proposito adaptaret quàm breuissimè, quicūq; ad artuū uitia denuncianda ullo pacto cōducerent. Non modò enim in articulis, sed in alijs quoq; membris, si dolor, si contractio, si fatigatio sponte oborta, si calor, si frigus urserit, noxam aliquam uel subesse, uel imminere significatur.

Quibus in pueritia sanguis ex naribus.) Nimisquàm breuiter Celsus prę lōgā Hippocratis

A pocratis ſententiã perſtringit. Quam ubi totũ poſuerim, facilè perſpicietur, quid hic mutatũ ſubſit, aut quid omiſſum. Quibus, inquit, circa articulos dolores fiunt & tumores, & ſedantur nõ podagrico modo, in his cõperies uiſcera magna, & in urina ſubſidentiam albã. Et talis ſi tempora eleuarit, dicet ſibi illa ſæpe dolere, dicet etiã ſudores ſibi nocturnos accidere. Si uerò neq; in urina ſubſidit talis ſubſidentia, neq; ſudores fiunt, periculũ eſt ne aut claudi articuli fiant, aut abſceſſus humore ſuo melli ſimilis, quem melicerida uocant, ſubnaſcatur: fit aũt hic morbus ijs, quibus in pueritia & iuuentute ſanguis ex naribus fluere ſolitus, deſiit. Proinde interrogãdum eſt de ſanguinis eruptione, an in iuuentute euenerit, & an pruriginoſæ uelut ab urtica puncturæ, & in pectore & in dorſo inſint, & quibus alui dolores inducantur citra exturbationes, & quibus hæmorrhoides fiant: hoc enim iſtorũ morborum principium eſt. Si uerò etiam malo colore prædíti ſunt, caput quoq; ſe dolere, ſi roges, fatebuntur. Quibus uerò ex his alui dolores in dextris fuerint, ij uehementiores euadunt, præſertim quũ ad præcordium iecoris reliquiæ doloris cõſtiterint. Atq; his doloribus prodeſt ſtrepitus ſtatim in aluo obortus. Verùm poſteaquã dolor conquieuerit, urinã craſſam & cum uirore pallidam reddunt. Quo modo minimè quidẽ lethales ſunt, ſed ualde diuturni. Quum uerò iam uetuſtus fuerit morbus, homines exipſo cæcutiunt.

B Et ſi perconteris, fatebuntur tum ſanguinem in iuuentute fluxiſſe, tum uiſus hebetudinem, tum urinæ pallorẽ, tum ſtrepitus ſubeſſe, prodeſſeq;. Ex tam multis incõmodis, quæ ſanguinis in iuuentute è naribus profluuium demũ conſequantur, præter capitis dolorem, & articulorũ ulcerationem, pro qua tamen Hippocrates tum claudicationẽ, tum melicerida ſcripſit, nihil Celſus enucleatè attigit. Verùm hac ſola oratione, uel aliquo etiam morbo debilitentur, cætera uniuerſa ſummatim taciteq; uniuerſa incluſit: quæ qualia ſint, non facilè ſit, niſi Hippocratis adiungas ea quæ modò prolixè protulimus, coniectare. Nos itaq; quo quid in hac ſumma ſit incluſum atq; deliteſcat intelligatur, omnia ad uerbum aſſcribi illa cõmodum fore ſumus arbitrati: & quia multa inſunt, quæ poſtea huc erunt ſæpe tanquam ad caput referenda.

Quibus fœminis menſtrua non proueniunt.) 5. Aph. 58. καταμηνίων πλειόνων γινομένων νέοισι συμβαίνει· καὶ μὴ γινομένων, ἀπὸ φλεβὸς γίνονται νόσοι. id eſt: Menſibus pluribus prodeuntibus, morbi fiunt: & nõ prodeuntibus, ab utero morbi rurſus accidunt. In Prædict. quoq;, uiris pariter & mulieribus, cum quadã ſecuritate, uehementiſsimos fieri capitis morbos & diuturnos docet. Præterea tum adoleſcentibus, tum uirginibus in ipſa pubertatis ætate, & maximè cum iam menſes fluere incipiunt. Mulieribus tamen minus pruriginoſas illas & atrebilarias puncturas quàm uiris cõtingere, niſi penitus menſes aboleantur. Cæterùm quod Celſus adijcit, uel quælibet alia pars morbo infeſtetur:

C illum mihi Aphoriſmũ ſpectare uidetur 29. ex lib. 6. γυνὴ δὲ ποδαγρικὴ, ἢν μὴ τὰ καταμήνια αὐτέῃ ἐκλείπῃ. id eſt: Fœmina podagra non laborat, niſi menſtrua ipſam defecerint. Quanquam de collo, de lumbis, de imo uentre, de pectine, de præcordijs, de uentriculo, dolore infeſtatis item intelligi poteſt. Quæ Hippocrates ijs libris, quos de Natura muliebri, & de morbis muliebribus conſcripſit, & aliàs ſæpe percenſet.

Eademq; his pericula ſunt.) Capitis nempe doloris, aut ne quęuis alia pars morbo infeſtet. Id q̃d nos iam paulo antè ex Hippocrate prolixè planeq; oſtendimus, quũ locũ illũ, Quibus in pueritia ex naribus ſanguis fluxit, tractaremus. quẽ totũ huc accõmodari operæpreciũ fuerit: eoq;, id ut fiat, uelim. Vt q; multa ad hanc rem & cognitu neceſſaria ſint hic omiſſa, & quanta locorũ intercapedine pleraq; ſint ex Hippocrate decerpta, cognoſcatur. Neq; enim Hippocrates ſub hęc Celſi uerba pruritus frõtis, ſed pectoris ac dorſi, multo poſt alia, quæ refert plurima, cõmeminit. Nec ab his quoq; continuò lippitudinis ullam mentionem facit, ſed poſt bonũ interuallum rurſus cæcitatis.

Quam-

Quamobrem non puto quenq; in Celso ueritatẽ facilè consecuturũ, qui nõ A
ipsum diligentissimè inter hæc cum Hippocrate cõtulerit. Neq; enim senex
ille medicinę parens, capitis dolores, & aliarũ partium, quę modò diximus,
pericula, ex articulorũ uitijs, & doloribus, tumoribusq;, quæ sine podagra
modò desinunt, oriunturq;, expectanda prodidit: sed ex ipsis uiscerum ma-
gnitudinem, & in urinis subsidentiam albã profiteri docet, atq; hinc rursus
tum circa tempora dolorem, tum sudores nocturnos diuinare. Et si quis for
tassis urinæ illam candidam subsidentiam ac sudores sibi fieri negabit, peri-
culum fore mox ipsi denunciare, ne quod in urinis illam subsidentiam allatu
rum erat, & in somnis sudorẽ pariturum, in articulos iam incumbat, ubi uel
mutilationem, uel certè melicerida producat. Atq; hæc ita maximè euenire
ijs, quib. in pueritia & iuuentute sanguis ex naribus crebrò profluxit, iamq;
omnino fluere destitit. Quod si non præcesserit, uerùm tanq; ab urticis iam
pectus simul ac dorsum pruriuerint, uentrem doloribus acerbis infestandũ,
&, si corporis color fœdus sit, capitis quoque dolores metuendos esse, citra
deiectionem atq; hæmorrhoides, cõtestari licebit: propterea quòd pruritus
illi, uentrisq; dolor, atq; hæmorrhoides, ab atra bile proficiscantur. At si po-
stremò neq; sanguis ita defluxit unquam, neq; atræbilariæ affectiones ullæ
subsecutæ sunt, probabile futurũ dicetur, ut malo hypochondrium alterum
infestari incipiat: sed dextrum atrocius, quia à uiscere quod cõtinet, genero- B
sius est. Vnde si protinus quodam strepitu uitium euoluatur, per crassum lo-
tium solutum iri. Aut si in uetustatem producatur, de cæcitate demum om-
nino formidandum esse. E' quibus omnibus Celsus instar apiculæ pauciss-
ima quædam duntaxat assultauit atq; decerpsit, nec ea qualia accepit reddi-
dit, sed nouo quasi mellificio imbuta reposuit. Nam principiò si quib. quod
Hippocrates inquit, dolores tumoresq; circa articulos oriũtur modò ac de-
sinunt, sed non podagrico more, in urina ferè albam subsidentiam obtinẽt.
Deinde si, quod magna ex parte fit, talis urina crassitie quadam pariter con-
turbata est. Adhæc, si, quod in Prædictionibus alio loco tradit, crassa urina
albam subsidentiam continens, circa articulos dolorem aliquem aut tumo-
rem significat. Et, quod in Aph. 70. lib. 4. scriptum extat: ὁκόσισιν ἐν πυρετοῖσι
τὰ ὦρα ἀνάπαλιν ὑποζύγια, τούτοισι λιγοφαλαλγίαι ἢ πάρεσιν. id est: Quibuscunq; per febres urinæ conturbatæ sunt uelut iumenti, his ca
pitis dolores uel adsunt, uel aderunt. Certè ex hac gradatione ac sorite Cel-
sus cõfecerit, collegeritq;, si quibus dolores tumoresq; articulorũ sine poda-
gra oriuntur ac desinunt, uel dolorẽ capitis adesse, aut secuturũ, uel quamli-
bet aliam partem morbo tentandam esse. Iisdemq; tempora utiq; sæpe dole-
bunt, & noctu corpora insudabunt. Porrò quid de frontis pruritu ac lippi-
tudine sentiendũ sit, quæ non habet Hippocrates, paulo antè indicauimus.
Et fieri potest, ut cum dorsi pectorisq; pruritu simile quippiam circa frontẽ C
ac caput sentiatur. Et probabile est Celsum pro cæcitate, quæ grauior sit, lip
pitudinem, ex qua illa sequeretur, quęq; & frequentior et mitior sit, uoluisse
substituere. Sed in his atq; similibus quicquid demũ alicubi abs me concor-
diæ ac conciliationis cuiusdã gratia dicitur, eatenus id approbari cupio, qua
tenus id eruditi ac boni medici suo calculo confirmabũt. Nihil enim perin-
de expeto, atq; ueritatẽ ab alijs, sicubi labor, audire. Et id bonos atq; doctos
uiros decere existimo, ut neq; penitus quicq;, quod incertum sit, et non satis
explicatum, nec cupidè semel in animum inducant: neq; ut aliena inuidiosè,
aut superbè uel reijciant contemnantq;, uel calumnientur atq; reprehendãt:
sed modestè sententiam ex æquo & bono cognoscendam suam proponant,
expendantq; item alienam.

Si mulier à partu uehementes.) Si quid mihi rursus hoc loco cõdonabitur, Cel-
si lectionem ad hunc modum castigabo: Similiter caput si uehementes do-
lores habet, neque præterea mala signa sunt. Neq; enim de muliere à partu
uehemen-

A uehementer dolente, quæ hic memorantur, ſperanda uſpiã, quod equidem meminerim, traduntur. Et quæ ſufficio, manifeſtè in prædictionibus, unde pluríma Celſus deſumpſit, ſcripta extãt. Et quàm fuit probabile ac procliue homini audaci atq; inerti, & ſimiliter in ſi mulier, & caput in à partu, pauca rum literarum metatheſi, & unius perquàm ſimilis mutatione conuertere, tam mihi ratione & euidenti authoritate ſubnixo, ueterem ueramq; lectionem ac ſententiam reuocare facile, ueniaq; dignum putabitur. Capitis itaq; dolores, inquit Hippocrates, uehementes & continui cum febre, ſiquidem lethalium ſignorũ quippiam acceſſerit, pernicioſi ualde ſunt. Sin uerò abſq; talibus notis dolor uiginti dies exceſſerit, & febris nihilominus detinuerit, ſanguinis è naribus eruptionem, aut abſceſſum aliquem in infernis partibus expectare decet. E' quibus uerbis, Celſi orationem petitam eſſe, quis nõ cla riſsimè agnoſcat? Nec quicquam moror, nec uerò mihi uel tantillum obſtat, quòd neq; febris Celſus, neque continuitatis meminerit, quòd illi familiare ſit multa ſæpe prætermittere, multa innouare, & addere quoq; ſæpè multa.

Quicunq; etiam dolorem ingentem.) Hippocr. 2. Prædict. Sed & quandiu do-
B lor recens fuerit, ſimiliter ſanguinis è naribus fluxionem, aut puris eruptionem ſperare conuenit, cùm aliàs, tum ſi dolor circa tempora ac frontem fue rit. Verùm ſanguinis fluxus magis in iunioribus triginta quinq; annis expectandus eſt. In ſenioribus uerò, puris eruptio. E' quibus iterũ uerbis in Celſo perperam, ingentẽ pro recentem dolorem legi, fit euidentiſsimum. Qui nihil hic prætermiſit, quod magnopere ſit neceſſarium: niſi tale putes, iuuen tutis annos ſuis terminis circumſcriptos non eſſe, & aliàs quoq; eadem iſta, quàm ſi cui frons temporaq; doluerint, accidere poſſe.

Febris autem quæ ſubitò.) Eſt hæc ſententia in Hippocrate multis locis repetita. Primùm enim 2. Aph. 27. Rebus ſignisq; illis, quæ non ſecundum rationem leuant, fidere non oportet: nec admodum metuere, quæ præter rationem deprauantur. Pleraq; ſiquidem ex talibus parum firma ſunt, & neque permanere, neq; morari ſolent. Deinde 4. Aph. 61. πυρέσσοντα μὲν μὴ ἐν πυρετῷ ἡμέρῃσιν ἀφῇ, ὁ πυρετὸς ὑποπτάζειν εἰωθώς. id eſt: Febrientem ſi diebus im paribus febris non dimiſerit, reuerti ſolet. Præterea in Prænot. Quibus febres deſinunt, nec ſignis ſolutorijs apparentibus, nec in diebus iudicatorijs, ijs illas reuerſuras eſſe expectãdum eſt. Eademq; in Coacis & ſecundo Prædict. repetita ſunt.

Cui fauces ſanguine.) Hippocr. 2. Prædict. Quod ſi cuipiam fauces implentur ſanguine ſæpe ſingulis diebus ac noctibus, cui neq; caput antè doluit, ne que tuſsijt, neq; uomuit, nec febre correptus fuit, nec pectore, nec dorſo indoluit, huius conſiderandæ ſunt nares & fauces, ulcus ne aliquod ſubeſſe uideatur, an hirudo. Celſus præcordiorum dolorem, dura nimis, & nimium
C longè petita ſynecdoche, pro dorſi pectorisq; cruciatu ſubſtituit, nec hirudinis quicquam commeminit.

Si mulier ex inguine febricula orta.) Secundo libro Prædict. Quibus ulcus geni tum eſt in utero, ſiue ex partu, ſiue ex tuberculo, ſiue ex alia quacunq; cauſa, his febres & inguinũ ſuccedere tumores doloresq; neceſſe eſt. Celſus ex inguine febriculam dicit. Hippocrates ex ulcere tum febrem, tum inguinum uitia procedere oſtendit.

Vrina autem craſſa.) 2. Prædict. Craſſa urina, quæ albã ſubſidentiam habet, aut circa articulos dolorem aliquem, aut tumorem denotat. 4. Aph. 74. Quibus ſpes eſt fore, ut abſceſſus ad articulos incũbat, eos ab abſceſſu liberat uri na multa & craſſa, & alba prodiens: qualis in febribus laborioſis quarto die nõnullis fieri incipit. Si uerò ex naribus quoq; ſanguis profluat, admodum breui ſoluitur. Quod autem de uiſcerum dolore attextum eſt, ſumptum apparet ex illo Hippocrat. 2. Prædict. loco, quem ſuperius, quum de ſanguinis ex naribus in pueritia fluxione ageremus, totum produximus. Quanquam

aliud quoq; Hippocrates illic, id quod ostendimus, agit. Solet etenim uarijs A
è libris Hippocratis Celsus, & diuulsis è locis, quæ paulum modò consentire inter se & conspirare ad rem eandem declarandam uideantur, in eundem locum, & nonnunquam in eandem sententiam colligere atq; coagmentare: fortasis quo minus unde petita sint appareat, & ut ea quæ ullo inter se pacto congruunt, ita connectantur.

Eadem uiridis aut uiscerum dolorem tumoremq;.) Diu me hic locus torsit, & sollicitum habuit, quũ uiridis urinæ præsens hoc elogiũ in Hippocrate quærerẽ, nec animo cõsequi aut memoria possem, in quãcunq; partẽ circumspicerẽ, ullam me eius mentionẽ, cum tali duntaxat, quam ei Celsus tribuit, significatione animaduertisse: sciebã in pleuriticis eam lethalem cum nigra subsidentia, in Coacarũ Prænot. lib. pronunciari: at crassa, eademq; uiridis, eccubi uiscerum dolorẽ tumoremq; testaretur, nusquã explanatè offendi: nisi q̃d demum secundo Prædictionũ libro, quo loco de articulorũ doloribus tumoribusq; pertractat, statim sub initiũ de urinæ alba subsidentia sermo fit: paulóq; post eodem loco, urina crassa, ac cum uirore pallida, post hypochondrij dolorẽ cum strepitu quodam exolutũ, expelli traditur. Vt igitur quæ eo loco inter utranq; urinã interiacent, carptim suprà Celsus protulit: ita hoc loco utriusq; lotij periculũ & significationẽ miscuit, & omnino cõfudit. Quod et ueriſimũ esse, qui inter se accuratè hęc omnia cõferet, intelliget: & cõstan B
tius credet, si uiscerũ appellatione, in Celso certè, frequẽter, tum iecoris, tum lienis, tum intestinorũ, tum uentriculi, hypochondriorumq; omnem regionem uenire meminerit. Nam quod uiridi urina periculum aliquod subesse, aut corpus certè integrum non esse notari dicit, neminem id ualde mouere debet. Quando & Hippocrates primùm uehementioris doloris ad iecoris præcordium, mox etiam mali diuturni, sed non lethalis mentionem facit. Quæ tam re ipsa maximè consentiunt, quàm uerbis sunt diuersissima.

At si sanguis aut pus in urina est.) 4. Aph. 75. ἢν αἷμα ἢ πύον οὐρέῃ, τῶν νεφρῶν, ἢ τῆς κύστιος ἕλκωσιν σημαίνει. id est: Si quis sanguinem, aut pus mingit, renum aut uesicæ ulcerationem testatur: maximè si diuturno tempore, multisq; diebus ac mensibus continuetur.

Si hæc crassa carunculas quasdam.) 4. Aph. 76. οἱσὶσιν ἐν τῷ οὔρῳ παχέῃ ἐόντι ψαρκίαι σμικραὶ, ἢ ὥσπερ πρίχες ξυνδρέουσι, τουτέοισιν ἀπὸ τῶν νεφρῶν ἐκκρίνεται. id est: Quibus cum urina crassa carunculæ minutæ, aut ueluti pili simul exeunt, his è renibus excernuntur. Crassam urinam mediocrem, & neutiquam tenuem intelligito. Pariter cõiunctionem disiunctiuam Aut, ante Quasi, ex Hippocrate restituito: quæ ferè in excusis exemplaribus, magna germani sensus iactura, desideratur.

Aut si bullat.) 7. Aph. 34. οἱσὶσιν ἐν τοῖσιν οὔροισι πομφόλυγες ἐφίστανται, νεφρικὰ σημαίνουσι, καὶ μακρὴν τὴν ἀῤῥωστίην ἔσεσθαι. id est: Quibus in urinis bullæ su C
perstant, renum affectionem denotãt, & morbum fore longum. Propterea quòd è crasso frigidoq; humore producantur.

Et male olet.) 4. Aph. 81. Ad uesicæ propriè noxam atq; exulcerationẽ declarandam, non ad renum ullam significationem, grauis odor accommodatur. Nam potest & sanguis, & pus, & squamula à renibus, atq; aliunde quoque, ut à iecore & uenis proficisci: sed fœtor quoties illis ipsis coniungitur, unius uesicæ exulcerationem notat. Quare & coniunctione copulante superioribus annecti debet, hoc modò: Si quis sanguinem, & pus, & squamas meiat, & odor his grauis subsit, uesicæ exulterationem declarat: sunt nanq; & in tabe squamulæ, sed grauis odoris uacuæ.

Et interdum quasi arenam.) Etsi Hippocrates 4. Aphoris. 79. arenulas uesicæ tantum asscribit: sunt tamen reuera & renibus interdum acceptæ ferendæ, quoties (quod sexto Epidem. sect. 1. Aphor. 5. inquit) fuluę in urina subsident. Nam è uesica plus habent alboris.

Interdum

A *Interdum quasi sanguinem trahit.*) 4. Aphoris. 78. ὁκόσοισιν ἀπὸ τοιουτομάτου αἷμα ἀφίεται, τοῖσιν ἀπὸ τῶν νεφρῶν φλεβίον ῥῆξιν σημαίνει. id est: Qui sua sponte sanguinem mittunt, ipsis id in renibus uenæ diruptionem significat. Idq; tum maximè, ubi derepentè sincerũ plurimumq; profunditur. Hippocrates Epid. eo loco quem modò citauimus: Si arenulæ, inquit, fuluæ in urina subsident, si quid cruentum iungatur, si torpor femoris è directo, si renum dolor grauis sentiatur, si modò pituitam, modò æruginem euomãt, calculo renes infestari significatur. Celsus pro femoris torpore, uel coxarum dolorem supposuit, uel lumborum potius intellexit: quem Hippocrates, quum renum dolorem diceret, designauit. Certè ructus iam, ac nauseæ uomitionem plerunq; antecedere, ac nunciare futuram consueuerunt: quæ idcirco sub hac, hancq; in illis libens intelligo. Verùm bilioſum pro æruginoſa, quæ illius forma quædam est, & è uentriculo magis effertur, tropo illo nimis frequenti, noster collocauit. Dolorem porrò inter coxas, superq; pubem, sympathia ac consensu quodam uesicæ, cum renibus fieri credo. Acceptumq; illum è libro de Internis affectionibus conscripto, suspicor: quemadmodum & ea omnia quæ de renum uitijs sub hæc attexuntur. E' quibus principiò extremarum partium frigus occurrit, calore naturali omni & sanguine cum spiritibus, ad internum doloris locum reuocato. At urinæ crebra illa qui-
B dem cupiditas, arenularum uellicatione, quum unam illæ uesicam aut lumbos suosq; tubulos per quos transeunt, compungunt, oritur. Et oritur quoque magna urinæ difficultas atq; stillicidium, tum propter arenularum, tum propter crassorum humorum, unde illæ generantur, quæq; urinę cannalem obstruunt, multitudine. Vnde pauxillum, & uel aqueum lotium perstillat, si pituitosi humores urgent, aut si color omnis in arenulis crassisq; humoribus meatulos impedientibus detineatur, uel minima bile tinctũ pallidumq;, uel ruffum sit, & pluscula imbutũ. Cæterùm iam exonerata à superioribus incommodis uesica, & releuatis renibus, hominem pariter recreari mirum non est. Magis autem mirum uideatur, aluum etiam in his cum multo spiritu reddi. Sed eius causam physici eam reddunt, quòd donec uesica lotio distenditur, eius mole ac tumore anus & rectum intestinum ita premuntur, ut ne flatulus quidem dimitti queat: qui liberè alioqui, soluta uesica, commeare solitus est. Hæc itaq; omnia tum ab Hippocratis uarijs locis libriſq; trãscripta sunt, tum non unius uitij tantum indicium præ se ferunt. Nam cætera renum calculo, aut uesicę sunt accommodata. Verùm derepentè multum sanguinis profundi, uel à labore, uel exercitio, uel conatu uires exuperante, aut lumbis mole quapiam collisis, aut attritis, euenit. Paululum siquidẽ subcruẽti aut grumoſi sanguinis à calculi asperitate & erosione, & humore atre bilario comitari potest. Profusio magna sequi non potest. Solet item ex libi-
C dinis nonnunq; ui & incontinentia lumbos & lumborũ musculos acerbus dolor premere, pedes tibiæq; frigere, uideri põdus de latere pendere, cruenta destillare, urina ægrè ac stillatim procedere: solent in renibus ulcera, solẽt inflammationes, solent obstructiones, solent diabetes hominem lacessere. Quæ & renum uitia sunt omnia, & suis quæq; notis distincta. Quare non satis esse debebat, multa multorum in renibus malorum signa in aceruum undequaq; colligere: sed generibus noxarũ enumeratis, quibus unumquodq; indicijs insignitum agnosceretur, aperiendum erat. Quanquam Celsi hactenus omnia talia esse perspicio, ut pauca sint, quæ non à renũ calculo aliquando euenire possint. Sed nec calculi solius hæc signa statuit: nec Hippocrates ijs locis, quos paulo antè diuersos produximus, eiusdem detrimenti signa esse proposuit.

Aut si paulatim destillat.) Apertũ uulnus mihi agnoscere sub hoc loco uideor: sed unde illatũ, aut qua arte curandum, non uideo. Nam & disiunctiua illa cõiunctio Aut, parum aptè cohæret: &, quod paulo pòst dicitur, In eadem

ueſica, ueſicæ alterã mentionem anteceſsiſſe declarat, quam nuſquã conſpicio, niſi longè, & ab uſq; ueſicæ renũq; exulceratione repetere libeat. Quod durum ſit, & à Celſi more ſcribendi breui, & apto dilucidoq; alieniſsimũ eſſe iudico. Spem ſanè certiorem medelæ conciperem, ſi unũ aliquem locum, unde eſſent omnia translata, adipiſci poſſem. Quocirca lectoris hic operam imploro, ut quicquid in cõmunem utilitatẽ ſtudioſorum uel ingenio, uel induſtria conſequetur uſquã, repurgandis uetuſtiſsimis authoribus accõmodatum, inter quos meritò noſter Cornelius præclarũ nomen profitetur ſuũ ac poſsidet, id benignè candideq; ut impartiat. Nam ſicut unius ignauia inſcitiaq; omnes mendas illatas eſſe nõ exiſtimo: ſic unius opera tolli omnes facile poſſe nõ ſpero. Ego interim deſito hoc malo, ad inſtitutũ reuertor: & quoad meliora tradentur, paulùm hunc locum ſic adiutabo. At ſi paulatim urina ſtillat, uel ſi ſanguis per hanc editur, & in eo quædam cruenta cõcreta ſunt, idq; ipſum cum difficultate redditur, & circa pubem inferiores partes dolẽt, in ipſa ueſica uitium eſt. (aut, circa ipſam ueſicã uitium eſt.) Hippocr. 4. Aph. 80. ἢν αἷμα ἀρέῃ, καὶ θρόμβους καὶ στραγγαίλιν ἔχῃ, καὶ ὀδυνᾶται ἐμπίπτειν ὀδυνᾶται δὲ τὸ κατωγαῖον στόμα, καὶ ὁ περίναιος, τὰ πρὸς τὴν κύστιν πονεῖ. id eſt: Si quis ſanguinẽ meiat, & grumos, & urinę ſtillicidium habeat, & dolor incidat in imũ uentrem, & ani ac ſcroti intercapedinẽ, partes circa ueſicam affectæ ſunt, quæ & 7. Aph. 39. repetuntur ad uerbum. Hippocrates non in ipſa ueſica malorũ hæc teſtimonia eſſe prodidit, ſed in partibus, quæ undiq; in eius regione circũiacent, ſeu renibus, ſeu ureteribus, ſeu ueſica, ſeu alijs ſimilibus. Solam uerò difficultatem reddendę urinæ non habet, ſi non ipſam in στραγγαλίᾳ cõprehendi putes, quando Celſus alibi ipſam ſic interpretari nõ dubitauit. Sed tum, quod paulatim deſtillat, quò referam non habeo, niſi eodem uocabulo includam.

Calculoſi uerò his indicijs cognoſcuntur.) De difficultate urinæ propter calculũ, & cur ſine uoluntate deſtillet, cur ſanguis, cur cruentũ aut purulentũ aliquid excernatur, ex Aphoriſmis, & lib. 6. Epid. ſuprà dictum eſt. Illud tantum hic ex Hippocrate iam repetam, quod de rebus arenoſis ſub ipſius uerbis omiſſum eſt. Inquit itaq; 4. Aph. 79. οἰσὶν ἐν τῷ οὔρῳ ψαμμώδεα ὑποστάσεα, τούτοισιν ἡ κύστις λιθιᾷ. id eſt: Quibus in urina arenoſa ſubſidunt, iſs ueſica calculo infeſtatur. idq; renũ, ſi rufeſcunt: ſin uerò albeſcũt, ſuo. Adde etiam hu: ex Coacis Prænot. Renum dolorem ſubitum cum urinæ ſuppreſsione, calculorum aut urinarũ craſſarum mictionem ſignificare, eandemq; ſuppreſsionẽ cum grauitate in imo uentre plerunq; urinæ ſtillicidium denunciare. Libro præterea de Morbis quarto, quinq; calculorum indicia præcipuè memorat: dolorem inter meiendum, urinam paulatim deſtillantem, ſubcruentam, arenulas, & exiguos ſubinde calculos.

Eandemq; quidam promptius recti.) In Coacis Prænot. breuiter hoc pacto hæc omnia complexus eſt: Calculoſi ſic figurati, ut calculus ad urinariũ meatum nõ illabatur, facilè meiunt, quod uarijs corporis figuris pro uario calculi poſitu & forma, & magnitudine contingit.

Grauitatis quoq; cuiuſdam.) Grauitatis dolorẽ ex 6. Epid. in ſuperioribus etiã annumerauimus. Illud obſeruatione dignũ eſt, Hippocratem eo loco in renum calculo quietẽ improbare, et conſulere exercitia: Celſum contrà hoc loco curſu omniq; motu grauitatẽ augeri pronunciare. Sed de renum calculo agit Hippocrates, & addit, ſe cibo nõ implentibus, corpus purgantibus, poplitẽ ſecantibus, urinã cientibus, humores attenuantibus atq; mollientibus. Inter quæ & calculis ſuam materiem, unde generentur, eripi in confeſſo eſt, & præſentem diſſecari ac cõfringi, & exercitijs omnem noxam renibus excuti cõſtat. Celſus grauitatem ſentiri tantum, eamq; omni motione ingraueſcere, uerè docet: quod nimirũ quocũq; demũ loco calculus cõtineatur, accidere palàm eſt. Nam & pondere & duritie & dimotione laceſſat neceſſe eſt: ſubſidit tamen interim, & ſicubi altius cohæreſcit, peſſum it: at Hippocratis de con-

A de consilio comminuitur. Augendus alioqui hauddubiè, si uel immundo corpore, uel pleno motus ineatur.

Quidam cum torquentur.) Afflictionis euitandæ gratia id fieri solet, sed tum præcipuè, quum ea quocũq;, & in quẽcunq; habitũ cõuertas, præstò manet.

Fœminæ uerò oras naturalium.) Lib. de Locis, aquis & aere Hipp. docet, mulie bribus pudendis, nõ perinde ac cæteris usuuenire, ut ab adusta illic materia lapidescant calculi: propterea quòd urinę meatus è uesica breuis ipsis, & amplus insit, ut facile cum urina impellatur. Nec pudendum idcirco, quod facit masculus, manu cõfricare, nec urinæ meatũ cõtrectare, q̃d is sit ad pudenda perforatus atq; amplus: sed, ut faciãt hæc mulieres masculis fortasis rarius, propterea q; & calculis infestentẽ minus, & minus quoq; lancinentur: tamen quoties laborant, nõ modò contingere manibus, sed etiã confricare interdũ naturaliũ oras, rationi consentaneũ est, præsertim quũ sæpe propè eminentem digitis persentiscãt. Iuxta id q̃d dici solet: Ibi manus, ubi dolor. ac cõtrà.

At qui spumantem sanguinẽ excreant.) 5. Aph. 13. οἱσὶ αἷμα ἀφρῶδες ἀναπτύουσι, τούτοισιν ἐκ τοῦ πνεύμονος ἡ τοιαύτη ἀναγωγὴ γίνεται. id est: Qui sanguinem spumosum expuunt, is ipsis è pulmone educitur. Idq; tum præcipuè, ubi unà cum tussi subitò prouenit: nam tali pulmo nutritur.

Mulieri grauidæ sine modo fusa.) 5. Aph. 34. γυναικὶ ᾗ γαστὴρ ἔχῃ, ἢν ἡ κοιλίη πολλὰ
B ῥύῃ, κίνδυνος ἐκτρῶσαι. id est: Mulieri uterum gestanti, si aluus multum fluxerit, periculum est ne abortiat. Nam simul cum excrementis, quod opportunum alimentum fœtui futurum erat, elabitur.

Eidem si lac ex mammis.) 5. Aph. 35. Mulieri grauidæ si multum lac è mammis effluit, debilem fœtũ significat. Si uerò solidæ fuerint mãmæ, melius ualere fœtũ significant. Nam prius fœtũ intus non ali testatur, quod exucto sub postremos menses è mammis lacte futurũ erat. Posterius lac contineri, & probè confici, traditq; fœtui demonstrat. Celsus pro solidis, duras uertit. Nec male, si duritiei summæ, ac laxitatis, medium quoddam intelligas.

Frequentes singultus & præter.) 7. Aph. 17. ὑπὸ φλεγμονῆς τοῦ ἥπατος λύγξ, πανόμ. id est: In iecoris inflammatione singultus, malum. Hippocrates neq; illud præter consuetudinem adijcit, nec continuum frequentemq; dicit. Nec uerò, si eadem cum Celso addas, sunt superuacanea.

Si tumores super ulcera subitò esse.) 5. Aph. 65. Quibus tumores super ulceribus apparent, ij rarò admodũ uel cõuelluntur, uel insaniũt. At his derepentè fugientibus, retrorsum quidẽ uersus cõuulsiones & distentiones fiũt. Antrorsum uerò, insaniæ, lateris dolores acuti, aut suppuratio, aut dysenteria, si rubicũdiores fuerint tumores. Celsus, quid tumorib. ulcerũ clã subitoq; euanescẽtibus mali accidat, exponit: quid prę sentib. boni eueniat, tacet: fortasis q̃d id satis ex malis intelligi posse animaduerteret. Sed nec uitia refert om-
C nia, nec uerbis ad rem subiectã satis usurpatis. Prętermittit em̃ suppurationẽ & dysenteriã: nisi ipsã alui ꝓfusione denotari excuses. Verùm est aliud lõgè diarrhea, siue alui profluuiũ, aliudq; dysenteria. Prę sertim quũ neq; suæ dysenteriæ Hippocr. laudẽ eam asscribat, quã alui ꝓfusioni suæ hic tribuit Celsus: esse nẽpe eam in superioribus periculis tutissimã. Non quia dysenteriæ aliquãdo, quũ perniciosis carẽt notis, sint salutares. Eripiũt em̃ sępe hominẽ lentè à morbis lẽtis & uetustis, breui à breuibus ac nouis. Et q̃d incredibile ꝓpè putes, pariũt mulieres nonnunq; fortunatè, quę sanguinẽ ramẽtaq; per multos etiã mẽses deiecerint, si quicq; in 2. Prędict. creditur Hipp. Sed q hic benignã illam dysenteriã non inueniã: fateor nihilominus tamen, citã illam tumorũ in ulceribus fugam, si in intestina materies rapiatur, perq; aluũ fortè fortuna deijciat, minimũ nocere, & esse beatissimũ. At Hippocr. acrẽ materiei naturã spectauerat, quæ per intestina nõ facilè, nisi eroderet, perlabereꝰ. Porrò distentionẽ neruorũ pro cõuulsione, & rigorẽ pro tetano siue distentione capi, uti Celso nouũ nõ est, ita est nũc medicorũ auribus propè nouũ.

Si ora uenarum sanguinem.) 6. Aph. 12. αἱμορροΐδων ἐνδωτὶ χρονίας, ἂν μὴ μία σταφυλαχθῇ, λύσιν καὶ ὕδρωπα ὑπογρύεσθαι, ἢ φθίσιν. id est: Hæmorrhoides (Celsus ora uenarum sanguinem solita fundere, elegãte periphrasi uocat) sananti diutur nas, si non una seruata fuerit, periculum est ne uel hydrops, uel tabes sequatur: hydrops, si uirus per ipsas destillare solitum, iamq; retentum, iecur petat: si pulmonem, tabes. A

Eadem tabes subit.) 5. Aph. 15. Quicunq; ex pleuritide suppurati fiunt, si intra quadraginta dies repurgentur, ab eo die quo ruptio facta fuerit, liberantur. Si uerò non, in tabem transeunt. Rursus Celsus mali quod eueniat, non boni meminit: haud scio, an quòd ex altero alterum intelligi hic etiam possit, quodq; mali magis necessaria uideatur cognitio. At temporis illius, unde quadraginta dierum ineunda ratio fuit, omnino obliuisci non debuerat.

At si longa tristitia.) 6. Aph. 23. ἢν φόβος καὶ ἀνδυμίη πολὺν χρόνον διατελέῃ, μελαγχολικὸν τὸ τοιοῦτον. id est: Si metus ac mœstitia multo tempore perseueret, atrabilarium hoc signum est: sunt enim hæc duo melancholicorũ omnium perpetua, indiuiduaq; quædam argumenta. Quod aũt uigiliæ Celsus inter hæc meminit, nec malè id facit, nec sine authoritate. Nam 7. Aph. 18. ὕπν ἀγρυπνίη ἀσασμὸς ἢ παραφροσύνη κακή, inquit Hippoc. id est: Ex uigilia cõuulsio, aut delyriũ, malum. Eademq; in Prænot. delyrij nota statuit. Illud scire oportet, aliud reuera bilem atram, aliud melancholiã esse. Atra siquidem bilis humorem feruidum ac pernicioſum è bile flaua, aut succo melancholico, aut simili humore denso genitum significat. Melancholia morbi genus est, modò ab atra bile, quam dixi, modò à melancholico quodam succo profectũ. Tamen confunduntur sæpe nomina: & Græco ac Latino, si etymon spectes, idem denotatur. B

Quibus sæpe ex naribus fluit sanguis.) Hippocr. 2. Prædict. Quibus ex naribus sanguis fluit, etsi alioqui sani esse uidentur, tamen ipsos uel splenem tumefactum habere comperies, uel caput dolere, & splendicans quippiam ipsis ob oculos uersari. Pleriſq; uerò horum simul & caput, & lienem dicto modo se habere deprehenditur. Tantum eos bene ualentes posse uideri, non expressit Celsus: quanto sententiæ ueræ incommodo, alius pronunciet malo.

At quibus magni lienes sunt.) Lib. 2. Prædict. Gingiuæ uitiatæ & ora graueolentia ijs sunt, quibus & lienes magni. At uerò hos quicunq; magnos habẽt, nec sanguine profluente, nec ore grauiter obolente, ipsorũ tibiæ ulcera praua habent, & cicatrices nigras. Mira hic Celsus breuitate, atq; perquàm uenusta, nec Hippocratis quicquam prætermisit, nec adiecit quicquam.

Quibus causa doloris.) 2. Aph. 6. ὁκόσοι πονέοντες τι τοῦ σώματος τὰ πολλὰ τοῦ πόνου οὐκ αἰσθάνονται, τούτοισιν ἡ γνώμη νοσέει. id est: Quicunq; corporis ulla parte dolentes, dolores plerunq; non sentiunt, ijs mens malè habet.

Si in uentrem sanguis confluxit.) 6. Aph. 20. ἢν δὲ τὴν κοιλίην αἷμα ἐκχυθῇ παρὰ φύσιν, ἀνάγκη ἐμπυηθῆναι. id est: Si in uentrem sanguis effusus fuerit præter naturam, necesse est suppurari. Ventrem uocat quamuis corporis cauitatem, præcipueq; inteſtinorum, uentriculi & ueſicæ. Nam fieri sanè non potest, quin sanguis ubi è uenis atque arterijs semel elapsus est, ubicunque sit, corrumpatur. C

Si à coxis & ab inferioribus.) In Prænot. utriſq;: Dolores qui cum febre circa lumbos & infernas partes fiunt, si his desertis septum trãsuersum attigerint, pernicioſi ualde sunt. Proinde alijs quoq; signis animũ aduertere oportet. Nam si quod aliud signum malum comparuerit, desperatus est homo. Si uerò assiliente ad septum transuersum morbo, alia signa non mala accesserint, fore ut suppuretur, magna spes est. Ea tantum quæ suppurationem promittant, Celsus attigit, necẽ minitantibus omissis. Et pectus pro septo transuerso posuit, quod à pectore uentrem, corporis culinam ac præsæpe, ut uocat Plato, dirimit: quàm malè, disserere non libet.

Quibus

A *Quibus sine febre aliqua.*) Pus partim caloris, partim materiei subiectæ uitio nascit. Nam calor nec uitiosus omnino esse debet, nec uitio omni carere: aut si caret, materiã plus habere delicti iam cõuenit: et esse deteriorẽ, cꝫ ut corpori alimento esse possit: ac meliorẽ quoqꝫ, cꝫ ut corrũpi prorsus aut putrefieri penitus queat. E' quibus iam perspicuũ est, dum pus conficitur, calorẽ omnem abesse nõ posse, ne dolorẽ quidẽ huius comitẽ, ex intemperie & distentione atqꝫ acredine, quæ ebullitionẽ quandam materiei consequunt, genitũ. Et adesse sæpe caloris quoqꝫ sociũ penè perpetuũ, ruborem. Quæ enim dolent, fluxu sanguinis ad ipsa cõcitato protinus & rubescere & tumescere cernimus. Quare calor ille, quem dixi, si nõ suopte ingenio, certè materię ratione dolorẽ accersit: dolor deinde fluxionẽ, & fluxio tumorẽ ruboremqꝫ parit. Sed ut calor iste semper quippiam deurit: ita si id maiorẽ in modum atqꝫ eximiè facit, dolores iam producit uehementes, ac febres. Quod Hipp. docet 2. Aph. 47. πρὸς τὰς γινομένας ἢ ὠὺα οἱ πόνοι μὴ οἱ ὠυρετοὶ συμβαίνουσι μᾶλλον, ἢ γενομένῳ. id est: Sub puris ortũ dolores ac febres magis accidunt, cꝫ eodem iam facto. Verùm si quãdo sit ille remissior, iam nec febris urget, & dolor est mitior, pruritu nõnunqꝫ solum ab acredine excitato molestus. Vti lib. de Morbis, & lib. de Locis in homine, atqꝫ aliàs quoqꝫ sub puris in pectore exortũ fieri docet Hippocrates. De grauitate uerò, & dolore, & calore quoqꝫ cùm
B sæpe alibi, tum in ambarum Prænot. libris pertractat. Paucis, calorem doloremqꝫ intendi, & solito quoqꝫ maiorem fieri pulsum, si locus sensu & arteriis est præditus, certissima sunt testimonia puris iam enascẽtis: præsertim si quæ etiam diuturnior durities locum antè occupauerit: facti uerò puris notæ exploratissimæ sunt, si eadem illa remittantur omnia, & tumor, dum locus externus est, alicubi acui, & albescere, mollirique incipiat.

Vrina quoq; quæ in homine.) Plerisqꝫ locis Hippocr. & rationibus adducor, ut aduerbium Parũ adiectiuo Sano, nõ illi quod est Liquida, appendendũ putem. ut hoc pacto hunc locũ legendũ, certè intelligendum existimẽ: Vrina quoqꝫ quæ in homine sano futuro parũ liquida est, circa aures futurã aliquã suppurationẽ esse denũciat. Nam & parotides, ac circa aures abscessus, morbos alios prægressos excipere ac finire solent, & urina ferè quæ tenuis à principio, crudaqꝫ, & multo deinceps tempore redditur, aut ex crassa derepentẽ talis euadit, tumorẽ & suppurationẽ alicubi erupturã minitatur. Si in caput materia euolet, secundũ aures: in inguina aut pedes, si in partes infernas cõmigret. Quare in Prænot. Quicunqꝫ, inquit, urinas tenues & crudas mingũt multo tẽpore, si alia ueluti superstitibus futuris signa fuerint, ijs abscessus expectare oportet, ad locum infra septũ transuersum. Rursus eod. lib. unde sua Celsum mutuasse credo: Quibuscũqꝫ, inquit, ex inflãmati pulmonis morbis abscessus circa aures fiũt, & suppurantur, ut ijs qui mollia & doloris experC tia præcordia habuerint: aut ad infernas partes uergũt, & fistulantẽ, ut in ijs quibus præcordia inflammata fuerint: hi superstites euadunt, maximè si & febris detinuerit, & dolor non sedatus fuerit, & sputum pro ratione nõ prodierit, neqꝫ biliosæ, neqꝫ solutu faciles, & meracæ alui egestiones acciderint: nec urina admodum multa, in qua multa subsederint, præcesserit, & salutaria signa reliqua apparuerint. Solet enim non rarò Celsus ex multis uerbis Hippocratis breuem aliquam sententiam contexere.

Hæc uerò cũ sine febre.) Præteritio est ad ea signa explicãda, quæ futura mala ipsa quoqꝫ denũciant, sed cum febre necessariò cõiuncta. Non ꝙd superiora omnia sine febribus semper eueniãt: sed ꝙd sine illis interdum esse possint.

Ergo protinus insania timenda est.) In Coacis Prænot. Ex moderato ferox respõsio malũ. Ibid. Præter morem quid facere, uelut est, præponere sibi aliquid, aut expectare aliquid prius non consuetum, aut è contrario, malum est, & mentis abalienationi proximum. Quare in febribus mentis ereptiones taciturnæ, in eo qui uoce destitutus non est, pernicioſæ sunt. Rursus eod. libro: Mentis emotiones modicè feroces, malæ & ferinæ sunt.

Vbi rarò quis, & uehementer ſpirat.) Cui magnus expiratur ſpiritus, inquit in Prænot. Hipp. & per multum temporis interuallum, delyrium indicat. In Coacis, aut conuulſionem addit. A

Venasq; concitatas habet præcordijs.) Si pulſus, inquit Hippocrat. inerit in præcordio, preſertim inflammato, aut dolente, turbationem ſignificat, aut delyrium. Verùm oculos talium intueri decet, qui ſi crebrò moueantur, furioſos fore timor eſt. In Coacis Prænot. Pulſus in pręcordio cum tumultu mentem eripit: & magis, ſi frequenter oculi moueantur.

Et in capitis dolore offuſæ oculis tenebræ.) Non quandocunq; iſta ſimul apparẽt, delyrium, aut mentis alienatio ſequitur, nec etiam nunquam, idq; præcipuè criſi ſiue bona, ſiue mala immaturaq; appetente.

Vel nullo dolore ſubſtante ſomnus ereptus.) In Prænot. Peſsimum eſt non dormire neq; noctu, neq; interdiu. Aut enim præ dolore & afflictionibus uigiliæ urgent, aut ex hoc ipſo ſigno delyrium aderit.

Vel proſtratum contra conſuetudinem corpus.) In Prænot. In uentrem decumbere, ſi quis dum ualeret bene, non ita dormire ſolitus fuit, delyrium ſignificat, aut dolorem alicubi circa uentrem.

In robuſto adhuc corpore.) In Prænot. Dentibus ſtridere in febribus, quibus id à pueris familiare non eſt, furioſum ac lethale eſt.

Si quid etiam abſceſſit.) Eſt nimirũ hic locus uel de angina accipiendus, quæ B ſi (ut in Prænot. ſcribit Hippocr.) in pulmonem uertatur, & delyrium inducit, & quidam ex ipſis plerunq; ſuppurati fiunt. Vel certè multo maximè de pulmonis abſceſsibus circa aures aut crura emicantibus. Qui, quod habet Hippocr. ſi inuicem euaneſcant & recurrant, ſputo non prodeunte, febreq; permanente, horrendum eſt. Periculum enim eſt ne primùm delyret homo, deinde moriatur. Quòd ſputo nõ prodeunte dixit Hippocrates, Celſus antequã ſuppuraret, re minus intellecta, uertit. Non enim cõſequente ſuppuratione pulmonis, in cruribus quippiã abſcedere, moxq; idem ſubſidere uoluit Hippocrates: ſed pus nõ prodire, febrẽq; cõtinuare, dum abſceſſus modò emicant, fugiuntq;, idq; ſignũ ita eſſe furoris ac mortis impendentis docuit. Quare addita cõiunctione copulatiua Et, poſt abſceſsit, quæ mendoſè in uulgatis exemplaribus deſideratur, ſi in hunc modũ legeris, Si quid etiã abſceſsit, &, ſputo nõ prodeunte, manẽteq; corpore in ſolita febre, ſubſedit, periculum adfert primùm furoris, deinde interitus. Germanã ſic Hippocratis ſententiã iam reuocaueris, quæ nunc nonnihil mutilata habeẽ & obſcurata, tum Celſi uerſione aliena, tum cõiunctionis per temporũ iniuriã omiſsione.

Auris quoq; dolor acutus.) Lib. Prænot. Auris dolor acutus cum febre cõtinua & uehementi, horrendus eſt. Periculum ſiquidẽ eſt, uti ne delyret homo, & intereat. Proinde quũ hic caſus minimè tutus ſit, citò animũ à primo ſtatim die, ad ſigna etiã alia aduertere oportet. Pereunt aũt ex hoc morbo iuniores C homines ſeptimo die, & eo etiam citius. Senes uerò longè ſerius. Nam & febres & delyria minus ipſis accidũt, ideoq; aures prius ſuppurantur. Verùm his quidẽ ætatibus, quũ morbi, qui reuertuntur, contingunt, plurimos occidunt. At uerò iuniores antè pereunt, quàm auris ſuppuretur. Vnde ſi mox pus albũ effluxerit, ſpes eſt fore, ut ſuperſtes iuuenis euadat, ſi ſanè & aliud quodpiam bonũ ſignum ipſi acceſſerit. Celſus neq; horrendum dicit, neq; periculoſum, & tacet quoq; interitum. Quòd illa è delyrio facilè intelligantur, quod uix unq; non horrendum eſt, & periculoſum, & quòd interitus ex ſequentibus obſeruari potuit. Verùm illud excuſari nequit, cur ſenũ ex recidiuis pericula, curq; iuuenũ è pure candido ſpem prætermiſerit. Nam, quod inquit Hippocr. ideoq; prius aures ſuppurantẽ, id dilucidè ac uenuſtè apteq; Celſus expreſsit his uerbis: Itaq; ſuſtinent, dum is affectus in pus uertatur. pro quo exemplaria hactenus excuſa, nullo ſenſu, niſi abſurdiſsimo, ita ſuſtinent dum is affectus intus uerſatur, habent.

Suffuſæ

A *Suffusæ quoq; sanguine mammæ.*) 5. Aph. 40. γυναιξὶν ὁκόσῃσι ὃν οὖν πυθὸς αἷμα συ-
σφίγγεται, μανίῃ σημαίνει. id est: Quibuscunq; mulieribus in mammis sanguis colligitur, furorem declarat: quia à suppressis mensibus ortus tum biliosissi
mus, tum feruentissimus est.

Quibus autem longæ febres.) 4. Aph. 44. οκόσοισι πυρετοὶ μακροὶ τείνουσι φύματα
ὃν τὰ ἄρθρα, ἢ πόνοι ἐγγίνονται. id est: Quibuscunq; febres longæ sunt, ijs tuber cula in artubus, aut dolores eueniunt. In Coacis adijcit: Et ubi facti fuerint, non sunt inutiles.

Quorum faucibus in febre eliditur spiritus.) 4. Aph. 68. ἐν τοῖσι πυρετοῖσι ὃ πνεῦμα
προσκόπτον, κακὸν, σπασμὸν γὰρ σημαίνει. id est: In febribus spiritus offendens, malum, cõuulsionem nanq; significat. Vocat autem spiritum offendentem, spirationem quæ medio itinere subsistit, & ui quadam interrumpitur. Non admodum huic dissimile est, quod 6. Aph. 54. legitur, ἐν τοῖσι ὀξέσι πάθεσι τοῖσι
μετὰ πυρετοῦ αἱ ἐλαυθμώδεες ἀνάπνοαι, κακόν. id est: In acutis morbis cum febre coniunctis luctuosæ respirationes malæ sunt. Nempe quales in uehementer lugubribus complorationibus eduntur.

Si angina subitò finita.) 5. Aph. 10. Quicunq; anginam effugiunt, eaq; ipsis in pulmonẽ uertitur, intra septẽ dies moriuntur. Quos si euaserint, suppurantur. Celsus uertit, Vt aliqua parte suppuret sequit. Quare rectũ fuerit ita legi: Si
B angina subitò finita est, inq; pulmonẽ id malum transit, id sepe intra septimũ diẽ occidit. Quod nisi incidat, sequitur, ut ea de parte suppuret. Nam in publicis codicibus cõiunctio q; perperam transposita est: & in exitu sententiæ pro ꝑ aliqua, ꝑ eadem magis congruit. Suppurati enim dicuntur, quibus intra pulmonem aut thoracem, non autem sub qualibet parte pus colligitur. Etsi aliàs hoc etiam pacto uocem capi, non eo inficias. Extat autem hæc eadem sententia in utrisq; etiam Prænotionibus repetita.

Deinde post alui longam resolutionem.) 7. Aph. 23. ὦσι ἀκρήτῳ ἐπιχωρήσει λυσεντε-
ρίη. id est: Post meracã alui deiectionẽ, dysenteria: sed eod. lib. Aph. 75. ὦσι
διαῤῥόιη δυσεντερίη, id est, Ab alui profluuio, dysenteria. Celsus longã resolutionem bene dixit: quòd breuis profusio nõ protinus hoc uitium creet, nisi & meraca sit, & diuturna. Video equidem illud ὃ deinde, parũ concinnè ex superioribus dependere: sed qua ratione subueniam, satis perspectũ non habeo. nisi hoc pacto fortassis permittatur: Deinde post puris sputationẽ tabes & alui resolutio. Post alui longam resolutionẽ, &c. Nam in Hippocrate ita ferè hæ sententiæ mutuũ consequuntur, & aptè sic inter se res cohęserint.

Post hæc intestinorum læuitas.) 7. Aph. 76. ὦσι δυσεντερίη λυεντερίη ὑπογίνεται. id est: Post dysenteriã, intestinorum lęuitas sequitur. At 6. Aph. 43. inquit: Quicunque splenici à dysenteria corripiuntur, ipsis longa accedente dysenteria, uel hydrops insequitur, uel intestinorum læuitas, & intereunt.

C *Post nimias destillationes, tabes.*) 7. Aph. 39. καταῤῥοὶ ὃν τὴν ἄνω κοιλίην ἐκπυοῦντες
ἐμπύημοσιν εἰκόσιν. id est: Destillationes è capite in uentrẽ superiorẽ ac thoracem suppurantur intra dies uiginti. Imò, ut rei totius ordo ac series intelligatur, à destillatione primùm pulmonis exulceratio comitat, præsertim si quæ è capite deciderũt, acria, tenuia, salsaq; fuerint, nec tussi reijciantur. Post exulcerationem sanguinis expuitio, ab hoc puris reiectatio, hinc mox tabes: à tabe alui resolutio, ex hac postremò interitus. Sed sunt ista luce ipsa clariora, & libro de Locis in homine, & de morbis, aliasq; sępenumero inculcata. Illud mirabilius uisum iri credidissem, si ex 7. Aph. 78. illud retulissẽt, ἐκ τῆς
φθόης ῥεῦμα ἐκ τῆς κεφαλῆς. id est, Ex tabe fluxio de capite. Sed ut pulmoni caput sua destillatione primam iniuriam intulit, tabemq; inseruit: ita capiti pulmo tabefactus intemperiem maiorem & imbecillitatẽ afflat: tantam sanè, quæ resolutionem alui demum adferat, quæ tum resolutio purgationem sursum uersus puris impediat. Ex quo mox impedimento ultima rerũ linea mors, ut modò dixi, consequitur.

Post lateris dolores.) 7. Aphor. 11. ὑπὸ πλευρίτιδι πνευμονίη κακόν. id est: Post pleuritidem peripneumonia malum. A

Post hæc insania.) Ibid. ὑπὸ πνευμονίη φρενίτις κακόν. id est: Ex peripneumonia phrenitis malum. Aph. 12. Sunt autem Græca hæc nomina, & Latinis auribus satis inducta, & rei subiectæ declarandæ, quàm si lateris dolores, pulmonum uitia, insaniam dicas, aptiora. Quum lateris, pulmonum, cerebri inflammationes Græcis uocibus tantum denotentur.

Post magnos feruores.) 7. Aph. 13. ὑπὸ καύμασιν ἰσχυροῖσι σπασμός, ἢ τέτανος, κακόν. Ex ardoribus uehementibus conuulsio, aut distentio, malum.

Vbi caput uulneratum.) ὑπὸ πληγὴν ἐς τὴν κεφαλὴν ἔκπληξις, ἢ παραφροσύνη, κακόν. id est: Ex plaga ictuq; capitis, stupor aut delyrium, malum. Significat enim noxam in cerebrum desedisse.

Vbi uigilia torsit, neruorum.) 7. Aph. 18. ὑπὸ ἀγρυπνίη σπασμὸς ἢ παραφροσύνη, κακόν. id est: Post uigiliam conuulsio, aut delyrium, malum. Alterum siquidem è siccitate, alterum è bilioso sanguine fieri probabile est. Delyrij autem cum uigilia & atra bile consortium, suprà traditum est.

Vbi uehementer uenæ super ulcera mouentur.) ὑπὸ ἰσχυρῷ σφυγμῷ ἐν τοῖσιν ἕλκεσιν αἷμος ῥᾴγη. id est: Post fortem in ulceribus pulsum sanguis profluit: arterijs nempe forti illa micatione diruptis.

Suppuratio uerò pluribus.) Non incōmodè mihi facturus uidebit, qui ante hæc B uerba illum Aph. 23. ex lib. 7. sufficiet, ὑπὸ ὀδύνη πολυχρονίη τῶν περὶ τὴν κοιλίην ἐκ τώνησις. id est: Ex dolore longo partium circa uentrē, suppuratio. Nam proximus est in Hippocrat. illi, qui iam nunc continuò, ex forti ulcerū pulsatione diuinationem profluxuri sanguinis instituit. Et mollissimè uiam sternit, ad hanc orationem, quæ multa alia de suppuratione dicenda promittit.

Nam si longæ febres sine dolore.) In Prænot. utriq; : Quæcunq; febris longiorē morā traxerit, homine alioqui ad salutē disposito, ita ut neq; dolor detineat ob inflammationē, aut ob aliquam aliam manifestā causam, huic abscessum expectare oportet cum tumore ac dolore ad aliquem articulum, maximeq; infernum: fiunt aūt huiusmodi abscessus magis, & breuiori tempore his qui minores sunt triginta annis. Expectare aūt statim abscessum decet, si febris detinens uiginti dies transmittit. Senioribus aūt minus fiunt, diuturniore etiam existente febre. At uerò huiusmodi abscessum expectabis febre continua existente. Nam ad quartanā deducetur, si intermiserit: & si, ubi hæc facit, ad autumnū appropinquarit. Quemadmodum autē iunioribus triginta annis abscessus fiunt: ita quartanæ magis his qui triginta sunt annorū, & senioribus. Cæterùm & hoc nosse expedit, abscessus magis hyeme fieri, tardiusq; desinere, & minus recurrere. Vides hic manifestè, ex q̄ multis uerborum ambagimus, & quàm multiplici rerum doctrina, quàm res paucas Celsus, quamq; angusta oratione pertractauerit. Fateor equidem, potuisset C Hippocrates sua illa dixisse, quæcūq; docuit, multo breuius: sed fateor idē, non temerè addidisse de homine ad salutem iam inclinato, de dolore siue ex inflammatione, siue alia quapiam ex causa, de artubus maximè infernis, de febre uiginti dies exuperante, de continua, de intermittente, de ætatum terminis, de autumno, de hybernis abscessibus, quę & necessaria sunt cognitu uniuersa, & lectione suauissima. Malimq; omnia uerbis dici plurimis, quàm in paucis omitti plurima. Sed quàm est Celsus aliàs etiam sæpe, si Hippocratem conferas, aphoristicus, atq; adeò diminutus: tam est truncatus alibi, & imperfectus magister eius, si cum Galeno compares Hippocrates, qui non paucis quoq; locis rerum copia & uerborum ab hoc discipulo uincitur.

Eadem suppuratio fit, si præcordia dura.) In Prænot. Significant tumores præcordiorum duri & dolentes in principio quidem mortem breui adfuturā. Si uerò uiginti dies trāsgrediatur, tum febris detinens, tum tumor non cōsidens, ad suppurationem conuertitur. Contingit autem his in primo circuitu etiam

sanguinis

A sanguinis profusio è naribus, & magnopere prodest. Verùm interrogare conuenit an caput doleāt, an hebetem uisum habeant. Si enim horū alterutrum fuerit, ad eum ipsum locum repit. Magis tamen in iunioribus quinque ac triginta annis, sanguinis eruptionem expectare conuenit. At uerò molles tumores, & doloris exortes, qui'que digito prementi cedunt, diuturniores indicationes adferunt, et minus superioribus sunt horrendi. Si uerò exuperet dies sexaginta febris urgens, nec tumor cōsidat, suppuratum fore denunciat, tum hūc, tum eum|qui in reliquo uentre fit eodem modo. Quicunque igitur tumores dolorosi sunt, & duri, & magni, periculum mortis breui adfore significant. Qui uerò molles, & doloris expertes, digitoq; cōprimenti cedunt, diuturniores illis euadunt. Eodem autem libro, eo loco quo agit de Pulmonum abscessibus inflammationē comitantibus, de quibus & paulo antè locum nos protulimus, post quem hic locus continuò subijcitur: Fiunt, inquit, abscessus partim ad infernas partes, nempe quibus inflammatio aliqua circa præcordia cohæserit, partim in supernis, utpote quibus præcordium molle & doloris expers permāserit, & ubi spirandi difficultas, quæ per tempus aliquod adfuit, desierit citra manifestam causam. Pauca sunt quæ ex his in Celso desideres, quin clarè dilucideq; & aptè omnia comprehenderit: si modò inter præcordia dura febris commeminisset, & adolescentiæ termi-
B num expressisset. Nam molles tumores præcordiorum diuturniores esse, minusq; formidabiles, utcunq; è sexaginta dierum numero cognosci potest.

Ac si inter ipsa ulcera non fluit.) Sunt exemplaria, in quibus pro eo quod rectū est, ac legi debere uidetur, fluit, & fuit reperias. Nam mihi quidem, si quid hic rursus diuinare liceat, primùm si nō germanam Celsi sententiam, certè aliquam (cum ijs uerbis quæ circumferuntur nulla habeatur) & authoritate & ratione confirmatā referam. ut legatur: Ac si inter ipsa sanguis non fluit, circa aures erumpit (nempe abscessus.) Nam quæ materia sursum procedit, si, cum bene facere debeat, sanguine narium nō excidit, tumorē secundum aures ut pariat necesse est. Hippocrates itaq; ubi è præcordiorū tumoribus abscessus magis oriri, quàm è reliqui uentris dixisset, continuò subijcit, At sanguinis uerò fusionē è supernis locis potissimū sperare decet. Planè declarās, abscessus in supernis partibus, qui ferè molles præcordiorū cæteros q; uētris tumores sequuntur, rarò euenire, frequentiusq; pro ipsis sanguinē è naribus profundi. Quòd si tamen idipsum non accidat, accidit autem crebrius, & sit homo seruandus, tum abscessus circa aures existere debere. Quæ sententia ut nihil habet incōmodi, ita uerbis ijs quæ posuimus, prorsus exprimitur. Aut si cuipiam parū ea probabitur, quādo ne mihi quidem satis adlubescit, propterea quòd & ulcera non temerè mihi irrepsisse, ut omnino extereretur, uideatur: altera coniectura, eaq; plausibilior multo, meo quidem iudicio, superest, ut ita legamus, Ac si inter ipsa uiscera non fit, circa aures erumpit, ab-
C scessus inquam. Potest etenim tumor mollis ille præcordiorum sursum quidem ita demigrare, ut in caput tamen & circa aures non perueniat: sed ut in pectus aut pulmonē, aut uiscus aliud impingat, hominēq; uel tollat, uel atro citer illic discruciet. Id quod fieri interdū apertè docet Hippocrates uerbis ijs, quæ paulo antè citauimus: ubi sub præcordio molli & doloris expertè permanente, & spirandi difficultate, quæ per aliquod tempus adfuit, citra manifestam causam exoluta, in supernis partibus fieri abscessus docet: significans tumorum illorum materiem sursum ita discedere, ut in pectus alicubi, aut pulmonum uiscus impingat. Vnde si protinus emigret, atq; in caput irrepat, abscessum illic creat: si non manifesta expuitione, aut alio uacuationis genere efferatur. Qui sensus longè profectò uerissimus est, & planissimè ad Celsi posteriora uerba accommodatus. Quem ut genuinum esse omnino credo, ita sibi quisq; facilè persuaserit, procliuè fuisse seculis indoctissimis & barbarissimis uiscera in ulcera, & fit in fuit, aut fluit peruertere.

Cumq; omnis longus tumor.) Hippocrates in utrisq; Prænot. Tumores in uen A
tre minus gignūt absceſſus, quàm qui ſunt in præcordijs: minimeq; omniū, qui ſub umbilico conſiſtunt, in ſuppurationem cōuertuntur. Tumores porrò omnes, certè ex humoribus nati, niſi clàm ſuapte ſponte retrò ſublabuntur, uel inſenſili exhalatione reſoluuntur, uel facta ſuppuratione, uel corruptione, uel induratione finiuntur. At longi, quum ex materia fiunt craſſa & pertinaci, clàm reſolui ac diſcuti uix poſſunt. Quare ſi non corrumpantur materiei prauitate, ferè fit ut ſuppurentur: quando durari non ſoleant, niſi artis imperitia malè tractentur.

Si laſſitudinis etiam ſenſus.) 4. Aph. 31. τοῖσι κοπιώδεσιν ἐν τοῖσι πυρετοῖσιν ὀδὰξ ἀῤθρα καὶ περὶ τὰς γνάθους μάλιστα ἀκρόκοιλα γίνονται. id eſt: his qui laſſitudinem in febribus ſentiunt, in articulos, & circa maxillas maximè abſceſſus fiunt.

Interdum quoq; urina.) In Prænot. Quicunq; urinas tenues ac crudas per multum tempus meiunt, ſi alia tanquam ſuperſtitibus futuris ſigna apparuerint, ijs abſceſſus expectandus eſt, in locis infra ſeptum tranſuerſum poſitis.

Dolor autem pulmonis ſi neq; per ſputa.) In Prænot. Quicunq; dolores in pulmonum coſtarumq; locis non ſedantur, neq; per expuitionum purgationes, neque per ſtercorum alui ſubductionem, neq; ad uenæ ſectionem, & uictus rationem ac medicamenta, eos ad ſuppurationē uerti neceſſe eſt. Celſus ſuam ſentētiam, quàm Hippocratis, potius reddidit. Videtur enim cucurbitulas B
in hoc periculo medicamentis & alui deiectioni prætuliſſe. Et Galenus quoque ab Hippocrate, quem unicè alioqui ſemper ueneratur, hic diſſentire nō dubitauit, propterea quòd illius temporis medicamenta aluo fundendę deſtinata, calidiora, quàm his malis congrueret, uiderentur. Id quod & Celſus ſapienter animaduertiſſe hoc loco creditur. Et certè cucurbitæ in corporibus infirmioribus, aut alioqui etiam robuſtis, ſed uena ferè præſecta debilitatis, ſi ſub inflammationis loco, uel dorſo, uel natibus, uel feminibus affigantur, ſummo eas præſidio atq; adiumento eſſe compertum eſt.

Aut circa uigeſimum diem.) In Prænot. Ex ſuppurationibus quæcunq; donec ſputum adhuc biliоſum eſt ſuppurantur, pernicioſę ualde ſunt, ſiue biliоſum illud ſigillatim, ſiue ſimul cum pure expuatur: & hoc potiſſimum, ſi morbo ad ſeptimum diem progreſſo, ſuppuratio ab hoc ſigno procedere incipiat. Metus aūt eſt, ne qui talia expuit, moriatur decimaquarta die, ſi nō aliquod bonum ſignū ipſi acciderit. Deinde Hippocrates quæ bona ſint, & quæ mala ſigna memorat, moxq; ita rem repetit: At uerò aliæ ſuppurationes rumpuntur plurimæ quidem uigeſimo die, aliæ uerò trigeſimo, aliæ quadrageſimo, aliæ ad ſexageſimum perueniunt. Conſiderare autem futuræ ſuppurationis principium oportet, ſupputatione facta ab eo die quo primùm homo febricitauit, aut quo fortè ipſum primùm rigor apprehendit, & quo pro dolore ſibi grauitatē eſſe factam dixerit, quo loco antè doluerat. Quod ſi Cel- C
ſus ſuppurationis illius periculoſæ ſub diem ſeptimum rationem cum alijs habuiſſet, non uideo qua meliore fide ac claritate Hippocratem interpretari potuiſſet.

Quod ſuppurat ab ea parte.) Alij ſimplicē, alij geminam hic coniunctionē Si habēt. Ego uel utranq; tollendam, uel retinendam iudico. Atq; in proxima etiam oratione quæ antecedit, pro eo quod eſt, à contraria parte, à coſtarum parte legendum eſt: hoc enim minus obſcurū eſt, & Hippocrati planè conſentaneum, qui de ſputis & inflammationibus pulmonis ac coſtarum agere ſe exertè pronūciat. Et cōiunctionibus ſublatis, oratio Hippocrati melius clariusq; reſponderit, qui ſic in Prænot. ad poſteros ſcripſit: Si in altero latere ſolum ſuppuratio fuerit, uertere ac cōſiderare oportet, num quem dolorem in eo latere habeat, & an ipſum altero ſit calidius: & reclinato ægro in latus ſanum, interrogare ipſum, an uideatur ipſi graue quid ex ſuperno latere decumbere: ſi enim hoc fuerit, in eo eſt ſuppuratio, in quo grauitas percipitur.

Omnis

A *Omnis etiam suppuratio quæ nondum oculis patet.*) In Prænot. Omnes suppuratos ex his signis dignoscere conuenit. Primùm quidē, si febris non dimittit, sed die quidem tenuis est, de nocte uerò maior, & sudores multi oboriūnt, tussesq; ac tussiendi promptitudo ipsis adest, & nihil memorabile expuunt, & oculi cauifiunt, & malæ ruborem contrahunt, & ungues quidem manuum curuantur, digiti uerò calescunt, & potissimum summi, & in pedibus tumores fiunt, & cibos non appetunt, & pustulæ per corpus enascuntur. Quod autem Celsus difficultatem spirationis annumerat, eam quoq; Hippocrates statim adijcit, sed notam esse monet suppurationis breuis futuræ, superiora uerò esse indicia lentæ ac diuturnæ.

Quòd si protinus initiò dolor.) In Prænot. Quæ citius tardius ue rumpant, his signis intelligi licet. Si quidem enim dolor in principijs fiat, & spirandi difficultas, & tussis, & sputatio perseuerans ad uigesimū diē perueniat, eruptionem tūc, aut etiam prius expectare oportet. Si uerò quietior fuerit dolor, & alia huic omnia responderint, eruptio serius expectanda est. Necesse est aūt accedere dolorē, & spirandi difficultatē, & sputationē ante puris eruptionem. Celsus sputationē inter priora signa silentio præterijt. Inter posteriora tarditatem eruptionis non ex mititate superiorum, quod facit Hippocrates, metitur, sed ex tempore quo citius illa, serius ue apparuerint. Id quod etiam
B libro de Morbis Hippocrates, atq; aliàs quoq; facit. Et sanè utranq; taceri licet, quando quod uix ac tenuiter fit, non fieri uidetur.

Solent etiam in graui morbo pedes.) In Prænot. At si digiti ac pedes penitus nigrescant, minus pernicioſi sunt quàm liuidi. Verùm ad hoc alia quoq; signa conferre decet. Si enim facilè ferri malum uideatur, & aliud quippiam ex salutaribus signis contestetur, morbus ut in abscessum uertatur spes est: sic ut æger superstes quidem mansurus sit, at corporis partes nigrefactę decidant.

Quæ notæ in quoq; morbi genere uel spem, uel pericula ostendant. Cap. VIII.

SEquitur, ut in quoque morbi genere proprias notas explicem, quæ uel spem, uel periculum ostendāt. Ex uesica dolente, si purulenta urina processit, inq; ea leue & album subsedit, metum detrahit. In pulmonis morbo, si sputo ipse leuatur dolor, quāuis id purulentū est, tamen ęger facilè spirat, facilè excreat, morbū ipsum non difficulter fert, potest ei secunda ualetudo contingere. Neq; inter initia terreri cōuenit, si protinus sputū mistum est ruffo quodam, & sanguine, dummodo statim edatur. Laterum dolores suppuratione facta, deinde intra quadragesimū diem purgata, finiuntur. Si in iocinere uomica est, & ex ea fertur pus purū & albū, salus
C ei facilis. Id enim malū in tunica est. Ex suppurationib. uerò, hæ tolerabiles sunt, quæ in exteriorem partem feruntur, et acuuntur. Et ex his quæ intus procedunt, hæ leuiores, quæ contra se cutem nō afficiunt, eamq; & sine dolore esse, & eiusdem coloris (cuius reliquæ partes sunt) sinunt esse. Pus quoq; quacunq; parte erumpit, si est leue, album & unius coloris, sine ullo metu est, & quo effuso febris protinus conquieuit, desierunt q; urgere cibi fastidiū & potionis desiderium: si quando etiam suppuratio descendit in crura, sputumq; eiusdem factum pro ruffo purulentum est, periculi minus est. At in tabe eius qui saluus futurus est, sputum esse debet album, ęquale totum, eiusdemq; coloris, sine pituita: eiq; etiam simi

le esse oportet, si quid in nares à capite destillat. Longè optimũ est, A
febrem omnino non esse: secundum est, tantulam esse, ut neque cibum impediat, neq; crebram sitim faciat. Aluus in hac ualetudine ea tuta est, quæ quotidie coacta, eaq; conuenientia his quæ assumuntur, reddit. Corpus id quod minimè tenue maximeq; lati pectoris atq; setosi est, cuiusq; cartilago exigua & carnosa est. Super tabem si mulieri quoq; suppressa menstrua fuerũt, & circa pectus atq; scapulas dolor mãsit, subitoq; sanguis erupit, leuari morbus solet. Nam & tussis minuitur, & sitis atq; febriculæ desinunt. Sed ĩsdem fere, nisi redit sanguis, uomica erumpit: quę quo cruentior, eo melior est. Aqua autem inter cutem minimè terribilis est, quæ nullo antecedente morbo cœpit, deinde quæ longo morbo superuenit. Vticq; si firma uiscera sunt, si spiritus facilis, si nullus dolor, si sine calore corpus est, æqualiterq; in extremis partibus macrum est, si uenter mollis, si nulla tussis, nulla sitis, si lingua (ne per somnum quidem) inarescit, si cibi cupiditas est, si uenter medicamentis mouetur, si per se excernit mollia & figurata, si extenuatur, B
si urina & uini mutatione, & epotis aliquibus medicamentis mutatur. Si corpus sine lassitudine est, & morbum facilè sustinet. Siquidem in quo omnia hęc sunt, is ex toto tutus est: in quo plura ex his sunt, is in bona spe est. Articulorum uerò uitia, ut podagræ, chiragræq;, si iuuenes tentarunt, neque callum induxerunt, solui possunt, maximeque torminibus leniuntur, & ex quocunque modo uenter fluit. Item morbus comitialis ante pubertatem ortus, nõ ægrè finitur, & in quo ab una parte corporis uenientis accessionis sensus incipit, optimum est à manibus pedibusue initium fieri, deinde à lateribus, pessimum inter hæc à capite. Atque in his quoque ea maximè prosunt, quæ per deiectiones excernuntur. Ipsa autem deiectio sine ulla noxa est, quæ sine febre est, si celeriter desinit, si contracto uentre nullus motus eius sentitur, si extremam aluum spiritus sequitur. Acria tormina quidem periculosa non sunt, si sanguis & strigmenta descendunt, dum febris cæteræque C
accessiones huius morbi absint, adeò ut etiam grauida mulier non solum reseruari possit, sed etiam partũ reseruare. Prodestq; in hoc morbo, si iam ætate aliquis processit. Cõtrà intestinorum læuitas facilius à teneris ætatibus depellitur, uticq; si fieri urina & ali cibo corpus incipit. Eadem ætas prodest & in coxæ dolore, et humerorum, & in omni resolutione neruorum. Ex quibus coxa si sine torpore est, si leuiter friget, quamuis magnos dolores habet, tamen & facilè & maturè sanatur: resolutumq; membrum, si nihilominus aliter fieri sanum potest, oris resolutio etiam, aluo cita finitur. Omnisque deiectio lippienti prodest. At uarix ortus, uel per ora uenarum subita profusio sanguinis, uel tormina, insaniam tollunt. Humerorum dolores, qui ad scapulas uel manus tendunt, uomitu atræ bilis soluuntur. Et quisquis dolor deorsum tendit,

sanabi-

a sanabilior est. Singultus sternutamento finit. Longas deiectiones supprimit uomitus. Mulier sanguinē uomens, profusis menstruis liberatur. Quæ menstruis non purgatur, si sanguinem ex naribus fudit, omni periculo uacat. Quę locis laborat, aut difficulter partū edit, sternutamento leuatur. Æstiua quartana ferè breuis est. Cui calor & tremor est, saluti delyriū est. Lienosis bona tormina sunt. Deniq; ipsa febris (quod maximè mirum uideri potest) sæpe præsidio est. Nam & prȩcordiorū dolores, si sine inflammatione sunt, finit, & in iocineris dolore succurrit, & neruorum distentionem rigoremq;, si postea cœpit, ex toto tollit, & ex difficultate urinę morbum tenuioris intestini ortum (si urinā per calorem mouet) leuat. At dolores capitis, quibus oculorū caligo & rubor, cum quadam frontis prurigine accedunt, sanguinis profusione uel fortuita, uel etiam petita summouentur. Si capitis ac frontis dolores ex uento uel frigore aut æstu sunt, grauedine & sternutamentis finiuntur. Febrem aūt ardentem (quàm Græci λιποθυμὼ uocant) subitus horb ror exoluit. Si in febre aures obtusę sunt, si sanguis è naribus fluxit, aut uēter resolutus est, illud malū desinit ex toto. Nihil plus aduersus surditatem q̄ bilioſa aluus potest. Quibus in fistula urinæ uti minuti abscessus (quos φύματα Græci uocant) esse cœperūt, ijs ubi pus ea parte profluxit, sanitas redditur. Ex quibus cum pleraque per se proueniant, scire licet, inter ea quoq; quæ ars adhibet, naturam plurimum posse. Contrà, si caput febre continenti dolet, neq; quicquā reddit, malum atq; mortiferum est, maximeq; id periculum est pueris à septimo anno ad quartūdecimū. In pulmonis morbo, si sputum primis diebus nō fuit, deinde à septimo die cœpit, & ultra septimum mansit, periculosum est. Quanto q̄ magis mistos, neq; inter se diductos colores habet, tanto deterius. Et tamen nihil peius est quàm sincerum id edi, siue ruffum est, siue cruentum, siue album, siue glutinosum, siue pallidum, siue spumans: nigrū tamen pessimum est. In eodem morbo periculosa sunt, tussis, destillatio, etiam (quod aliàs salutare habetur) sternutamentū. Periculosissic mumq; est, si hæc secuta subita deiectio est. Ferè uerò quæ in pulmonis, eadem in lateris doloribus, & mitiora signa, & asperiora esse cōsueuerunt. Ex iocinere si pus cruentū exit, mortiferum est. At ex suppurationib. hæ pessimæ sunt, quę intus tendūt, sic ut exteriorem quoq; cutē decolorent. Ex his deinde, quæ in exteriorē partē prorūpūt, quæ maximæ, quæq; planissimæ sunt. Quod si ne rupta quidē uomica, uel pure extrinsecus emisso febris quieuit, aut quāuis quieuerit, tamen repetit: item si sitis est, si cibi fastidiū, si uenter liquidus, si pus est liuidū & pallidū, si nihil æger excreat nisi pituitā spumantē, periculū certū est. Atq; ex his quidem suppurationibus, quas pulmonū morbi cōcitarunt, ferè senes moriunt, ex cæteris iuniores. At in tabe sputum mixtū purulentum, febris assidua, quæ & cibi tempora eripit, & siti affligit, in corpore tenui periculū

subesse

ſubeſſe teſtatur. Si quis etiã in eo morbo diutius traxit, ubi capilli A
fluunt, ubi urina quædã araneis ſimilia ſubſidentia oſtendit, atq; in
his odor fœdus eſt, maximeq; ubi poſt hæc orta deiectio eſt, proti
nus moritur. Vtiq; ſi tempus autumni eſt, quo ferè, qui cætera par
te anni traxerunt, reſoluũtur. Item pus expuiſſe in hoc morbo, de-
inde ex toto ſpuere deſiſſe, mortiferũ eſt. Solent etiã in adoleſcen-
tibus ex eo morbo uomicæ, fiſtulæq; oriri, quæ nõ facilè ſaneſcũt,
niſi ſi multa ſigna bonæ ualetudinis ſubſecuta ſunt. Ex reliquis ue-
rò minimè facilè ſanantur uirgines, aut hæ mulieres, quibus ſuper
tabem menſtrua ſuppreſſa ſunt. Cui uerò ſano ſubitus dolor capi-
tis ortus eſt, dein ſomnus oppreſſit, ſic ut ſtertat, neq; expergiſcat,
intra ſeptimũ diem pereundum eſt, magis ſi eum aluus cita nõ an-
teceſſerit. Si palpebræ dormientis nõ coeunt, ſi albũ oculorũ appa
ret. Quos tamen ita mors ſequitur, ſi id malum nõ eſt febre diſcuſ-
ſum. At aqua inter cutem, ſi ex acuto morbo cœpit, ad ſanitatẽ ra-
rò perducitur: utiq; ſi cõtraria his quæ ſuprà poſita ſunt ſubſequũ-
tur, æquè in ea quoq; tuſſis ſpẽ tollit. Item ſi ſanguis ſurſum, deor- B
ſumq; erupit, & aqua medium corpus impleuit. Quibuſdã etiam
in hoc morbo tumores oriuntur, deinde deſinũt, deinde rurſus aſ-
ſurgũt. Hi quidem tutiores ſunt, quàm qui ſuprà cõprehenſi ſunt,
ſi attenduntur, ſed ferè fiducia ſecundę ualetudinis opprimuntur.
Illud iurè aliquis mirabitur, quomodo quædam ſimul & affligant
noſtra corpora, & parte aliqua tueantur. Nam ſiue aqua inter cu-
tem quem impleuit, ſiue in magno abſceſſu multum puris coĩt, ſi-
mul id omne effudiſſe æquè mortiferũ eſt, ac ſi quis ſani corporis
uulnere factus exanguis eſt. Articuli uerò qui ſic dolent, ut ſuper
eos ex callo quædam tubercula innata ſint, nunq; liberant: quæq;
eorum uitia uel in ſenectute cœperunt, uel in ſenectutem ab adole
ſcentia peruenerunt, ut aliquando leniri poſſunt, ſic nunq; ex toto
finiuntur. Morbus quoq; comitialis poſt annum quintũ & uigeſi-
mum ortus ægrè curatur, multoq; ægrius is qui poſt quadrageſi-
mum annum cœpit, adeò ut in ea ætate aliquid in natura ſpei, uix
quicquã in medicina ſit. In eodem morbo ſi ſimul totũ corpus affi- C
citur, neq; antè in partibus aliquis uenientis mali ſenſus eſt, ſed ho
mo ex improuiſo cõcidit, cuiuſcũq; is ętatis eſt, uix ſaneſcit. Si uerò
aut mens læſa eſt, aut neruorũ facta reſolutio, medicinæ locus non
eſt. Deiectionibus quoq; ſi febris acceſſit, ſi inflammatio iocineris,
aut præcordiorum, aut uentris, ſi immodica ſitis, ſi lõgius tempus,
ſi aluus uaria, ſi cum dolore eſt, etiam mortis periculum ſubeſt: ma
ximeq; ſi inter hæc tormina uetera eſſe cœperunt. Isq; morbus ma
ximè pueros abſumit, uſq; ad annum decimũ. Cæteræ ætates faci-
lius ſuſtinent. Mulier quoq; grauida eiuſmodi caſu rapi poteſt: at-
que etiam ſi ipſa conualuit, partum tamen perdit. Quinetiam tor-
mina ab atra bile orſa, mortifera ſunt: aut ſi ſub his extenuato iam
corpore ſubitò nigra aluus profluxit, aut inteſtinorũ læuitas. Peri
culoſior

A culosior est, si frequens deiectio est. Si uenter omnib. horis & cum somno, & sine hoc profluit. Si similiter noctu & interdiu: si quod excernitur, aut crudum est, aut nigrum, & præter id etiam leue, & mali odoris sit: si sitis urget, si post potionem urina nō redditur. q̄d euenit, quia tunc liquor omnis nō in uesicā, sed in intestina descendit: si os exulceratur, si rubet facies, & quasi maculis quibusdam colorum omniū distinguitur: si uenter est quasi fermentatus, pinguis atq; rugosus, si & cibi cupiditas nō est. Inter quæ cū euidens mors sit, multo euidentior est, si iam longum quoq; id uitium est, maximéq; si etiā in corpore senili est: si uerò in tenuiore intestino morbus est, uomitus, singultus, neruorū distētio, delyrium, mala sunt. At in morbo arquato durum fieri iecur, pernicioſissimū est. Quos lienis malè habet, si tormina prehenderūt, deinde inuersa sunt, uel in aquam inter cutem, uel in intestinorū lęuitatem, uix ulla medicina periculo subtrahit. Morbus intestini tenuioris, nisi resolutus
B est, inter septimū diem occidit. Mulier ex partu, si cum febre, uehementibus etiam & assiduis capitis doloribus premitur, in periculo mortis est. Si dolor atq; inflammatio est in his partibus, quibus uiscera continentur, frequenter spirare signū malum est. Si sine causa lōgus dolor capitis est, & in ceruices ac scapulas transit, rursusq; in caput reuertit, aut à capite ad ceruices scapulasq; peruenit, pernicioſus est, nisi uomicā aliquam excitauit: sic, ut pus extussiretur, aut nisi sanguis ex aliqua parte prorupit, aut nisi in capite multa prurigo, toto'ue corpore pustulæ ortæ sunt. Æquè magnum malum est, ubi torpor atq; prurigo peruagantur, modò per totū caput, modò in parte, aut sensu alicuius ibi quasi frigoris est, eaq; ad summā quoq; linguā perueniunt. Et cum in ijsdem abscessibus auxilium sit, eo difficilior sanitas est, quo minus sæpe sub his malis illi subsequuntur. In coxæ uerò doloribus si uehemens torpor est, frigescitq; crus & coxa, aluusq; nisi coacta non reddit, idq; quod excernitur mucosum est, iamq; ætas eius hominis quadragesimū annum excessit, is morbus erit longissimus, minimeq; annuus: neq;
C finiri poterit, nisi aut uere, aut autumno. Difficilis æquè curatio est, in eadem ætate, ubi humerorum dolor uel ad manus peruenit, uel ad scapulas tendit, torporemq; & dolorem creat, neq; bilis uomitu leuatur. Quacunq; uerò parte corporis membrum aliquod resolutum est, si neq; mouetur, & emacrescit, in pristinū habitum non reuertitur: eoq; minus, quo uetustius id uitium est, & quo magis in corpore senili est. Omniq; resolutioni neruorum ad medicinam non idonea tempora sunt, hyems & autumnus: aliquid sperari potest uere & æstate. Isq; morbus mediocris uix sanatur, uehemens sanari non potest. Omnis etiam dolor minus medicinæ patet, qui sursum procedit. Mulieri grauidæ, si subitò mammæ emarcuerunt, abortus periculum est. Quæ neq; peperit, neq; grauida est, si lac habet, à menstruis defecta est. Quartana æstiua, breuis,

autumnalis ferè longa est, maximeq; quæ cœpit hyeme appropinquante. Si sanguis profluxit, deinde secuta est demẽtia cum distentione neruorũ, periculum mortis est. Item q; si medicamentis purgatum, & adhuc inanem neruorũ distentio oppressit, aut si in magno dolore extremæ partes frigent. Neq; is ad uitam redit, qui ex suspendio, spumante ore detactus est. Aluus nigra, sanguini atrò similis repentina, siue cum febre, siue etiam sine hac, perniciosa est. A

ENARRATIO.

Ex uesica dolente si purulenta.) Hipp. in Prænot. utriq; : Porrò uesicæ durę & dolentes, penitus quidem horrendæ ac pernicioſæ ſunt. Pernicioſiſsimæ tamen, quæ cum febre continua fiunt. Etenim dolores uesicæ ad occidendum per ſe ſufficiunt. Et alui non egerunt eo ipſo tempore, niſi durum quiddam, idq; etiam coactæ. Soluit autem urina purulenta micta, quæ albam ac lætam ſubſidentiam habet. Celſus, quod ſummum metum ex uesica facit, ſoluit, leuiſsimum dixit. Doloris ſiquidem meminit, duritiei, febriſq; continuæ nullam mentionem facit: quum formido omnis & pernicies ex inflammatione, non ex dolore ſolo pendeat. Cuius etſi comes dolor eſt: tamen proximè coniunguntur durities & febris continua. Et ſequitur hęc alui tum ariditas ab æſtu, tum conſtipatio à tumore. Illud obiter ſemel dixiſſe ſatis ſit: quum toto hoc capite doceatur, quibus notis præſentibus, uel ſpes boni, uel mali metus concipiatur: primùm, quæ ſpem proponant lætam, explicari. Tum mox futurum, ut quæ triſtia nuncient, explanentur. B

In pulmonis morbo ſi ſputo ipſo.) In utriq; Prænot. Omnia ſputa in doloribus omnibus uel pulmonem, uel coſtas laceſſentibus, mala ſunt, quęcunq; dolorem non ſedant. Peſsima tamen, nigra. At quæ dolorem leuant, omnium optima ſunt. Deinde poſt pauca uerba ſubijcit: Suppurationes illæ mirè periculoſæ ſunt, quæ bilioſo adhuc apparente ſputo ante diem ſeptimum corripiunt, metumq; obijciunt, ne decimoquarto die è uita diſcedant, ſi nullum interim bonum ſignum exiſtat. Sunt autem, inquit, bona ſigna, facilè ferre morbum, bene ſpirare, à dolore liberum eſſe, ſputum tuſsiendo reijcere, corpus æqualiter molle ac calidum habere, non ſitire: urinas, alui deiectiones, ſomnos, ſudores, bonis & felicibus ſuis notis procedere. Quæ ſi omnia accidant, hominem non moriturum docent. Si aliqua tantum, non longius decimoquarto die uitam ſuffecturam. Celſus quiddam ex iſtis mutauit, nec indicia bona omnia recenſuit: quòd ipſa ex ijs quæ ſuperius de ſecuris ſignis tradita ſunt, abundè cognoſci poſſunt.

Nec inter initia terreri.) In Prænot. utriq; : Sputũ in omnibus doloribus qui pulmoni aut coſtis obueniunt, citò ac facilè expui cõuenit, & flauum ſputo ualde permixtum apparere. Si enim longè poſt principium doloris flauum expuitur, aut ſuluum, aut quod multam tuſsim inducit, nec ualde permixtũ eſt, deterius eſt. Nam & flauum meracum, periculoſum eſt. Paulo pòſt: Sputum flauum ſanguine permixtum non multo, ſi in pulmonis inflammatione in principio morbi expellatur, ſalutare eſt, ualdeq; prodeſt. Si uerò primùm ſeptimo die, aut tardius prodit, minus eſt ſecurum. Vtrunq; hunc locum uoluiſſe complecti & connectere Celſus uidetur. C

Laterum dolores ſuppuratione.) 5. Aph. 15. ὁκόσοι ἐκ πλευρίτιδος ἔμπυοι γίνονται, ἢν μὲν ἀνακαθαρθῶσιν ἐν τεσσαράκοντα ἡμέρῃσιν, ἀφ' ἧς ἂν ἡ ῥῆξις γένηται, σῴζονται· ἢν δὲ μὴ, εἰς φθίσιν μεθιστᾶνται. id eſt: Quicũq; ex pleuritide ſuppurati fiunt, ſi in quadraginta diebus repurgati fuerint, ab ea die qua ruptio facta fuerit, liberantur: ſin minus, in tabem tranſeunt. Pure nempe longa minus mora cõputreſcente, & ea loca quib. cõtinetur exulcerante. Celſus unde numerũ quadragenariũ ſupputare deceret, magna rectæ ſententiæ iactura tacitus præterijt.

Si in

A Si in iocinore uomica est.) 7. Aph. 45. οκόσοι δ' ὑπὸ ὄλκωνύον λαίουσι, ἢ τέμνουσι, ἢν μὲν δ' πύον καθαρὸν ῥύῃ καὶ λευκόν, σῴζονται· ἐν χιτῶνι γὰρ δ' πύον τοιοῦσιν ὄντι. ἢν δ' οἷον ἀμοργὴ ῥύῃ, ἀπόλλυνται. id est: Quicunq; iecore suppurato uruntur, si quidē pus purum fluat et album, superstites euadunt. In tunica enim quæ iecur ambit, his pus in est. Si uerò simile amurcę effluat, pereunt. Malum enim iam in ipsum iecur desedit: quo suppurato, uita sustineri non potest.

Ex suppurationibus uerò.) In Prænot. utriscp: Suppurationes quæcunq; extrà uertuntur, optimæ sunt, quæ paruæ sunt, & quāmaximè forās eminent, atq; in acutū fastigiantur. Magnæ cōtrà & latæ, minimeq; in acutū fastigiatæ, pessimæ sunt. At uerò quæcunq; introrsum rumpuntur, optimæ sunt, quæ nihil cū externo loco cōmunicant, sed cōtractæ sunt, & doloris exortes, & totus externus locus cōcolor cernitur. Ex bonis signis Celsus nihil intactū reliquisset, si paruitatis modò, rei nō magnæ, meminisse fuisset dignatus. Nam contra se, pro contractæ uulgò legi, imperitia temporum factum esse, mihi quidem dubium non est: quibus τὸ contra se, mirè fortasis elegans, τὸ uerò contractæ, minus accommodatum, falsò creditum est.

Pus quoq; quacunq; parte erumpit, si læue est.) In Prænot. utriscp: Pus optimū est, si est & album, & læue, & æquale, & quāminimè graueolens. Rursus paulo pòst: Ex suppuratis ij maximè superstites manēt, quos febris eodem ab eru-
B ptione die dimiserit, & qui cibos citò appetiuerint, & à siti liberati fuerint. Et si uenter parua & cōpacta egesserit, & pus album, & læue, & eiusdem coloris, atq; à pituita liberū fuerit, citraq; dolorē ac tussim fortem repurgetur. Atq; optimè quidem sic, ac celerrimè liberantur. Sin minus, hi quibus proxima illis contigerint. Porrò æquale pus dicitur, undiq; sibi simile. Lęue, q̄d tangenti nihil asperū aut durum exhibet. Sed æquale Celsus tacuit, sicut & illud, Sine pituita. Quæ paulo tamen pòst de tabe additurus est: hic tamen atq; illic perinde opportuna. Cætera quæ præterea omittit, uel suprà, uel paulo infrà hoc capite pro salutaribus recensuit: ut omnia omnibus locis repetere, necesse sibi non esse duxerit.

Si quando suppuratio descendit in crura.) In Prænot. Cæterùm in pulmonis inflāmationibus fortibus ac periculosis, abscessus ad crura omnes quidem utiles sunt. At longè optimi sunt, qui dum sputū iam cōmutatur, fiunt. Nam si tumor ac dolor accidat, donec sputū pro flauo purulentū redditur, forasq; procedit, ita securissimè homo superstes euaserit, & abscessus absq; dolore celerrimè sedabitur. Si uerò sputū bellè non processerit, neq; quæ in urina subsidunt proba apparuerint, metus est ne uel mutiletur articulus, uel multū molestiarum exhibeat. Celsus, si metuendæ pulmonis inflammationis & puris commodè prodeuntis tum mutandi, quum quid in cruribus abscederet, memoriam subiecisset, Hippocratem reddidisset explanatius.

C *At in tabe eius qui saluus.*) Lib. 2. Prædict. quod ad tabescentium sputum tussimq; pertinet: Oportet eum qui probè liberari uolet, facilè sputū per tussim expellere, & id albū esse, & æquale, atq; eiusdem coloris, & ab inflammatione alienū. Quod aūt à capite fluit, ad nares deriuari: febrem nō inuadere, uti nec à cœnis prohibeat, neq; sitiat. Venter aūt egerat quotidie, idq; durū, & copia rebus assumptis cōsentanea: hominē præterea quāminimè tenuē esse decet, pectusq; laudandū quadratū, pariter ac hirsutū. Et sit ipsius os paruū, ac robustè carnosum. Qui enim hæc omnia habuerit, maximè superstes euadet: qui eorundem nihil, neci proximus est. Deinde interiectis indicijs aliquot malis: adijcit: Si uerò uirgo aut mulier seruanda est, tum aliorū signorū bonorum multa adesse necesse est, tum splendidè menses ac purè procedere oportet: aliàs siquidem spes nulla supereſt. Qui uerò ex sanguinis eruptione pectore suppurantur cùm uiri, tum mulieres, uirgines q̄, nō minus quidem supereſſe possunt: id quod signis omnibus suppuratorū simul et tabescentiū collectis intelligetur. At maximè sanè euadunt, ex sanguinis eruptione, qui-

bus dolores sunt atrabilarij & in dorso, & in pectore, quiq; post eruptionem A
leuius dolēt. Quia & tusses nō admodum lacessunt, & febres plerq; durantes sitim facile perferunt. Sed recurrūt sanguinis eruptiones, maximè si abscessus nō subsequant. Optimi aūt sunt abscessus, sanguinolentissimi. Hippocrates, quod à capite in nares destillat, nō album, æquale, & unius esse coloris postulat, quanq; tale fortasis optatissimū esse possit: uerùm ne in pulmonem caput sè exoneret, sed tutiore, & à natura data uia per nares ut procedat, expetit. Cætera Celsus fidelissimè est interpretatus, donec ad mulierum tabē accedit: hic enim, quæ uirginū mulierumq; sunt propria, prætermittit. Et quæ uirorū fœminarumq; omnium sunt cōmunia, ad mulieres tantum accōmodat: ueræ ac plenioris intelligentiæ grauí nimirū damno. Nam quod à laudabili pure pituitam, ut nos item suprà fecimus, detrahit: idq; nō iam nos expresse, sed ab inflammationis nota separamus, id quidem Græcę dictionis etymologia, quæ cum eius propè re significata pugnat, factum est. phlegma siquidem quum sit ab inflammatione deriuatum, rem tamen atq; humiditatem eam declarat, quæ frigore humoreq; præstat.

Aqua autem inter cutem.) Sunt hæc uerba, non ab Hippocrate profectò sumpta, sed ex alijs ipsius quadam ratiocinatione collecta. Nam si (quod scriptum est in Prænot.) aquæ inter cutē ex acutis morbis obortæ, omnes quidem, q̄d suprà etiā protuli, malæ sunt: atq; aliæ quidē nullo antecedēte mor B
bo incipiunt, aliæq; longo superueniūt, nō erunt utiq; malignæ ex acutis nō ortæ. Nam illas solas maliciei alligare, cæteras est eiusdem uitij absoluere.

Vtiq; si firma uiscera.) Lib. 2. Prædict. Eum qui ab hydrope, sine aqua inter cutem correptus est, et superstes esse uolet, ac seruari, bonis ipsum uisceribus præditum esse decet: ita ut natura se exerat, simulq; facilè concoquat, & bene spiret, sitiq; sine dolore, & totum corpus æqualiter tepidum habeat, nec circa extremas partes colliquatum. Melius est autem, ut tumores potius habeat in extremis partibus. Optimum tamen, ut habeat neutrū: mollia nanq; & gracilia potius extrema esse conuenit, itemq; uentrem contactu mollem. Tussim uerò atq; sitim adesse minimè competit: nec linguam resiccari cùm omni tempore, tum quādo hoc præcipuè fieri solet, post somnos. At cibum libenter admittere conuenit, & ubi multum bene ederit, non affligi. Aluum uerò ad medicamenta quidem obsequentem habere: sed & reliquo tempore egerere recrementum molle atq; efformatū. Vrinam item procedere studiorum rationi, & uinorum diuersitati consentaneam. Quin & laborem ferre decet facilè, & lassitudinis exortem esse. Atq; optimum quidem est, securissimeq; ualetudinem recuperabit, qui per omnia sic cōpositus est. Sin minus, proximum est, ut per plurima. Nam spes sic quoq; supereſt. Verùm qui nihil eorū habebit, & habebit contraria omnia, desperatum ipsum esse memineris. At qui pauca bona, tenui in spe uersari. Optimi interpretis munere C
per hęc omnia Celsus functus est, nec quicq; magnopere necessarium, quod non è positis quidem intelligi queat, præteriens: nec perperam immutans, nouansq; quicq;. Nam quod macras extremitates laudat, pro laudatis summè ab Hippocrate mollibus gracilibusq;, exiguum est. Tenuius quoq; urinam pro epotis medicamentis mutari debere, quam Hippocrates studiorū rationi conuenienter mutandam popoſcit. Quandoquidem neutrū magno pere reprehendi potest. Sed est omnium leuissimū, si Græcam uocē spectes, morbum pro labore redditum esse. Quanq; haud scio, temerène facturus sit qui morbū hic in motū cōmutet: siquidem labor motui reipsa simílior est: & pro motu morbus facile irrepere hominū incuria, insciticq; potuit. Solū aūt extenuaī, ut uentris deiectionē nō incōmodè sequiī, ita in Hippocrate nō inuenio: fieri tamē potest, ut Celsus in eo exemplari, quo ipse est usus Græco, tū hoc ipsum, tum pleraq; alia, secus atq; nos legimus, scripta offenderit.

Articulorum uerò uitia.) Lib. 2. Prædict. Qui iuuenis est, & circa articulos tofa

ceos

A ceos nondũ callos cõcretos habet, & accuratè uiuit, & laboris amans est, & aluũ propiciã habet pro studiorũ ratione, hic sanè si medicũ prudentẽ nanci scatur, sanus fieri poterit. Atq; sanãt eundem, id q̃d proximè antecedẽte oratione traditur, optimè dysenteriæ, si superuenerint. Sed & reliquæ etiã deiectiones alui mirificè subueniũt. Quicquid Celsus ex Hippocrate præterijt, id omne in illo Solui possunt, inclusisse uidetur. Satis enim ipsi fuit ostendisse, quibus esset corporis confirmandi spes reliqua: præcipuè quando rationem subueniendi non hic esset professus. Certè iuuenibus omnibus in articulorum uitijs quę callum non induxerint, spes est salutis recuperandę proposita. Quam bene uiuendo, bonisq; medicis obtemperando, aut cõtrarijs faciendis sibi ratam irritam'ue facere possunt. Nec huius loci fuerat, quid uita illa bona, quid medicina posceret ostendere.

Item morbus comitialis.) 2. Aph. 45. τῶν ϖολιτικῶν τοῖσι νέοισι ἀπαλλαγὴν αἱ μεταβολαὶ μάλιστα τῆς ἡλικίης, καὶ τῆς ὥρεων, καὶ τῆς τόπων, καὶ τοῦ βίου ποιέουσι. id est: Iuuenibus comitialibus liberationẽ adferunt mutationes maximè ætatis, & regionum, & generũ uictus. Et 5. Aph. 7. τὰ ϖολιτικὰ τοῖσι ϖρὸ τῆς ἥβης γίνεται, μεταστασιν ἴσχει. τοῖσι δὲ ϖρήτερον ἢ ὕστερον ἑτέων γίνεται, ταῦτα τὰ ϖολλὰ ξυναποθνήσκει. id est: Quibuscũq; morbi comitiales ante pubertatẽ obueniunt, cõmutationẽ habent. Quibus uerò cunq; uigintiquinq; annos natis accidunt, cum his ferè cõmo-

B riuntur. In Prædict. lib. 2. Quibus morbus sacer à capite incipit, q̃d ad partes corporis attinet, grauissimus est. Deinde qui à latere. Qui uerò à manibus ac pedibus, maximè sanari potest. Cęterùm eius curationẽ aggredi decet medicum eruditũ, in ijs qui & iuuenes sint, & laboris amãtes, nec mens mali quippiam patiat, nec sint stupore attonito sideratí: quæ melancholica delyria minimè huc conferũt. At uerò in infernis partib. abscessus boni sunt. Optimiq; hic rursus sunt, qui sũt sanguinolẽtissimi. Celsus nõ abscessus, sed deiectiões legisse uidet, si genuina eius hęc lectio est: ut esse sequẽtia ꝓpè testanť. Verũ utraq; opẽ ferre malo, causa eius à capite retracta, cõueniens est. At est iam cur mireris, iuuenũ ac mentis integræ mentionẽ tacitã esse habitam: cùm in eo summa spei propè sit posita. Nisi id ex alijs locis intelligi posse sperabat.

Ipsa aũt deiectio sine ulla.) 2. Prædict. Præter dysenteriam & lienteriam, cætera alui profluuia, quæ sine febre sunt, tum breui tempore durãt, tum mitia quoque habentur. Aut enim elota sedabuntur, aut sua sponte. Prædicere autem oportet, excretionem quæ subtus effluit, discissuram esse, quum tangenti uentrem manu nullus motus occurrerit, & si in fine egestionis flatus perruperit. Mendose exemplaria excusa, Contracto, hoc loco, pro eo quòd rectum erat, contrectato, hactenus habuerunt.

Acria tormina quidem periculosa.) Quę dysenterię mala ea quæ aliàs enumerant nõ habẽt, cõmodę sunt: quę q̃ sanguine et ramẽtis egestis desiuerũt septima

C die, aut decimaquarta, aut uigesima, aut quadragesima, aut intra hęc tẽpora: huiusmodi enim egestiones etiã eos qui fuerunt in corporibus, morbos tollunt. Vetustiores quidẽ longiore tẽpore: recẽtiores uerò intra paucos dies submouere possunt. Nam & quæ uterũ gestant, etiã ipsæ euadũt superstites magis ad partũ, & ex partu, & fœtus cõseruant, sanguine & ramẽtis egestis etiam per multos menses: nisi dolor ipsis adfuerit, aut aliud quoddã malum signum ex ijs quæ in dysenterijs memorantur, accesserit. Nam si quod illorum appareat, non modò fœtui perniciem denunciat, sed & pręgnanti periculum, si non post fœtus eductionem & secundæ exolutionem ipsa dysenteria, eadem die aut paulo pòst desinat. Et ante hæc omnia, moriuntur, inquit, ex hoc morbo maximè pueri quinquennes, & aliquanto seniores, decẽnesq;. Reliquæ uerò ætates minus. Et tota hac bene longa oratione quantulis fragmentis Celsus contentus sit, facilè cerni potest. Et tamen si diligentius inspicias, pauca desiderari, quæ non tanquam sub puncto sint denotata, animaduertes: si modò uiros à fœminarũ priuilegio, ut ueterum no-

uorumq; malorũ finẽ in hac dyſenteria ipſi quoq; inuenirent, nõ excluſiſſet. A

Contrà inteſtinorũ læuitas.) Lienteria, quam Latini inteſtinorũ læuitatem nominauerunt, grauiſsima fit ſenioribus: uehemẽs etiam uiris. Reliquis uerò ætatibus multo mitior. Quiſquis autẽ neq; in ætatibus his eſt, quas malè tractari ab hoc morbo iam dixi, & pauciſsima ex ſignis habet, quæ mala eſſe ſcripſi, hic ſecuriſsimè conſtitutus eſt. Indiget aũt curatione hic morbus, donec & urina pro ratione eius quod bibitur procedat, & corpus ab ingeſtis cibis augmentũ capiat, & à malis coloribus liberatũ fuerit. Nec hic quidem quicquã in Celſo, quamlibet breuiſsimo, ex multo longiore Hippocrate, requiri cognoſces, ſi colorem tantum in urinæ probitate & corporis amplificatione contineri agnoſcas. Non enim poſſunt duo illa haberi, ut hoc tertio careas: non poteſt emendari urina, non enutriri corpus melius, ut color melior non conſequatur. Quare duobus illis petitis, tertiũ ut poſceretur, quod abeſſe non poſſet, haud erat neceſſe.

Eadem ætas prodeſt & in coxæ dolore.) Certè id ita uerum eſt, ut ſæpiſsimè, non perpetuò ſeſe ſic habere credam. Nam & coxæ, & humerorũ dolores, omniſq; neruorũ reſolutio, quæ à frigidis & craſsis ac pituitoſis, aut melancholicis humoribus ortũ habent, ut habent certè illa omnia frequentiſsimè, contrarijs rebus omnib. ac calidis releuantẽ: ætate calida ac iuuentute, tempore calido atq; æſtate, uictu uitaq; tota calida. Sed ſi eadẽ illa à bilioſis ac calidis B cauſis oriantẽ, offenduntur rebus iam dictis, & oppoſitis adiuuantur. Quocirca ut coxarũ humerorumq; dolorẽ ſæpiſsimè, & neruorũ reſolutionem ſemper, à craſsis frigidisq; humoribus naſci cõpertum eſt: ita tenera ætate maximè ipſa ſubleuari, libens largior: perpetuò ac ſolũ, non largior. Quæ certè Celſus ſpectaſſe putetẽ, quũ in omni reſolutione neruorũ, & in coxæ humerorumq; dolore (hic generali illo ſigno Omni, omiſſo, illic addito) ætatem tenerã prodeſſe ſcriberet. De neruorũ porrò reſolutione mox ſumus plura addituri. De coxis & humeris illud quin hic adijciam, cõmittere nõ poſſum: Nempe humerorũ illum dolorẽ, ſiquidem in manus uſq;, cum torpore quodam deſcendat, nigræ bilis euomitione ſanari. Si uerò in humeris etiam conſiſtat, aut dorſum uerſus prorepat, uel atræ item bilis uomitu, uel puris deſinere. Bilis quidem atræ, ſi facile ſpirent, & gracile corpus habeãt: puris uerò, ſi ægrè reſpirent, & facies inſolente rubore ſuffundatur, aut ſi in pedibus tumores oriantur: ac cruciatibus tum maximè morbũ affligere, qui uiris à quadrageſimo ad ſexageſimũ annum atrociſsimi eſſe conſueuerunt: non quòd iuuenes mitius iſta tractare ſoleant, ſed quòd ſeniores prolixius, quod iam continuò ſubijcietur.

Ex quibus coxa ſi ſine torpore.) Hipp. 2. Prædict. Iuuenibus non minus quidem doloris, quàm ſenibus, inducit coxendicũ morbus. Verùm breuior eſt, quippe qui quadrageſimo ſummũ die, quum eſt duriſsimus, finiatur: ſenibus uerò, quũ inclementiſsimus, minimũ in annum producatur. Sed neq; torpores perinde uehementes iuuenibus accidunt, neq; perfrigerationes crurum ac lumborum æquè atq; ſenioribus rigidæ. Quibus quo uehementius iſta affli xerint, hoc malum productius eſſe ſolet. Celſus comparationem tacere debuerat, quippe qui fortunatas hic notas tãtum referre inſtituit. Verùm morbi terminum neceſſariò ſilere non debuit.

Reſolutumq; membrum.) Etſi uerum eſſe fateor, utilitatem in faciei atq; omniũ adeò membrorum reſolutione (quam apoplexiam Græci uocant) non mediocrem accedere ex aluicitatione, humoribus à ſumma corporis arce ac capite per inteſtina perq; aluum expulſis: tamen id authoritate, quali expeterem, tueri non poſſum. Neque enim Celſus in Hippocrate, quod ego quidem uiderim, iſta legiſſe, aut offendiſſe uidetur: ſed uidetur inueniſſe, aut quàm inuenerit, probaſſe longè aliud. Scio enim in neruorum reſolutione (quam paralyſin Græci appellant) quibus membra colliquatione quadã

attenuata

A attenuata non sunt, spem ualetudinis recipiendæ ab Hippocr. lib. 2. Prædict. promitti. Scio item distortiones faciei, si nulli alij corporis parti communicent, citò, seu sponte sua, seu ui aliqua coactas, desituras, paulo pòst doceri. At alui resolutæ opem commendari, non inueni: nisi Celsus coactam illam uim, & necessitatem, spōtaneamq; utilitatē ad aluum referendam fuisse existimauerit: & in membrorum resolutione pro eo quòd nos legimus, quibus colliquationes non accesserint, hi sani euadent, ipse legerit, quibus colliquationes accesserint (extrita negatione) hi sani euadent: & colliquationes ad aluum, ut aliàs ipsum facere memini, non ad membrorum attenuationem, quod nos seruata negatione facimus, accommodauerit. Quanquam rursus non oris resolutionem, sed faciei distortionē Hippocrates habet. Vt in Celso os pro facie capi, elegans & rectum censeam: pro distortione resolutionem, non rectum putem.

Omnisq; deiectio lippienti.) 6. Aph. 17. ὀφθαλμιῶντα ὑπὸ διαῤῥοίης λιφθῆναι, ἀγαθόν. id est: Lippientem alui profluuio corripi, bonum est.

At uarix ortus, uel per ora uenarum.) 6. Aph. 21. τοῖσι μαινομένοισι ἱρσαὶ ἢ αἱμορῥοΐδων ἐπιγενόμεναι ἢ μανίης λύσις. id est: Insanientibus si uarices aut hæmorrhoides accidant, insania soluitur. Idq; si insania non à bile, sed propriè dicta melancholia nascitur. Varices porrò laxæ tumidæq; uenæ sunt, ex crasso ac
B melancholico humore in coxis aut cruribus protuberātes. Atq; ab eiusdem generis materia hæmorrhoides proueniunt. 11. Aph. eiusdem libri, inquit: τοῖσι μελαγχολικοῖσι καὶ νεφριτικοῖσι αἱμορῥοΐδες ἐπιγενόμεναι, ἀγαθόν. id est: Melancholicis & renū uitijs hæmorrhoides ubi superuenerint, bonū est. Sunt qui hic pro nephreticis, renumq; uitijs affectis, phreneticos non malè omnino legant. Vocabulis parum dissimilibus, at rebus loco & natura diuersissimis. 7. Aph. 5. ἐπὶ μανίῃ δυσεντερίη, ἢ ὕδρωψ, ἢ ἔκστασις, ἀγαθόν. id est: Ex insania, dysenteria, aut hydrops, aut mentis emotio, bonum.

Humerorum dolores qui ad manus aut scapulas.) Hipp. 2. Prædict. Dolores porrò qui in humeris accidunt, siquidem ad manus descendant, torporesq; ac dolores inducant, ijs abscessus non succedunt, uerùm nigra bile uomitu eiecta sanantur. Qui uerò in ipsis humeris cohærescunt, aut etiam ad dorsum progrediuntur, eos puris, aut bilis atræ uomitu effugiunt. Celsus in his nigram bilem ab atra nō distinxit, uti uerbis distingui nō uidentur, quæ tamē nunc medici rerum diuersitate, & uocabulorum penuria coacti diremerunt. Nec torporis Celsus, nec puris commeminit, quod in spem facientibus tantum adhuc uersetur: sed nec scapulas pro dorso malè posuisse uidetur, re magis quàm uoce expensa. Illud autem scire decuerat, quibus in manus ab humeris dolor procumbit, ijs atram bilem quàm pus uomitu magis expelli.

Et quisquis dolor deorsum.) In Prænot. Dolores qui ad infernas partes decum
C bunt, toleratu faciles sunt. Neq; enim æquè sunt uehementes atq; in supernis, neq; locis insunt æquè nobilibus atq; periculosis.

Singultus sternutamento.) 6. Aph. 13. ὑπὸ λυγμοῦ ἐχομένῳ πταρμοὶ ἐπιγενόμενοι λύσιν τοῦ λυγμοῦ. id est: A' singultu uexato ubi sternutamenta obueniunt, singultum soluunt. Vehementi nempe neruorum partiumq; omnium concussione, plenitudinem singultus parentem dimouente. Nam è siccitate si nascatur, minus hinc præsidij acceperit.

Longas deiectiones supprimit.) 6. Aph. 15. ὑπὸ διαῤῥοίης ἐχομένῳ μακρῆς ἀπὸ ταυτομάτου ἐμέτου ἐπιγενόμενος, λύει τὴν διαῤῥοΐην. id est: Longo alui profluuio correpto uomitus sua sponte accidens, soluit alui profluuium.

Mulier sanguinem uomens.) 5. Aph. 32. γυναικὶ αἷμα ἐμεούσῃ τῷ καταμηνίων ῥαγέντων λύσις. id est: Mulieri sanguinē uomēti, mēstruis erūpentibus, malū soluit.

Quæ menstruis non purgatur.) 5. Aph. 33. γυναικὶ τῷ καταμηνίων ἐκλειπόντων αἷμα ἐκ τῶν ῥινῶν ῥυῆναι, ἀγαθόν. id est: Mulieri dum menses deficiunt, sanguinem è naribus fluere, bonum est.

Quæ

Quæ ex locis laborat.) 5. Aph. 35. γυναικὶ τῶν ὑστερικῶν ἐνοχλουμένῃ, ἢν δυσκόσμη, A πταρμὸς ὑπογενόμενος, ἀγαθόν. hoc est: Mulieri, quæ ab uteri strangulatione infestatur, quæ ue difficulter parit, sternutatio superueniens, bona est.

Æstiua quartana ferè.) 2. Aph. 25. οἱ θερινοὶ τεταρταῖοι τὰ πολλὰ γίνονται βραχέες. id est: Æstiuæ quartanæ magna ex parte breues sunt. Atq; morbi æstiuales omnes, si tempus spectes, maturrimè finiri solent, parem causam paremq; ui tam & corpus simile si facias: quia calore tum materies malorum funditur et attenuatur celerrimè, & corpore toto reserato ac patefacto effunditur atque discutitur facillimè.

Cui calor & tremor est.) Calorē pro febri, Hippocratem secutus, dixit: quan quam is quum febrē uehementer adurentem significat, nō calorem tantum, sed ignem nominare solet. Porrò, ut tremor à bile fit per sensilia membra discurrente, ita delyrium ab eadem caput premente nascitur.

Lienosis bona tormina.) 6. Aph. 48. τοῖσι λιεντερίκοισι δυσεντερίη ὑπογενομένη, ἀγαθόν. id est: Lienosis ubi dysenteria accidit, bonum est. At in Coacis Prænot. inquit: Dysenteria non longa splenicis utilis est: longa uerò mala, quippe qua desinente, si hydrops aut intestinorum læuitas fiat, lethale est. Id quod & 6. Aph. 43. paribus propè uerbis expressit.

Deniq; ipsa febris.) Multis id exemplis subiectis illustrabitur: & confirmari ea ratione potest, quòd febris calore suo causas frigidas uitiorum exedat, & B siccitate sua superuacaneos humores, aut hinc natos uentos, uaporesq; que consumat.

Nam & præcordiorum dolores.) 6. Aph. 40. ὁκόσοισι περὶ τὸ ὑποχόνδριον πόνος γένηται ἄτερ φλεγμονῆς, τουτέοισι πυρετὸς ὑπογενόμενος λύει τὸν πόνον. id est: Quibuscunq; circa præcordium dolor accidit citra inflammationem, ijs si febris superueniat, soluit illum dolorem.

Et neruorum distensionem rigoremq;.) 4. Aph. 57. τὸν ἀπὸ ἄσματος ἢ τετάνου ἐνοχλημένον πυρετὸς ὑπογενόμενος, λύει ἐκ νόσημα. id est: Cui à conuulsione, aut distentione diuexato febris obuenit, ea soluit ægritudinem. Et 2. Aph. 26. πυρετὸν ἐπὶ ἄσασμῳ βέλτιον γενέσθαι, ἢ ἄσασμὸν ὑπὸ πυρετῷ. id est: Febrem cōuulsioni superuenire præstabilius est, quàm conuulsionem febri. Simili ratione in Coacis Prænot. Sideratis, inquit, febris utiliter accidit, eamq; exoluit.

Et ex difficultate urinæ.) 6. Aph. 44. ὁκόσοισιν ἐκ στραγγουρίης ἕλκος ὑπογίνηται, ἐν ἑπτὰ ἡμέρῃσιν ἀπόλλυνται, ἢν μὴ πυρετὸς ὑπογενόμενος, ἅλις ἐξουρήσῃ. id est: Quibuscunq; ex urinæ stillicidio uoluulus accidit, ij intra dies septem pereunt: nisi febre superueniente, urina sufficienter profluxerit. In Coacis Prænot. acerua tim urinam effundi desiderat. Celsus difficultatem urinæ pro stillicidio, & ileum, quem uoluulum Latini uocant, tenuioris intestini morbum, pro uetere suo more interpretatur. Nec spacij, quanto quis intereat, cōmeminit: sed eius loco, qua ratione à morbo quis uindicetur, explicauit. C

At dolores capitis, quibus oculorum caligo.) 2. Prædict. Quicunq; hebetem uisum habēt, & rubor aliquis in ipsorum oculis accidit, frontemq; pruritus uexat, ijs sanguis sua sponte dimanans opitulatur. Petitam atq; arte accersitam fluxionē, sine authoritate Hippocratis, de suo, nec malè, Celsus addidit. Quippe medicus, quod rectè natura facit, rectè ab arte petere potest.

Si capitis ac frontis dolores.) 2. Prædict. Quibus dolores circa caput ac frontē ex magnis uentis fiūt, & ex frigoribus, quum uehementer calefacti fuerint, eos quidem grauedines maximè perfectè liberare possunt. Prosunt autem & sternutationes, & mucci è naribus. Celsus capitis dolorem ab æstu similiter iuuari censet. Hippocrates dolorem ex frigore post æstum similiter tantum releuari docet, seu sponte, seu coactè id fiat.

Febrem autem ardentem.) 4. Aph. 58. τὸν καύσῳ ἐχομένῳ ὑπογενόμενος ῥῖγος, λύσις. id est: Illi qui à febre ardenti detinetur, si rigor superueniat, solutio. Horrorem pro rigore dici, Celsianum esse, suprà monuimus.

Si in

A Si in febre aures.) 4. Aph. 60. οκόσοισιν ἐν τοῖσι πυρετοῖσι τὰ ὦτα κωφωθῇ, αἷμα ἐκ ῥίνων ῥύῃ, ἢ κοιλίη ἐπιλαμπτέεται λύεται ὑγιήσιμα. id est: Quibuscũq; in febribus aures obsurduerũt, ijs sanguis è naribus effusus, aut aluus exturbata morbũ soluit.

Nihil plus aduersus surditatem.) οκόσοισι χολώδεα τὰ διαχωρήματα κοφώσιος γινομένης παύεται, καὶ οκόσοισι κώφωσις χολωδέων γινομένων παύεται. id est: Quibus biliosæ sunt alui egestiones, surditate accedente, desinunt: & quibus surditas, biliosis deiectionibus obuenientibus cessat.

Quibus in fistula urinæ.) οκόσοισιν ἐν τῇ ἐρίθρῃ φύματα φύεται, τοῦτοισι διαπυήσαντος καὶ ἐκραγέντος, λύσις. id est: Quibus in urinaria fistula tuberculum nascí tur, ijs suppuratione facta, & eruptione, soluitur. In Coacis Prænot. Quibus tuberculum est circa uesicam, quod meiendi difficultatem inducat, ad omnis generis figuras affliguntur. At eius solutio fit, pure erumpente.

Ex quibus quum pleraq; per se.) Medicus naturæ est tum minister, tum æmulator tantum. Nam & illi adlaboranti subuenit, & tanquam cum Minerua manum admouet. Et quæ illa rectè moliri solet, arte medicus reddere cõtendit: at ita ut nihil, si illa quiescat, efficere queat. Et ut laus omnis præsidij naturæ accepta feratur: nisi quòd truncare foris medicus, & quædam per se de mere potest: addere nihil usquam, atq; unire potest.

Contrà si caput.) Hactenus quæ indicia spem uel melioris, uel integræ firB mæq; ualetudinis præbeant. Post hæc iam, quæ periculum mali ostentent, explicabuntur. Neq; porrò dubium cuiquã esse debet, uitiosissimum in expressis codicibus hunc locũ haberi. Vti enim in huius capitis exordio à uesicæ notis spem bonã præ se ferentibus inchoauit: sic infausta signa ab eiusdem uesicæ malis signis primùm ordiri instituit. Id quod ex Hippocrate tam fit manifestum, ut nulla confirmatione alia admodum opus habeat. Inquit enim ille in Prænot. utriq; : Vesicæ duræ atq; dolentes penitus quidẽ horrendæ sunt & pernicioſæ: pernicioſissimæ uerò, cũ febre continua fiunt, &c. quæ suprà protulimus. Addit deinde continuò: Et si quidem ab urina dolor nihil remiserit, nec uesica emolliatur, & febris cõtinua urgeat, in primis circuitibus morbi ægrum moriturũ esse metus est. Atq; hic morbus potissimũ pueros septennes, quoad decimumquintũ annum attigerint, sollicitare consueuit. Vides re propè nulla mutata, cum Celso per omnia Hippocratẽ consentire. Nam quod uesicæ emollitionem ille omiserit, nihil fecit præter morem, aut insolens. Et potuit illa sub uesica nihil reddente contineri. Minusq; illud est, quod qua parte ægrotationis ferè mors occupet, non dixerit. Quare pro τὸ caput, τὸ uesica reponam: & si quid in Celso truncatum alibi appareat, ex Hippocratis uerbis quæ protulimus, suffici atq; redintegrari iubebo.

In pulmonis morbo sputum.) In Prænot. Sputum si longè post principiũ doloC ris flauũ aut fuluũ, aut quod multum tussim inducit expuitur, aut non ualde permixtum, malum est. Nam & flauũ meracum, periculosum est: & albũ ac uiscosum & rotundũ, inutile est. Malum item est, q̃d uiride est ualde, & pallidum, & spumosum. Si uerò ita fuerit meracũ, ut etiam nigrũ appareat, hoc etiã quàm superioria deterius est. Malum quoq; est, si nihil repurgetur, neq; emittat pulmo, sed plenus ferueat in gutture. Grauedines & sternutationes in omnibus circa pulmonẽ morbis, & antecessisse & succedere, malum est. At in alijs morbis summè lethalibus, sternutationes prosunt. Sputũ aũt flauum, sanguine permixtũ non multo, si in pulmonis inflãmatione in principio morbi reijciatur, salutare est, & ualde prodest. Si uerò septimo die aut serius, minus securum est. Omniaq; sputa mala sunt, quæ dolorẽ non mitigãt. At pessima, quę nigra sunt. 4. Aphor. 47. Expuitiones in febribus non intermittentibus liuidæ, cruentæ, biliosæ, putidæ, omnes malæ sunt.

Periculosum est si hæc subita.) 6. Aph. 16. τὸ πλευρίτιδι ἢ περιπνευμονίης ἐχομένῳ διαῤῥοίη ἐπιγενομένη, κακόν. id est: A' pleuritide aut peripneumonia detento, si fluor alui superueniat, malum.

Ex iecinore si pus cruentum exit.) Suprà locum ex 7. Aph. 45. protulimus, unde sunt ista petita. in Coacis autem Prænot. scribit: Quicunq; sanguinem spumosum expuunt, dextrum præcordium dolentes, de iecore spuunt, & multi pereunt. Item: Quibus hepaticis multum est sputum cruentum, siue subputridum, siue bilioſum meracum, statim pernicioſum est. Iterumq; paulo pòst priorem sententiam repetit. A

At ex suppurationibus.) In Prænot. utrisq; : Quæcunq; suppurationes foràs uertuntur, optimæ sunt quæ paruæ sunt: cæteraq; quæ similiter suprà sunt prolata. In Coacis: Lethales, inquit, sunt tumores, quicunq; intrò rumpuntur. Ex reliquis autem suppurationibus quæ quidem foràs rumpuntur, optimum est, ut in breuissimam & acutissimam molem colligantur. Quæ uerò intro, ut neq; mole, neq; dolore, neque colore foris se manifestent. Contrarium autem pessimum. Epidemiõn sexto: Tubercula, scribit, foràs exturberantia, & acuta fastigiataq;, atq; æqualiter matureſcentia, nec obdura, deorsumq; uergentia, nec bifida, meliora sunt. Contraria uerò mala: quantoq; magis fuerint cõtraria, tanto erunt etiam peiora. Hippocrates in Prænotionum ijs locis quæ superius produximus, suppurationum duo genera proponit: unum, quod foràs erumpat: alterum, quod intus abdatur. Ac rursus utriusq; generis, quę formæ sint optabiliores, quæq; metuendæ magis, tradit: Celsus bonas formas suprà explanauit, hic uerò malas ac formidandas explicat. Atq; in ijs quę extrorsum emicant, quid sit undiq; detestandum, aperte docet: in ijs uerò quæ intus conduntur, colorem tantum attingit. Verùm quæ sint alia pariter metuenda, ut dolorem, ut molem extantem, silentio supprimit. Vel quod rarò, nisi pariter mutato colore, per se appareant: uel quòd aliunde prauitas eorum intelligi potuit. B

Quòd si ne rupta quidem uomica.) Ex ijs quæ pectore suppurati sunt, intereunt illi, quos febris non dimiserit: aut si quando dimisisse credita est, iterum recalescens comparuerit, & qui sitim quidem habuerint, cibos autem non appetiuerint: & si uenter liquidus fuerit, & pus seu pallidum, seu uiride, seu hiudum expuerint, aut pituitosum quoq;, spumosumq;. Quæ si omnia contigerint, pereunt. Quibus uerò ex his quædam accesserint, quædam uerò non, eorum alij intereunt, alij non, nisi multo pòst tempore superstites euadunt. Verùm huius euentus, tum ex ijs signis, tum alijs omnibus quæ adsunt, coniecturam facere oportet. In quibus colorẽ uiridem omissum esse à Celso, mirum non est, nec nouum. Quoniam Hippocrates χλωρὸν tantum habet: de cuius polysemia suprà quædam demonstraui.

Atq; ex his quidem suppurat.) In Prænot. utrisq; : Ex suppuratis à pulmonis inflammatione, seniores magis intereunt. Ex alijs autem suppurationibus iuniores magis moriuntur.

At in tabe sputum mixtum.) Quod de sputo purulento mixto refert, ex Prænotionibus desumptum est. Vbi Hippocrates, quæcunq; dum sputum adhuc bilioſum est suppurantur, pernicioſa uocat, siue bilioſum illud per se, siue puri permixtum eijciatur: potissimum etiam, si iam morbus ad septimum diem progressus sit. Quæ uerò de febri cõtinua, quæ & cibi tempora eripiat, & siti affligat in corpore tenui, attexit, ex Prædictionum libro secundo translata sunt. Id quod ex ijs quæ suprà de tabis felicibus notis sunt prodita, facilè perspici poterit. C

Si quis etiam in eo morbo.) 5. Aph. 12. Οκόσοισι φθισιῶσιν αἱ τρίχες ἀπὸ τῆς κεφαλῆς ῥέουσιν, ἤτοι ξηρὸν ἢ ὑγρὸν ἐπιγιγνομένου ἀφανίσκουσιν. id est: Quibuscunque tabe correptis capilli è capite defluunt, hi aluí profluuio succedente moriuntur.

Vbi in urina quædam araneis.) In Coacis Prænotion. Quæ urinæ aranei telis similes sunt, colliquationem significant. Et 7. Aphoris. 36. Οκόσοισι δὲ λιπαραὶ ἡ ὑποστάσις (ita enim Celsum legisse existimo, etsi alij melius ἐπίστασιν hoc loco agnoscunt) καὶ ἀθρόη, τοῦτοισι νεφρῖτικὰ καὶ ὀξέα σημαίνει. id est: Quibuscunq;

A cunq; subsidit in urina, aut potius supernatat pinguedo, confertimq; prodit, renum uitium aut morbum acutum significat. Nam & ex febribus, quæ suo æstu corpus omnino absumunt, & in marasmodibus ac tabidis pinguedine urinas plus minus pro consumptionis modo, quasi aspergi atque suffundi constat.

Atq; in his odor fœdus.) Nec rationem, nec authoritatem uideo, cur magnopere ista ad urinas accommodem. ut ad sputa referam, ambo mihi suffragantur. Hippocrates etnim 5. Aph. 11. τοῖσιν, inquit, ὑπὸ τ' φθισίων, ἢν ὀχλεμένοισιν, ἢν δὲ πύσμα ὁποῖόν ἂν ἀφρώδεα σωσιν βαρὺ ὄζῃ ὑδατώδεος ἀνθρακιὴς ὡσεὶ χνόμενον, καὶ αἱ τρίχες ἀπὸ τῆς κεφαλῆς ῥέωσι, θανατῶδες. id est: Qui tabe infestantur, si sputum, quodcunque tussiendo reiecerint, grauiter olet, dum prunis infunditur, & capillise capite defluunt, mortale est. Summæ siquidem istud putredinis argumentum est. In empyiticis ac suppuratis sputa putere, & urinas esse inspiciendas, omnium medicorum atq; ætatum obseruatione comprobatum est.

Maximeq; ubi post hæc orta detectio.) 5. Aphoris. 14. τοῦ φθίσει ἐχομένου διάῤῥοια ὑπογενομένη, θανατῶδες. id est: A tabe correpto alui profluuium succedens, mortiferum est.

Vtiq; si tempus autumni.) 3. Aphor. 10. ὁ φθινόπωρον τοῖσι φθίσεσι, κακόν. id est: Autumnus tabidis malum. idq; tum ariditatis, tum inæqualitatis quadam ra-
B tione. Vnde fit, ut in Prædictionibus tabefactos autumno maximè interire dicat.

Item pus expuisse in hoc morbo.) 7. Aphoris. 16. ὅσοι νῦν πύσει φθίσις ἢ ῥῆξις, ἐπὶ τὸ κακὸν ἔχεται ἀφθονίσκουσιν, id est: Ex puris sputo, tabes & fluxus (sunt qui hic addant τὸ κακόν, hoc est, malum.) Postquam uerò sputum supprimitur, moriuntur.

Solent etiam in adolescentibus.) Secundo Prædictionum: Quicunq; pectore suppurati efficiuntur dum iuuenes sunt, ex humorum illapsu aut fistula, aut alio quopiam huiusmodi, aut ex abscessus recursu, hi non euadunt, nisi ualde multa bona signa ipsis accesserint. Cæterùm ex alijs minimè superstites manent & uirgines et mulieres, quibus ex suppressis mẽsibus tabes obortа. est si qua tamen uirgo aut mulier euasura est: & aliorum signorum bonorum multa accedere oportet, & mẽses splendidè ac purè profluere. Alioqui spes nulla est. Hippocrates ex uomica aut fistula, aut aliquo pectoris abscessu, tabem nasci periculosum esse ostẽdit. Celsus contrà ex tabe, aut certè suppuratione illa eadem cum metu consequi docet. Ac rursus Hippocrates ex menstruis restrictis tabem ortam damnat. Celsus cum ijsdem suppressis tabem incusat, sensu certè plurimum in utrisq; differente: ac tantum nimirũ, quantum à causa effectus discrepare potest ac solet.

Cui uerò sano subitus dolor capitis.) 6. Aphoris. 51. οκόσοισιν ὑγιαίνουσιν ὀδυναι γί-
C νονται ἰσχναίνης ἐν τῇ κεφαλῇ, καὶ παραχρῆμα ἄφωνοι γίνονται καὶ ἐγκλίνουσιν, ἀπόλλυνται ἐν τεσσαρεσκαιδεκαήμερον, ἢν μὴ πυρετὸς ἐπιλάβῃ. id est: Quibuscunq; sanis derepentè dolores in capite fiunt, ac statim uoce intercepta prosternuntur ac stertunt, intra septem dies pereunt, si non febris apprehendat. Notat autem apoplecticos, qui ualida febri oborta seruari consueuerunt.

Si palpebræ dormientis.) Celsus aut de suo hæc comminiscitur, non authoritate, quam equidem offenderim, sed rerum obseruatione, quæ nonnunquã respondet, inductus: aut certè ex Coacis Prænotion. huc accommodauit. Vbi Hippocrates: Quicunq;, inquit, in febre continua uoce destituti, iacentes, oculis conniuentes nictant: hi, si postquam sanguis ipsis ex naribus fluxit, & ubi uomuerint, loquantur, & ad seipsos redeant, seruantur: si uerò hæc non fiant, difficulter spirantes, breui moriuntur. Nam certè uerba quæ hic attexuntur de febre malum discutiente, ex superiori Aphorismo, quem modò protuli, reuera detruncata sunt.

At aqua inter cutem si ex acuto.) In Prænot. Aquę omnes intercutem ex acutis

morbis obortæ, malæ sunt. Neque enim à febre liberant, & ualde dolorosæ A
sunt, ac lethales.

Vtiq; si contraria his.) Referto huc quæ suprà de hydropum faustis signis ex secundo Prædictionum produximus.

Atq; in ea quoq; tussis spem tollit.) τοῖσιν ὑδροπικοῖσι βὴξ ἐπιγιγνομένη, κακόν. id est: Aqua inter cutem laborantibus tussis accedens, malum. 6. Aph. 35.

Item si sanguis sursum.) Secundo Prædictionum: Cui multum sanguinis sursum ac deorsum eruperit, & febris insuper accesserit, eum multa aqua repletum iri timor est. Atque hîc hydrops breuissimi temporis est, & ex hoe pauciſsimi euadunt. Verùm de his præmonere decet. At quibus magni tumores facti emarcescunt, ac rursus attolluntur, hi magis conualescunt, quàm illi qui ex sanguinis eruptione implentur. Verùm fallunt hi hydropes ipsos ægrotos, faciuntque ut ipsi à medicis discedant, ac pereant. Pulchrè Celsus omnem eam sententiam complexus est, nisi quòd prædictionis non commeminerit.

Illud iurè aliquis mirabitur.) Transgressio quædam est, cum beneuolentiæ captatione noua, à rei nouitate & mirculo petita. Mirum nanq; uideri potest, quo pacto idem & boni prę se speciem præferat, & noceat tamẽ. Quod tum fieri assolet, quoties bono quopiam abutimur. Vt si quando id quod per se commoditatem allaturum erat, malum euadit, uel alterius rei coniunctæ pernicie, uel quia ipsum nimium fit. B

Nam sine aqua inter cutem.) 6. Aphoris. 27. ὁκόσοι ἔμπυοι ἢ ὑδροπικοὶ ἁλίσκονται, ἢ τέμνονται, ἐκρυήγνυται ἢ τὸ πῦον, ἢ τὸ ὕδατος ἀθρόον, πάντως ἀπόλλυνται. id est: Quicunq; suppurati aut hydropici secantur, aut uruntur, hi pure aut aqua acerua tim confertimq; emissa, omnino moriuntur. Nam certè confertæ uacuationes, quæ semel sua uniuersa profundunt, omnes pernicioſæ sunt, propter spiritus, qui simul plurimi non exhauriri non possunt.

Articuli uerò qui sic dolent.) Secundo Prædictionum: Quicunque aut senes sunt, aut circa articulos callos tofaceos habent, aut ęrumnosè uiuunt, ac siccam aluum habent, hi omnes sani fieri humana arte, quantum equidem noui, non possunt. Celsus, hic magis paraphrasten fidelem, quàm interpretem egit: si ærumnosam etiam uitam aluumq; reſiccatam, quæ propè præcipua sunt, non omisisset.

Morbus quoq; comitialis.) Huc pertinet Aph. 7. è libro Hippocratis quinto, quem hoc eodem capite suprà protulimus.

Multoq; ægrius is qui post.) Secundo Prædictionum: Ex his porrò qui sacro morbo corripiuntur, difficillimè quidem liberantur hi, quibus à puero contingit morbus, & simul ad uirilem ætatem peruenit. Deinde hi, quibus corpore in uigore ætatis constituto obortus fuerit, à uiginti quinque annis ad quinq; supra quadragesimum. Post hos autem quibus factus fuerit morbus, C
nullam significationem præbet ex qua corporis parte initium sumat. Et paulo pòst: Quicunque senes apprehendi incipiunt, maximè moriuntur. Et si fortè fortuna non pereant, statim celerrimeq; per se liberantur. A medicis autem minimè opem auxiliumq; percipiunt. Celsus sententiam quamproximè reddidit, uerba uerò non adnumerauit.

Si uerò aut mens læsa est.) Posteaquam Hippocrates morbum comitialem à certa corporis parte subortum, medicinæ patêre dixisset, protinus hęc addidit: Nisi mens mali aliquid habuerit, aut nisi quis stupore attonito sideratus fuerit. Nam hæ, inquit, atrabilariæ mentis emotiones conducere nequeunt. Neruorum porrò resolutionem pro apoplexia, seu morbo attonito, pro more suo Celsus dixit.

Deiectionibus quoq; si febris accesſit.) Lib. 2. Prædictionum: Dysenteriæ siquidem cum febre inuaserint, aut uarijs alui egestionibus, aut cum iecoris inflammatione, aut præcordij quoque, aut uentris, aut quæ dolorosæ fuerint,

aut

A aut cibos intercipiunt, sitimq; inducunt, hæ omnes malæ sunt. Et qui sanè plurima horum malorum habuerit, citissimè peribit. Cui uerò pauciſsima adfuerint, illi plurima uitæ spes est. Moriuntur autem maximè ex hoc morbo pueri quinquennes, & item seniores, decennesq;. Cæteræ uerò ætates minus. Et paulo pòst: Si quid illorum quoq; in uterum gestante, atq; grauidata muliere apparet, & fœtui perniciem denũciat, & prægnanti periculum minitatur, si non post fœtus effugium, & secundæ exolutionem, ipsa dysenteria eodem die aut tempore paulo pòst desinat. Deiectionem in Celso pro torminibus, quibus ille dysenteriam notare solet, esse positam, nonnihil germanæ sententiæ officit. Quanquam paulo pòst torminum ueterum, nescio quo pacto, etiam commeminit. In cæteris autem fides bona præstita est. Nam ciborum fastidium in siti facilè comprehendas, quæ ægrè ambo cõmiscentur. Et longioris temporis illa in Hippocrate significatio omissa. si, ut fit à Celso, addatur, parum incõmodi adfert. Quando hæc adfectio diuturna esse solet, & uetustate esse periculosa, quam tamen huc detractam puto ex ijs, quæ Hippocrates paulo pòst de lienteria est subditurus. Nam Celso hæc eadem ibi prætermittitur. Cæterùm in mulierũ periculo, aliquanto est breuior quàm ut omnem rem ad unguem exprimat. Quia non idem omnibus metus imminet, ut apertè id etiam docet Hippocrates.

B *Quinetiam tormina ab atra.*) 4. Aphor. 24. Δυσεντερίη, ἢν ἀπὸ χολῆς μελαίνης ἄρξηται, θανάσιμον. id est: Dysenteria si ab atra bile incipiat, mortifera est.

Aut si sub his extenuato.) Ὁκόσοισιν ἐκ νουσημάτων ὀξέων, ἢ ἐκ πολυχρονίων, ἢ ἐκ τρωμάτων, ἢ ἄλλως λελεπτυσμένοισι χολὴ μέλαινα, ἢ ὁκοῖον αἷμα μέλαν ἐκκριθῇ, τῇ ὑστεραίῃ ἀποθνήσκουσι. id est: Quibuscunque ex morbis acutis, aut diuturnis, aut ex uulneribus, aut aliàs extenuatis atra bilis, seu cuiusmodi sanguis est niger, subierit, postridie moriuntur. Ex quo nimirum Aphorismo Celsus hanc sententiam mutuatus est, cauſis attenuati corporis omissis.

At intestinorum læuitas periculosior est.) Exemplaria typis excusa coniunctionem Aut, pro At, initio huius orationis perperam, meo quidem iudicio, cõstituunt. Ac multo etiam uitiosius nouam sententiam à cõparatiuo Periculosior inchoant, qui erat omnino læuitati intestinorum adijciendus. Nec leuiori delicto paulo pòst, pro sono, somno inuenias. sunt enim è 2. Prædict. hæc desumpta, ubi Hippocr. ita scripsit: Læuitas intestinorũ, lienteriæ Græcis appellatæ, quæ quidem sunt cõtinuæ & diuturnæ, & omni hora uel cum strepitibus, uel sine ijsdem exturbantur, & similiter noctu atq; interdiu incũbunt, egestione subeũte, seu ualde cruda, seu nigra & leui ac graueolente, hæ omnes malæ sunt. Nam & sitim inducunt, & potionem non ad uesicam promouent, ut per urinam expellatur, & os exulceratũ, & ruborem elatũ in facie efficiunt, & maculas solares uarios colores habentes. Simul autem &

C uentres emollitos & sordidos ac rugosos reddunt. Ex quibus homines impotentes fiunt ad cibũ capiendum, ad deambulandum, ad facienda alia quę essent facto opus. Estq; morbus hic grauissimus senioribus, sed & uehemẽs est uiris. At reliquis ætatibus multo est clementior. Celsus ut explanata uenustaq; oratione hæc omnia expresit: ita cauſam, cur potus non in uesicã, sed in intestina defluat, ex ultimo Aphorismo libri quarti annexuisse uidetur. Qui, etsi non eadem pariaq; uerba, certè parem sententiam, cauſam'que eandem continet: οὔρησις νύκτωρ πολλὴ γινομένη, σημεῖόν τῶν ὑποχώρησιν σημαίνει. id est: Mictio de nocte dum multa fit, paruam alui deiectionem declarat. Quod uti uerum est: ita si interdiu idem fiat, similiter respondet. Contraq;: Quibus aluus seu noctu, seu interdiu exolutior est, ijs lotium parcius redditur. Verùm ubi Celsus paulo pòst, Pinguis uenter, reddit, ἀλιπαρὰ legisse uidetur, quum castigatiora exemplaria ῥιπαρὰ habeant.

Si uerò in tenuiore intestino morbus.) 7. Aphoris. 10. ὑδρὶ εἰλεῷ ἐμέτος, ἢ λύγξ, ἢ ἀσασμός, ἢ παραφροσύνη, κακόν. id est: Ex uoluulo seu ileo, seu ut Celsus uocat, ex te-

nuioris inteſtini morbo uomitus, aut ſingultus, aut cõuulſio, aut delyrium, malum. In Coacis Prænorionibus: Voluuloſis, inquit, uomitus, & ſurditas, malum. A

At in morbo arquato durum.) 6. Aphoriſ. 42. ἐν τοῖσιν ἰκτερικοῖσι δὲ ἢν σκληρὸν γένηται, πονηρόν. id eſt: Morbo regio, ſiue arquato laborantibus, ſi iecur durum fiat, malum eſt. Et 4. Aph. 64. Morbum regium in febribus ſeptimo, aut nono, aut undecimo, aut decimoquarto die accedere, bonum pronunciat: niſi dextrum hypochondrium, in quo iecur comprehenditur, ſit obdurius.

Quos lienis malè habet.) 6. Aphor. 43. ὁκόσοι ἀπὸ λιθώδεος τοῦ δυσεντερίης ἁλίσκονται, τούτοισιν ὑγρομελὶς μακρῆς τῆς δυσεντερίης, ἢν ὑδρωψ ὑπογένηται, ἢ λειεντερίη, καὶ ἀπόλλυνται. id eſt: Quicunq; ſplenici ſiue lienoſi à dyſenteria corripiuntur, his longa facta dyſenteria, aut hydrops accedit, aut inteſtinorũ læuitas, & intereunt. Minimum eſt, ſi ſententiam ſpectes, aut potius nihil eſt, in quo ab Hippocrate Celſus diſcrepet.

Morbus inteſtini tenuioris.) 6. Aphoriſm. 44. ὁκόσοισιν ἐκ στραγγουρίης ἕλκεα ὑπογένηται, ἐν ἑπτὰ ἡμέρῃσιν ἀπόλλυνται, &c. id eſt: Quibuſcunque ex urinæ ſtillicidio uoluulus accedit, ſi intra ſeptem dies pereunt, ſi non febre obueniente ſatis urinæ profluxerit. In Coacis Prænotion. ita habet: In urinæ ſtillicidio, ſi uoluulus accidat, ſeptima die perimit, niſi febre oborta, urina aceruatim prodeat. Celſus longiuſculè, dum breuitatem nimium hic ſtudioſè aucupatur, à ſententia genuina Hippocratis aberrat. Non enim Hippocrates inteſtini tenuioris morbum uoluulumq; ſemper interimere, niſi intra ſeptimum diem reſoluatur, docet: ſed ex urinæ ſtillicidio natum, intra dies ſeptem hominem enecare tradit, ſi non febris urinæ multitudine excitata liberet. Celſus initia, & unde naſcatur, & quomodo à morte uindicet, prætermiſit: quæ erant in hac ſententia præcipua, maximeq; momentanea. B

Mulier ex partu cum febre.) In Prænot. Hippocrates, poſteaquam docuit quæ eſſent ratione dies morborum iudiciarij, fortunati aut infortunati obſeruandi: luxta eandem, addit, rationem mulieribus quoque iudicationes ex partu fiunt. deinde continenter proxima oratione adijcit: Capitis dolores fortes & continui cum febre, ſi quidem lethaliũ ſignorũ quid acceſſerit, pernicioſi ualde ſunt. Si uerò abſq; talibus ſignis dolor uiginti dies trãſmiſerit, & febris unà traxerit, ſanguinis è naribus profuſionẽ, aut abſceſſum quempiã ad infernas partes expectare decet. Celſus, quæ Hippocrates ad omnes in genere homines accõmodat, rerum ſtatim antecedentium, nempe mulierũ mentione fortaſsis deceptus, ad ſolas fœminas quæ pepererint, contrahit. Nec quãdo eadem illa periculum minitentẽ, nec quem alioqui euentũ fortiantur, oſtendit. Anguſtè itaq; plus ſatis, attamen non uanè aut falſò hæc ſcripſit.

Si dolor atq; inflammatio.) In Coacis Prænot. Spiritus qui denſus quidem, & paruus eſt, inflammationem & dolorem in locis principalibus ſignificat. In Prænotionibus alteris: Spiritus denſus dolorem ſignificat, aut inflammationem in locis ſupra ſeptum tranſuerſum. Celſus partes quibus uiſcera continentur, pro iſs quib. thorax circumſcribitur, terminaturq;, poſuit. Nec quiſquam eſt qui dolorem atq; inflammationem earum partium malam eſſe neget: qui ſaltem recordetur illius 6. Aph. 54. In morbis acutis, qui cum febre fiunt, luctuoſæ reſpirationes, malæ ſunt. C

Si ſine cauſa longus dolor capitis.) Lib. 2. Prædictionum: Quibus dolores ſine manifeſtis cauſis fiũt, & diuturni, & in toto capite: ſuntq; illi qui afficiuntur & graciles & debiles: his prædicendum eſt, morbũ longè grauiorem priore eſſe. Si uerò etiã ad collũ, & ad dorſum dolor deſcẽdat, caput relinquens, & iterũ ad caput recurrat, etiã is grauior eſt. At horũ omniũ grauiſsimus eſt, ſi ex capite ad collũ ac dorſum cõtendat. Vtilitatẽ uerò his ex abſceſsibus fore expectãdũ eſt. Aut ubi pus per tuſsim reiecerint, aut hæmorrhoides, aut puſtulas in corporib. enatas habuerint, Cõducit & caput, ſi q̃d furfures habeat.

Hippo-

A Hippocrates quatuor capitum dolentium ordines proponit. Primum, ex magnis uentis aut frigoribus post calorem excitatum. de quo suprà dictum est. Alterum, nulla manifesta ex causa ortum, ac diuturnum, in toto gracilis hominis atque debilis capite consistentem, superiore grauiorem. Tertium, è capite in collum, dorsum'que, & hinc rursus in caput recurrentem, prioribus etiam peiorem. Quartum, omnium longè pessimum, è dorso colloq; caput non repetentem. Celsus nec hos ordines, duntaxat omnes, obseruauit, nec hæmorrhoidum commeminit. Et uomicam cum puris reiectatione, quæ separauit Hippocrates, confudit atque commiscuit. Cæterùm prurigi-nem in excusis exemplaribus pro porrigine, uoce penè simili, sed significatu diuersissimo, legi, librariorum errore atq; inscitia commissum est.

Aequè magnum malum est, ubi torpor.) Secundo Prædictionum: Torpores & punctura pruriginosæ uelut ab urtica, quibus per caput modò totum, modò aliquam eius partem discurrunt: sæpe uerò & frigiditas aliqua ab ipsis sentiri putatur, quasi per caput discursare: ipsos interrogare oportet, an etiã ad summam linguam punctura illa procedat. Si enim hoc fecerit, perfectus morbus fit, & qui difficulter dimoueri possit. Verùm absque hoc facilis est. Vtilitas in his quoq; ab abscessibus expectanda est, sicut antè scriptum est: sed tamen abscessus minus in his, quàm in prioribus, accidunt.

B *In coxæ uerò doloribus si uehemens.*) Libro secundo Prædictionum: De coxendicum dolore sic statuendum est. Quibuscunq; senioribus & torpores uehementissimi sunt, & perfrigerationes tum lumborum, tum crurum, & qui pudendum arrigere non possunt, ac quibus aluus non egerit, nisi ad necessitatem coacta, & procedit ipsis multus stercoraceus muccus, his maximè diuturnus morbus erit, prædicendum'que est annum, ut minimum, morbum duraturum esse, & ab eo tempore quo incœpit & opem ad uer & æstatem expectandam esse. Torporem uehementem pro uehementissimo positum esse, quum superlatiuus positiui solum ἐπίτασιν atque auctionem quandam declaret, in tenui statuendum est delicto. Atq; pro lumbis coxam rursus substitutam esse, nouum in Celso non est. At pro minimum annuus, minimè annuus, contrario omnino sensu legi, typographorum prorsus incuria peccatum existimo. Quemadmodum & autumnum pro æstate, sciolorum imperitia irrepsisse, graui rectæ sententiæ cum iactura, credo.

Difficilis æque curatio est in eadem ætate.) Libro secundo Prædictionum: Doloribus humerorum, qui quidem ad manus descendunt, torporesq; ac dolores inducunt, abscessus non succedunt. Verùm nigram bilem si euomant, sanantur. Qui uerò isthic in humeris manent, aut etiam ad dorsum progrediuntur, eos puris aut atræ bilis uomitu effugiunt. Vomitu, qui facilè spi-
C rauerint, gracilesq; fuerint. Pure eiecto, qui difficilius spirauerint, atque in faciem ipsis color incurrit, qui prius non fuit, siue rubicundus, siue niger: præsertim si ijsdem etiam pedes tument. Atque hic sanè morbus uiris uehementissimus esse solet, à quadragesimo ad usque sexagesimum annum. Celsus ex his Hippocratis uerbis suam omnem sententiam compilauit uerius, quàm transtulit. Nam & omisit pleraq;, & ab ijs qui curabiles sunt, eos qui sanari nequeant, colligit.

Quacunque uerò parte corporis membrum aliquod.) Secundo Prædict. Quibus unà cum hoc, quod eam mouere non possunt, morbosa corporis pars attenuatur, hi in sanitatem restitui non possunt. Quibus aũt colliquationes non accesserint, hi sani euadent. Cæterùm de tempore quando sani futuri sunt, prædicendum est, respectu habito ad uim morbi, & ad tempus, & ad ætatem hominis, & ad anni partem. Ita ut eius rei memor sis, quod uetustissimi morbi, & pessimi, & qui reuoluuntur, grauissimè obediunt. Itemq; in his, qui uetustissimis sunt corporibus. Sed & autumnus & hyems ad tales morbos sub-

ſubmouendos minus præſidij atq; cõmoditatis præſtant, quàm uer & æſtas. A
Quibus uerbis etſi Hippocrates neq; reſolutorum, neq; ſideratorũ mentionem facit, tamen & horũ ea ſententia, quæ proximè ante hanc orationẽ antecedit, meminit: & omnis hic ſermo, de talibus fieri uerba, facilè ſignificat. Celſus rem omnem fideliter ad Latinos, uerbis uerba reddere ſecurus, conuertit. huc refer Aph. illum 55. lib. 6. τὰ ποδαγρικὰ πρὸς, καὶ τὰ φθινοπώρα κίνεῖ, ὡς ὠφελεῖ τὰ πολύ. id eſt: Podagricæ affectiones uere & autumno ut plurimũ mouentur. Et ſecundo Prædict. Ex omnibus morbis longis plericq; omnes ſub autumnũ periclitantur. Porrò quod in typis excuſis exemplaribus legitur, Aliquid ſeparatim poſt, pro eo quòd rectum erat, meo quidem iudicio, Aliquid ſperari poteſt, temporũ hominumq; indoctorum iniuria factum eſt.

Iſq; morbus mediocris uix.) 2. Aph. 42. λύειν ἀρχὴ πλεξίππου ἰσχυρῶ μὲν ἀδιάπτου, ἀδυνέα δὲ ῥᾴδιον. id eſt: Sideratio, ſiue morbus attonitus, ſiue apoplexia fortis quidem ſanari omnino nequit: debiles uerò haud facilè poteſt.

Omnis etiam dolor minus medicinæ patet, qui ſurſum procedit.) Iſtud Hippocrat. pleriſq; in locis inculcat: & ratio à partium earũ uiſcerumq; præſtantia ſumitur.

Mulieri grauidæ ſi ſubitò mammæ.) 5. Aph. 37. γυναικὶ ἐν γαστρὶ ἐχούσῃ ἢν ἐξαίφνης οἱ μαστοὶ ἰσχνοὶ γίγνωνται, ἐκτιτρώσκει. id eſt: Mulieri uterum geſtanti, ſi mammæ repentè gracileſcant, abortit.

Quæ neq; peperit, neq;.) 5. Aph. 39. ἢν γυνὴ μὴ λύσασα, μηδὲ προκύσα γάλα ἔχῃ, ταύτῃ τὰ καταμήνια ἐκλέλοιπε. id eſt: Si mulier, quæ neq; prægnans eſt, neq; peperit, lac habet, menſes ipſi defecerunt. B

Quartana æſtiua breuis.) 2. Aph. 25. οἱ θέρινοι τεταρταῖοι, τὰ πολλὰ γίνονται βραχέα. οἱ δὲ φθινοπώρινοι μακροί, καὶ μάλιστα οἱ πρὸς τὸν χειμῶνα σωζόμενοι. id eſt: Aeſtiuæ quartanæ plerunq; ſunt breues: autumnales uerò longæ, & maximè quæ hyemem attingunt. Celſus longiſſimas eſſe quæ hyeme naſcerentur, intellexit. Hippocrates, quæcunq; hyemalis cœli participes ſint, etiam alio tempore genitas.

Si ſanguis profluxit.) 7. Aph. 9. Ἐπὶ αἵματος ῥύσει παραφροσύνη ἢ σπασμός, κακόν. id eſt: A' ſanguinis profluuio delyrium, aut conuulſio, malum. Celſus non ἢ id eſt, aut: ſed καὶ, hoc eſt, & legiſſe uidetur.

Itemq; ſi medicamentis.) 5. Aph. 4. ὧν ὑποκαθάρσει σπασμὸς, ἢ λυγμὸς ὠλιγρόμενος, κακόν. id eſt: Ex immodica purgatione conuulſio, aut ſingultus, ſi accedat, malum. At 7. Aph. 25. ἐκ φαρμακοποσίης σπασμὸς θανατώδης. hoc eſt: Ex medicamenti potione conuulſio mortifera eſt.

Aut ſi in magno dolore.) 7. Aph. 26. ὧν ὀδύνη ἰσχυρὴ περὶ τὴν κοιλίην, ἄκροτηρίων ψύξις, κακόν. id eſt: Ex forti dolore earum partium quæ circa uentrẽ ſunt, frigere extremas, malum eſt. Seu Celſi, ſeu potius temporũ negligentia, uentris mentio omiſſa eſt, uerè tamen, ea non addita, etiam dici poteſt. In magno omni dolore extremas partes frigere, malum eſt. Nam uel inflammatio C
nis grauis, uel alterius incõmodi neutiquã contemnendi, indicium ferè eſt.

Neq; is ad uitam.) 2. Aph. 43. ὧν ἀπαγχομένων καὶ καταλυομένων, μηδέπω δὲ τεθνηκότων ὅσα ἀναφορέσιν, οἷσιν ἂν ἀφρὸς ἢ περὶ τὸ σῶμα. id eſt: Ex iis qui ſtrangulantur, aut ſubmerguntur, necdum uerò mortui ſunt, non reualeſcunt, quibus ſpuma circa os fuerit. Celſus ſubmerſionis non meminit, fortaſsis quòd iis non æquè os ſpumeſcere reperiatur. Aut potius, quod καταλύεσθαι ad detractionem à ſuſpendio retulerit: quod alij diſſolui, alij mori uerterunt.

Aluus nigra.) 4. Aphor. 21. Deiectiones alui nigræ, uelut ſanguis niger, ſua ſponte prodeuntes, & in febre, & ſine febri, peſsimæ ſunt. Et quanto plures fuerint, peioresq; colores, tanto id deterius eſt. Cum medicamento uerò melius: et quanto tum colores fuerint plures, hoc melius eſt. ἐκ αὐτομάτου, repentinæ uertit Celſus. Quàm bene, nouerunt qui Græcam linguam uel primoribus labris attigerunt. Vt ne etiam dicam, optimam propè Aphoriſmi partem eſſe prætermiſſam.

Cognitis

De morborum curationibus. Cap. IX.

A COgnitis indicijs, quæ nos uel spe consolentur, uel metu terreant, ad curationes morborum transeundum est. Ex his quædam communes sunt, quædam propriæ. Communes, quæ pluribus morbis opitulantur: propriæ, quæ singulis. Antè de communibus dicam. Ex quibus tamen quædam non ægros solum, sed sanos quoq; sustinent, quædam in aduersa tantum ualetudine adhibentur. Omne uerò auxilium corporis, aut demit aliquam materiam, aut adijcit, aut euocat, aut reprimit, aut refrigerat, aut calefacit, simulq; aut durat, aut mollit. Quædam nõ uno modo tantum, sed etiam duobus inter se non contrarijs adiuuant. Demitur materia, sanguinis detractione, cucurbitula, deiectione, uomitu, frictione, gestatione, omniq; exercitatione corporis, abstinentia, sudore. De quibus protinus dicam.

ENARRATIO.

B *Cognitis indicijs.*) Nihil est quo medicus plus sibi fidei atq; authoritatis comparet, nihil quo magis suspiciatur, quàm ut bonæ malæq; spei, quantum in quaq; ægrotatione sit reliquum, prospiciat atq; pronunciet. Vt & præteritas res intelligere, & præsentes agnoscere, & futuras prouidere posse intelligatur. Ita enim & causæ cuiusq; mali uim, & morbi atrocitatem, & symptomatum atq; accidentium rationem cognoscere uidebitur. Ex quibus deinde nemini, qui modò ingenio atq; usu ualeat, quantum curæ, ac cuiusmodi, in quoque uitij tempore, sit impendendum, difficile fuerit inuenire. Quare totam Semioticen indiciorumq; disciplinam primùm in oculis atq; animo impressam habere conuenit: ut notas cõmunes omnes, priuatasq; in qualibet mortalium afflictione in promptu atq; procliui habeat. Deinde ut ex illis ipsis signis mox pro causę, & morbi, & accidentium natura, salutarem, quoad rerum natura patitur, curationem instituat. In quibus, ut è themate ad hypothesin descendere natura rationeq; docemur: ita ex generalibus, latissimeq; patentibus, ad angustiora, ac propria cuiusq; uitij signa deuenire decet. Quæ Celsus & obseruauit in signis exponendis hactenus, & præstabit posthæc in tradendis curationibus sequentibus. Cum itaq; sint Therapeutices, rationisq; ualetudinis depellendæ partes duæ: nempe, ut quæ superãt, corpori eximantur: deinde, ut salutaria congruaq; subijciantur: Primùm quibus rebus in genere corporis damna euocentur: tum sub finem huius
C libri, quibus rebus apta bonæ ualetudini sufficiantur, generatim explicabit. Priora sanguinis detractione, purgatione, & per cutem clàm palamq; dissipatione cõtinentur. Detrahitur sanguis, uel uena pertusa, uel cute incisa scalpello, cucurbitaq; adfixa. Purgatur corpus tum uomitione, tum deiectione siue lotij, siue alui, siue purgamenti cuiuslibet. Per cutem dissipant, frictio, unctio, exercitatio, lotio: & quæ his non admodum dissimilis est, abstinentia atq; ieiunium. Posteriora breui eorum quæ in uictu posita sunt, expositione atq; intelligentia, & rerum omnium ui atq; facultates cõsentientiũ pugnantiumq;, tanquam nidis ac locis cõmunibus quibusdam complectitur.

Omne uerò auxilium.) Hippocrates libro de Natura humana, medicinam omnem duabus partibus definit, aphæresi, & prosthesi, duobus metaplasmi generibus. nempe, eorum quæ superant, detractione: & quę desunt, ut modò dixi, additione. Quæ ambo rursus efficiuntur calefacientibus, refrigerantibus, humectantibus, aut arefacientibus. Quorum quæ calent, quæq; madent, bona ex parte euocant: arida frigidaq; uel stipãt, uel reprimunt. Quæ-

dam pro substantiæ tenuitate, & crassitie ac temperatione ipsorum multipli A
ci, multa præstare possunt: saluia siquidem, melilotus, stœchas, pęonia, cro-
cus, atramentum sutorium, atq; innumera alia non diuersis modò, sed sæpe
contrarijs facultatibus sunt prædita, ut euocent reprimantq;, & quasi calore
frigoreq; pariter afficiant, quum alterum è materie ui, alterum è temperatio-
nis modo habeant.

De *sanguinis detractione per uenas.* Cap. X.

SAnguinem, incisa uena mitti, nouum non est: sed nullum penè
morbum esse, in quo non mittatur, nouum est. Item mitti iunio
ribus, & fœminis uterum nõ gerentibus, uetus est. In pueris uerò
idem experiri, & in senioribus, & in grauidis quoq; mulieribus, ue
tus non est: siquidem antiqui, primam ultimamq; ætatem sustine-
re non posse hoc auxilij genus iudicabant: persuaserantq; sibi, mu-
lierem grauidam, quæ ita curata esset, abortum esse facturam. Po-
stea uerò usus ostendit, nihil ex his esse perpetuũ, aliasq; potiores
obseruationes adhibendas esse, ad quas dirigi curantis consilium
debeat. Interest enim non quæ ætas sit, neq; quid in corpore intus
geratur, sed quæ uires sint. Ergo si iuuenis imbecillus est, aut si mu B
lier (quæ grauida non est) parum ualet, malè sanguis emittitur. E-
moritᷣ enim uis, si quę supererat, et hoc modo erepta est. At firmus
puer, & robustus senex, & grauida mulier ualens, tutò curantur.
Maximè tamen in his medicus imperitus falli potest, quia ferè mi-
nus roboris illis ætatibus subest. Mulieriq; pręgnãti post curatio-
nem quoq; uiribus opus est, nõ tantum ad se, sed etiam ad partum
sustinendum. Non quicquid aut intentionem animi, aut pruden-
tiam exigit, protinus faciendũ est: cum præcipua in hoc ars sit, quę
non annos numeret, neque conceptionem solam uideat, sed uires
æstimet, & ex eo colligat, possit nec ne supereſſe quod uel puerũ,
uel senem, uel in una muliere duo corpora simul sustineat. Interest
enim inter ualens corpus & obœsum, inter tenue & infirmũ. Te-
nuioribus magis sanguis, plenioribus magis caro abundat. Faci-
lius itaq; illi detractionẽ eiusmodi sustinent: celeriusq; ea, si nimiũ
est pinguis aliquis, affligitur. Ideoq; uis corporis melius ex uenis,
quàm ex ipsa specie æstimatur. Neq; enim solum hæc considera-
da sunt, sed etiam morbi genus, quod sit. Vtrum superans, an defi- C
ciens materia, læserit. Corruptum corpus sit, an integrum. Nam si
materia uel deest, uel integra est, istud alienum est. At si uel copia
sui malè habet, uel corrupta est, nullo modo melius succurritur.
Ergo uehemens febris, ubi rubet corpus, plenæq; uenæ tumẽt, san
guinis detractionem requirit. Item uiscerũ, morbi, neruorũq; reso
lutio & rigor & distentio, quicquid deniq; fauces difficultate spiri
tus strangulat, quicquid subitò supprimit uocem, quisquis intole-
rabilis dolor est, & quacunq; de causa ruptum aliquid intus atque
collisum est. Item malus corporis habitus, omnesq; acuti morbi,
qui modò, ut suprà dixi, non infirmitate, sed onere nocent. Fieri ta-

men

A men potest, ut morbus quidē id desideret, corpus aūt uix pati posse uideatur. Sed si nullū tamen appareat aliud auxiliū, periturusq; sit qui laborat, nisi temeraria quoq; uia fuerit adiutus in hoc statu: boni medici est ostēdere, quàm nulla spes sine sanguinis detractione sit, fateriq; quantus in hac ipsa re sit metus. & tum demū si exigatur, sanguinē mittere: de quo dubitari in eiusmodi re nō oportet. Satius est enim anceps auxilium experiri, quàm nullum. Idq; maximè fieri debet, ubi nerui resoluti sunt, ubi subitò aliquis obmutuit, ubi angina strangulatur, ubi prioris febris accessio penè confecit, paremq; subsequi uerisimile est, neq; eandem uidentē sustinere ægri uires posse. Cum sit aūt minimè crudo sanguis mittendus, tamen ne id quidem perpetuū est. Neq; enim semper cōcoctionem res expectat. Ergo si ex superiore parte aliquis decidit, si contusus est, si ex aliquo subito casu sanguinē uomit, quāuis paulo antè sumpsit cibū, tamen protinus ei demenda materia est: ne si subsederit, corpus affligat. Idemq; etiam in alijs casibus repentinis, qui strāgu
B labunt, dictū erit. At si morbi ratio patiat, tum demū nulla crudita tis suspectione remanente id fiet. Ideoq; ei rei uidet aptissimus aduersæ ualetudinis dies secundus, aut tertius. Sed ut aliquando etiā primo die sanguinē mittere necesse est, sic nunquā utile post diem quartū est, cum iam spacio ipso materia & exhausta est, & corpus corrumpit, ut detractio imbecillum id facere possit, nō possit integrum. Quod si uehemens febris urget, in ipso impetu eius sanguinem mittere, hominem iugulare est. Expectāda ergo remissio est, si nō decrescit, sed crescere desiit, neq; speratur remissio, tūc quoq; quamuis peior, sola tamen occasio nō omittenda est. Ferè etiā ista medicina ubi necessaria est, in biduū diuidenda est. Satius est enim primùm leuare ęgrū, deinde perpurgare, quàm simul omni ui effusa fortasse præcipitare. Quod si in cura quoq; aquæ quæ inter cutem est, ita respondet, quanto magis necesse est in sanguine respondeat? Mitti uerò is debet, si totius corporis causa fit, ex brachio: si partis alicuius, ex ea ipsa parte, aut certæ quàm proxima: quia non
C ubiq; mitti potest, sed in temporibus, in brachijs, iuxta talos. Neq; ignoro quosdam dicere, quàm longissimè sanguinem inde ubi lædit esse mittendum. Sic enim auerti materiæ cursum: at illo modo in idipsum q̄d grauat, euocari. Sed idipsum falsum est. Proximum enim locū primò exhaurit. Ex ulterioribus aūt eatenus sanguis sequitur, quatenus emittitur: ubi is suppressus est, quia nō trahitur, ne uenit quidem. Videtur tamen usus ipse docuisse, si caput fractū est, ex brachio potius sanguinem mittendū esse. Si q̄d in humero uitiū est, ex altero brachio: credo, quia si quid parū cesserit, opportuniores hæ partes iniuriæ sunt, q̄s quæ iam malè habent. Auertitur quoq; interdum sanguis, ubi alia parte prorumpens, alia emittitur. Desinit enim fluere quà uolumus, inde obiectis quæ prohibeant, alio dato itinere. Mittere aūt sanguinem cum sit expeditissi-

mum, usum habẽti: tum ignaro difficillimũ est. Iuncta enim est uena arterijs, his nerui. Ita si neruũ scalpellus attigit, sequitur neruorum distentio, ea quæ hominem crudeliter cõsumit. At arteria incisa neq; coit, neq; sanescit, interdum etiam ut sanguis uehementer erumpat, efficit. Ipsius quoque uenæ, si fortè præcisa est, capita cõprimuntur, neq; sanguinem emittunt. At si timidè scalpellus demittitur, summã cutem lacerat, neq; uenam incidit. Nonnunquam etiam ea latet, neq; facile reperitur. Ita multæ res id difficile insscio faciunt, quod perito facillimũ est. Incidenda ad medium uena est, ex qua cum sanguis erumpit, colorem eius, habitumq; oportet attendere. Nam si is crassus et niger est, uitiosus est: ideoq; utiliter effunditur. Si rubet & pellucet, integer est. Eaq; missio sanguinis adeò nõ prodest, ut etiam noceat, protinusq; is supprimendus est. Sed id euenire non potest sub eo medico, qui scit ex quali corpore sanguis mittendus sit. Illud magis fieri solet, ut æquè niger assiduè ac primo die profluat. Quod quamuis ita est, tamen si iam satis fluxit, supprimendus est. Semperq; antè finis faciendus est, quàm anima deficiat. Deligandumq; brachium super impositò expresso ex aqua frigida penicillo, et postero die aduerso medio digito uena ferienda, ut recens coitus eius resoluatur, iterumq; sanguinem fundat. Siue autem primo, siue secundo die sanguis, qui crassus & niger initiò fluxerat, & rubere & pellucere cœpit, satis materiæ detractum est, atq; quod supereſt, sincerum est. Ideoq; protinus brachium deligandum habendumq; ita est, donec ualens cicatricula sit, quæ celerrimè in uena confirmatur.

A

B

C

ENARRATIO.

Persuaserantq; sibi.) 5. Aphoris. 31. γυνὴ ϕὼ γαστρὶ ἔχουσα φλεβοτομηθεῖσα ἐκτιτρώσκει, καὶ μᾶλλον εἰ μεῖζον εἴη τὸ ἔμβρυον. id est: Mulier grauida è secta uena emisso sanguine abortit, eo magis, quo fœtus fuerit grandior. At id de grandi illa & copiosa euacuatione intelligi debet, qua sub Hippocratis, ueterumq; tempora utebantur: dum libras sanguinis totas, easq; multas sæpenumero emittere non dubitabant. Nam nostra ista exilis & pauca, timidáque, in angina, in pleuritide, in graui lapsu aut ictu, uterum etiam gestantis mulieris, non modò nihil officit, sed prodest etiam plurimũ. Quamobrem in eiusmodi necessitate subita, seu puerorum, seu senum, seu grauidarum prægnantiumque mulierum, quemadmodum ueterem illam copiosamq; detractionem etiam nunc formidamus, & exhorruerunt omnia secula: ita mediocrem, & uiribus corporiq; consentaneam ac conuenientem, cum Celso libenter amplectimur.

Postea usus ostendit.) Duo in secanda omni uena maximè spectanda sunt: uirium robur, quod non modò in præsens sufficiat, sed quod etiam non facilè in posterum dilabatur: & morbi magnitudo, quæ uel iam adsit, & doloris ferè pulsuumque magnitudine perniciem minitari intelligitur, uel quæ uideatur futura. Vt enim graues sunt internæ omnes inflammationes, febres acutæ, apoplexiæ, atque eius generis morbi alij plurimi, citra febrem etiam acuti: ita graues futuræ sunt illæ diariæ, quæ propter obstructiones in synochas facilè conuertantur, & intermittentes quædam, quæ seu propter

A pter aeris malitiam, seu ægri intemperantiam, seu custodum amicorumq; insciti-
am, seu laborantis quoque naturam continuæ magnæque facilè e-
uadant. Et quæ denique statis temporibus sæuissimè hominem torquent
& discruciant, ut sunt oculorum, aurium, pedum, artuum, coli inflamma-
tiones. Sapientissimè itaque Celsus hæc duo cumprimis spectanda ani-
maduertit. Non autem perinde ætatem, non uterum, non aliam rem
quampiam: nisi quatenus uel parum graui præcipitique urgente pericu-
lo huc accommodantur, uel urgente grauissimo rem ipsam temperant. Id
quod in regione quoq;, & cœli præsentis habitu dispici debet uel cum sum-
ma diligentia: propterea quòd si dictis ætatibus, & grauidatis mulierci-
lis plus iusto sanguinis euoces, præsentem perniciem, si non duobus corpo-
ribus, certè uel matri, uel fœtui sis allaturus. Sin minus æquo detrahas,
nec morbum iam subleuabis: & præsidio præstito, imò negato, homicidium
committes. Quocirca nec nullius hominis, nec cuiusuis quoque munus
hoc est, atq; tractatio: nec medici quidem, nisi sobrij & sapientis, & usu do-
ctrinaq; præcellentis.

Interest inter ualens corpus & obæsum.) Vires corporis earum facultatum, quæ
toti ipsi gubernando à natura præficiuntur, integritate cognoscuntur. ut qui
sensibus animi corporisque, & motibus omnium partium firmis constant:
B qui spiritibus & calore genuino locupletes sunt, qui sanguine bono & suffi-
cienti præditi sunt. Quales sunt, qui proba alimenta feliciter concoquunt,
qui iecore ualente & calido, minimeq; arido naturaliter donati sunt. Iis e-
nim & calore ipso uenæ distenduntur, & sanguinis copia implentur, & cor-
pus undique plenum, rubicundumq; conspicitur. Obæsum uerò turget i-
psum quidem adipis atque abdominis mole multo magis, & uastius appa-
ret: sed uenis abditis & angustis, & pauco sanguine, paucisq; spiritibus di-
stentum cernitur. Qui sanguis uti in moderatè calentibus corporibus in car
nem: sic istis pinguibus & obæsis, quòd sint frigidiores, in adipem conuer
titur. Quamobrem nec si his corporis moles est amplior, idcirco est robu-
stior: nec si illis superioribus inest contractior, ideo protinus est infirmior.
Verùm uentricosis omnibus ac pinguibus minimum subest sanguinis, con
tracq; tenuibus ferè plurimum: nisi & ariditate iecoris corporisq; squalent, &
sanguinis idcirco penuria uenarumq; angustia marcent. Sanguinis itaq;
mittendi prima ratio à uiribus, ut modò docui, pendet. Vires deinde expen
duntur nec mole, nec gracilitate corporis: sed tum facultatum atque opera-
tionum omnium in cuncto corpore integritate, tum uenarum in toto homi-
ne plenitudine & conspicuitate. At ita, ut nec igni, nec exercitio, nec extern-
a ulla ui aut causa, sed iecoris naturali tantum temperatione ac salutari intu
mescant. Nam quibuscunq; plenitate quadam uenæ seu puri sanguinis, seu
C impuri inferciuntur, in ijs prima curandi ratio ab illius emissione inchoanda
est: deinde ad purgationes, pro impuritatis ratione modoq; descendendum
est: sed timidius in immundis, ac tutius audacius que in puris extrahi po-
test. Nam qui spurco, aut parum recto sanguine contaminantur, eo pauci-
re semel iterumque sanguine educto leuantur, quo est ipsorum natura fri-
gidior. Quare confidentissimè mero sanguine plenis uena tunditur, me-
ticulosius bilioso sanguine, & quam his timidius quoque melancholico,
omniumque parcissimè pituitoso differtis. Et quanto cum plenitudine
coniuncta legitimi sanguinis minus inest, tanto & parcius uena secta e-
ducere, & largius medicamento idoneo purgare decet. Adeò, ut si à
plenitate nihil metuatur, sanguinis nihil eripi debeat, sed puri dimittendi,
impuri solis purgationibus ab immundicie sint uindicandi.

Neq; enim sola hæc considerandasunt, sed etiam morbi.) Est hoc quod diximus, se-
cundo loco in omni uenæ sectione obseruandum esse. Nam morborū sanè

omnium, seu præsentiũ, seu imminentiũ, qui ex sanguinis ubertate, aut quauis illius eruptione atq; coaceruatione nasci cõsueuerunt, propria ac prima certaq; curatio sanguinis detractione perficitur: cuiusmodi sunt synochi febres omnes, omniumq; partiũ, sed maximè principũ phlegmonæ atq; inflãmationes, sanguinis uel sputa, uel uomitiones, uel per nares, per hæmorrhoidas, per menses nimiæ eruptiones, & cũ plenitudine cõnexæ febres omnes: tum capitis auriumq; pulsantes dolores, lethargi, uertigines, apoplexiæ graues, cordis palpitationes, calidæq; arthritides, podagræ, ischiades, & quæcunq; denique similis formæ inueniuntur ægritudines aliæ. Sed de tota hac materia, haud scio an quisquam hactenus Ioanne Fernelio Ambiano, uia rationeq; melius, dilucidius, aptius, doctiusq; conscripserit: quo ego libẽtius eius disciplinam amplector, & illi ingenuè laudem summam quam meretur tribuo. A

At si copia sua malè habet.) Diximus iam paulo suprà, ubicunq; cum plenitate seu legitimi, seu illegitimi sanguinis uitium lacesit, primã emendationis rationem à uenæ diductione petendam. Quanquam rursus plurimũ refert, ut plus minus'ue effluere sinas, quali sanguine plenitudo constet.

Vel corrupta.) Corruptio prauitasq; humerum si sine plenitudine premit, sola purgatione, atq; interdum epicrasi corrigitur. Est enim illa cacochymiæ malorum succorũ sola legitimaq; castigatio. Sin cum impuritate etiam plenitudo urget, iam à uenæ sectione primùm perpetuoq; est incipiendũ: tum quod reliquum est uitij expurgandum, sanguinis extractione, quæ antecedit, ita temperata, ut quo impurior in ipso, frigidiorq; humor exuperauerit, hoc parcius cautiusq;, donec plenitudo dũtaxat eximat̃, effluere permittat̃. B

Viscerum morbi.) Frigidos morbos iecoris, lienis, uẽtriculi, renũ, similiumq; partium, sanguinis missione nemo, nisi insanus, aut medicinę ignarus, temerè unquam extirpare tentauerit. Ne calidos quidem omnes, præterquàm à sanguine redundante fortasis profectos, aut nisi frigidi illi quoq; à sanguinis nimia retentione sint orti, aut cum plenitudine sanguinis consocientur, coniunganturq;. Iis siquidem uenæ sectio per initia subuenire potest. Quomodo si ex hæmorrhoidum aut menstruorũ constrictione hydrops, aut tremor forsitan sit ortus, illius statim initiò opem imploramus. Quanquam est etiam aliquando, ubi neq; sanguine, neq; calente humore, sed cacochymia sola dominãte, tum spirandi graui difficultate coacti, tum suffocationis metu urgente, uenam tundimus: non quòd id frigido morbo, aut frigidæ causæ debeatur præsidij: sed uel quòd in præcipiti tali periculo, humor necessariò atq; è uestigio eximendus, seu quia crasior lentiorq;, seu quia iecoris uię obstructę atq; impeditę sunt, discedere nequit. Vel etiam quòd pars affecta longius ab itineribus purgationum legitimis distet, & quòd amplas propinquasq; habeat, quibus cõmodè alioqui placideq; quod lædit, quodq; nimiũ est, eripiatur. Sic etenim frigido ex humore pleuritidi, aut algẽti asthmati, & modo non suffocanti opitulamur. Quare Celsum de eiusmodi omnino uiscerum uitijs loqui existimauerim: quẽ superius quoq; uiscerũ nomine thoracis pulmonisq; partes peculiariter intellexisse, uarijs in locis ostendimus. C

Neruorum resolutio.) Apoplexiam, nõ paralysin intelligito, ut aliàs suprà factum est sępe. quippe quæ omnem & sensum & motum sic corpori adimit, ut purgationibus, dũtaxat per os assumptis, locus nõ det̃: priusq; clysteribus uenæq; sectione & frictionibus uires propè emortuæ suscitatæ reuiuiscant.

Rigor.) τέτανον quem Græci uocant, Celsus rigorẽ semper nominat, cęteri distentionẽ dicere iam malũt, quum totũ nempe corpus ex æquo retrorsum antrorsum'que conuellitur. Qui si à plenitudine copiáque sanguinis ortum acçeperit, uti conuulsio similis omnis, principiò uena secta summum auxilium experitur. Est etenim morbus acutus, & qui plerunque intra dies quatuor hominem è uiuis abripiat. Nam conuulsiones cæteræ, si à pituita producantur,

A ducantur, atq; inducias dare, & concoctioni tempus concedere uideantur, rectius initiò rebus ægritudinem coquentibus, & tanquam maturantibus præparabuntur, deinde mox purgationibus tollentur.

Distentio.) Conuulsionem quæ antrorsum tantum, aut retrorsum hominem conuellit, intelligit. Priorem Græci ἐμπεδότονον, posteriorem ὀπισθότονον appellant. In quibus quæ de tetano rigoreq; modò tradidimus, similiter accipienda sunt.

Quicquid deniq; fauces.) Vndecunque quis propè stranguletur, seu calidus id humor, seu frigidus, in faucibus, in pulmone, in gutture fuerit: quicquid item uocẽ subitò adimit, quia ab ijs partibus quæ purgationi destinatæ sunt longius abest, & propè adest detrahẽdo sanguini uenis amplis & oportunis: ideo in præcipiti omni tali periculo præsentius à uenæ sectione statim, quàm ab alio ullo præsidij genere utilitatem consequi licet.

Quisquis intolerabilis dolor.) In ardentissimis febribus, in inflammationibus atrocibus, in sæuissimis doloribus omnibus, nihil præstabilius præsentiusq; esse sanguinis emissione, omnibus seculis compertum est: propterea quòd expeditissimè ardorem, cæterasq; uitæ pernicies uel eximat, uel minuat: nullo interim æstu grauiore, nulla agitatione magna uiribus illata: sed modò aluo sola, modò sudoribus, per quos uitium mitigetur, prouocatis: tum etiam
B fluxione, quem dolor excitat, reuocata.

Et quacunque de causa ruptum.) Fit interdum, ut & si copia ac plenitudine ulla corpus minimè oneratur, adde etiam ubi sanguinis necessarij penuria laborat, tamen sanguinem incisa uena detrahamus: dum à causis externis uiolentis, ut à contusione, ut ictu, ut lapsu, ut à dolore intolerabili ardoreq;, sanguis in aliquod membrum aut partem ullam copiosè erumpit, atq; incumbit: quod tum non præsentis quidem ægritudinis ui adducti facimus, sed uel inchoantis, uel appetentis inflammationis quodam metu coacti. Præterea si quid cruenti sputi, uel interioris cuiuspiam inflammationis significationem principium que exhibet, uenam protinus tundi præcipiendum est: nihil pensi habendo, multus an paucas, purus ne an impurus corpori sanguis insit, sed quod res ipsa minitatur solum spectando. Siquidem magnus omnis ac ferox, atq; imminens præsensq; necis metus, copiosam pro corpore subiecto, eamq; necessariã sanguinis detractionem flagitat. Sine qua nullo modo, aut non satis tutò uita seruari potest.

Item malus corporis habitus.) Græci cacochymiã nuncupant: quæ suo ipsa nomine sanguinis eductionem nunquam postulat, plenitudinis uerò coniunctæ causa nonnunquam permittit. Quamobrem illud, modò onere noceant, quod post pauca uerba adijcitur, nõ tantum ad morbos omnes acutos, sed etiam cacochymicos accommodari debet. Qui si quando multitudine
C non grauant, purgatione iam, non uenæ sectione opus habent.

Fieri tamen potest.) Prima ubiq;, quemadmodum suprà docui, uiriũ ratio habenda est: proxima deinde morbi. Vires si, quod omnino morbus requirit, fieri recusent, sunt ægrorum familiares periculi admonendi: ut ne, si quid accidat, insciti æ medici, aut ignauiæ id tribuatur, quod morbi atrocitati & uirium deiectioni sit asscribendum. Tales sunt in ualde debili corpore apoplexiæ, anginæ, febres ardentes, contusiones, ex alto lapsus. In quibus nec cucurbitæ, nec frictiones ligamentaq; per se plerunq; magnitudini periculi facere satis sunt solita, nec abstinentia sat citò subuenire. Verùm sola uenæ sectio præsens auxilium, sed in tali corpore anceps dubiumq;, quod ut sæpe fallere, ita nonnunquam adiuuare possit, suppeditare consueuit. Nam ubi firmæ uires sunt, quantum morbus expetit, detrahi potest: ubi mediocres, cautius ac reuerentius: ubi prostratę, uel nihil tentandum, uel cum grauis periculi professione crebrò pauxillumq; demendum est.

Cum autem sit minimè crudo sanguis.) In sanguinis detractione prudentissimè obseruan-

obseruandũ, ut ne ipsam temerè ordiamur: nisi primùm hesterno cibo pro- A
bè concocto, deinde nisi aluo et uesica exoneratis, prę sertim si quis amplio-
rem uenam sit diducturus. Nam ab exilibus minus languidiusq; sanguis, ut
tali obseruatione magnopere non sit opus, emanat. Adde huc etiam, præsta
re non modò cruditatem sublatam esse: sed & quoad fieri potest, noxiorum
humorum, qui in hypochondrijs primisq; uenis subsunt, colluuiem omnẽ.
Præterea conuenire, uti nec fecibus astricta sit aluus, nec os uentriculi tene-
ritudine sensus, aut imbecillitate sit præditum. Quę ut prorsus sectionẽ non
excludunt, nec prohibent: ita producunt atq; retardant tantum, & donec il
la uel soluta sint, uel sublata, differunt. Nam si uel copia ingesti cibi uenter e-
tiamnum turgeat, aut excrementis intestina astricta puteant, sanguine ere-
pto, uel crudos in uenas, uel putidos humores ac habitũ corporis, cum sum
mo detrimento ualetudinis, euocaueris. Quare concoctio expectanda est,
& ubi sponte sordes aluus non abijcit, balano, aut clystere, aut miti potiun-
cula è prunis, aut calsia elui prius debent, quàm uenæ manus admoueatur.
Sin uerò putor etiam, & corruptio ijsdem illis partibus inest, uel uomitum
ciere tepẽtis mulsæ, aut hydroelei potione præstabit, uel hiera picra, aut rha
barbaro, aut senna, aut agarico, aut re alia quapiam simili pro humoris gene
re, & caloris ratione, semel iterumq; submouebitur. At si sensus teneritudo
& oris uentriculi infirmitas, quæ lipothymian aut syncopen conciliet, for- B
midatur: aut si calet fortè nimiopere, succo mali punici, aut cotonei, aut me-
dici, aut citrei, aut limonum, aut oxyacanthæ, aut acerbæ uuæ, aut aceto, aut
horum syrupis præmunietur. Si uerò friget amplius æquo, diacydonium,
syrupus mentæ, uinum aromatite, odorataq; ac calida cætera, opem certam
sunt allatura. Sed est morbus interdum tam immanis ac importunus, ut nul-
lam moram patiatur, nullasq; det inducias: ut in pleuritide, aut angina iam
penè suffocante, in immoderati sanguinis fluore, in eiusdem subito sputo, uo
mituq;, in extrema uasorum plenitudine, in febre feruentissima, eaq; mali-
gna, in prolapsione, in contusione, in ictu graui. Imminentis enim periculi
metus in his maior est, quàm ut noxa atque tempestas non præparati cor-
poris protrahatur.

Ideoq; ei rei uidetur.) Venæ sectio ijs tantum uitijs opitulatur, quorum cau
sa uel in uasis continetur, uel ex ipsis in uiscus, aut partem aliquam procum-
bit. Quam protinus suppullulante morbo succidere, & tanquam in prima
herba enecare, optimum est: sic enim quicquid morbi futurum formidatur,
& quicquid iam genitum lacessit, statim perimitur. Sic febres nõnunquam,
priusquam suo ardore omnia incendant, extinguntur. Sic putredinem è ua-
sorum obstructione profectam, prius quàm latius grassetur: sic inflamma-
tiones subnascentes, quasi iugulamus. Initiò enim uires firmæ etiamnum, &
constantes sunt, nec alio pacto plenitudo præsentius exhauritur, nec fluxio C
citius intercipitur. Et natura etiamnum ualens ab onere subleuata, si quid
modò reliquum sit, facilius concoquit atque euincit. Quocirca est in talibus
miserijs uenæ sectio initiò acceleranda: dummodo nihil obstet, nec uentri-
culi, primarumq; uenarum ulla corruptela, nec cruditas quoque ulla. Et si
quando metu, inscitia, aut ignauia primis morbi diebus uena præcisa non
est, quocunque demum die secuturo, uel uigesimo, si plenitudinis atq; cru-
ditatis morbi indicia etiamnum permanent, uiresq; tolerant, ut seces lice-
bit. Quod autem post quartum diem Celsus hoc præsidij genere interdi-
cat, in præcipiti malo quidem, ut apoplexia, ut contusione, similibusq; obti-
nere plerunq; non nego: propterea quòd eo spacio per morbi acutiem, nisi
etiam occiderit, & uires frangi soleant, & de plenitudine corporis, ac crudi-
tate morbi multum demi. Quorum si nihil acciderit, quocunque tempore
secare permittitur. Vt hæc sint potius spectanda, quàm dierum numerus
obseruandus.

Expectan-

A *Expectanda ergo remissio.*) Vacuatio mitescenti, non iam excandescenti morbo adferenda est. Nam quum uires supra modum lacessat: parũ tutò potest, in tanta accessionum & tanquã undarum agitatione, & dum æstu incitato feruescũt humores, administrari. At in summa morbi tranquillitate minimũ naturę negociũ facessit, nec incandescẽtes humores intus in uenas pertrahit, sed è uasis maioribus multitudinem placidè secureq; foràs euocat. Maxima porrò trãquillitas est medio remissionis aut intermissionis tẽpore. Quòd si in longum spaciũ porrigit, facile sit tempus opportunũ designare: sin augustum, nõ facilè, ut pariter & cibũ tempore opportuno præbeas, & mali causam educas. Quare solerter, ecquãdo mitissimè æger habeat, obseruandum est. Tunc enim occasio, quę alioqui nimisquàm præceps, & fronte capillata est, arripienda est. Præsertim si ea matutino quoq; tẽpore se exhibeat, quod est tempus huic negocio accommodatissimũ, dum sanguis uiget ac dominatur, dum uires quiete noctis reparatæ sunt: modò ne corpus uel hesterna crapula grauetur, uel recenti è lecto langueat, sed concoctione feliciter obita, & uigilia horã unam alteramq; toti corpori inducta, quoad fieri potest, maximè uigeat, ualeatq;. Quanq; rursus subitis atq; urgẽtib. in malis, qualia suprà numerãdo quædam percensuimus, nec diem, nec horã, nec siderũ positus obseruare, quin quouis loco, quouis tẽpore uenã tundamus, decet.

B *Ferè etiam ista medicina.*) Quũ ex feruentis sanguinis copia, uel maxima inflammatio, uel dolor uehementissimus, uel ardentissima febris, ut suprà traditum est, secuta est, ipso protinus initio, antequam incandescens sanguis in principem aliquam partem irruat, non modò quantum illius exuperat, uerumetiam multo plus ad animi usq; defectionem, si uires alioqui suffecturæ sunt, ut ferè in plethoricis ualere solent, semel uniuersęq; extrahendum est. Verùm in leuioribus morbis, ijsq; similiter uniuersalibus, ut in plethora ac febribus continuis, & quorumcunq; materia in ipsis uasis coercita continetur, non ad lipothymiam quidem, sed quantum & superat, & uitiũ creat, aut affectus expetit, uiresq; permittant, semel quoq; atq; integrè eripiendũ est, priusquam uel latius putrescendo serpat, uel alia horrenda accidentia pariat. In his enim sectionem uel differre, uel partiri, cùm minus proficit, tũ ægritudinem in longius producit. Est tamen istud rursus, quàm uires protinus comminuere, præstabilius, ut horæ aut diei unius interstitio, quo uires reparentur, & meliusculè conseruentur, repetatur. At in partiũ singularum affectionibus, maximeq; phlegmonis, tametsi uires nihil labascant, tamen uacuationem partiri pręstabilius est, semperq; post modicã sanguinis emissionem ex interuallo iterum mittere, præcipuè dum sanguis posterior corruptior apparet. At ita, ut primò meticulosius, parciusq;, deinde iterum aut tertiò audacius ac copiosius educatur. Principiò enim si quis exoluitur, se-
C cundam detractionem non tolerauerit. At si uerò iam reuulsionis aut deriuationis gratia uenam tundimus in uitijs omnibus, quorum materia ueneno infecta nõ est, & è uasis in aliquã partem decubuit, utile fuerit die postero, aut etiã perendino id repetere, ut hac ipsa mora temporisq; intercapedine alius item emittendus, in sectionis locum commigret ac confluat.

Mitti uerò is debet, si totius corporis.) Totius corporis causa sanguinẽ mittimus in morbis uniuersalibus, hoc est, qui uniuersum corpus, non eius unã aliquã solum partem affligunt. Qualis sit, qui cum plenitudine omnium uasorum coniungitur, aut febris aliqua continua. Quoniam uerò in ipsa syncera plenitudine ac plethora plurimum illinc exhaurire par est, ubi fons est & omnium humorum scaturigo, precium operæ maximum fecerit, qui dextri cubiti uenam interiorem, quæ à caua plurimum, atque à iecore efficacissimè elicit, inciderit. Si uerò plenitudo humoris alicuius labe inquinata est, eiusq; bilioſi, interior quoq; cubiti dextri: sin uerò melãcholici uitio perfunditur, sinistri, lienis ita flagitante situ, findenda erit. At ubi ex crudorũ humo

rum colluuie ſubortum malum cognoſcitur, ex utrocunque cubito de- A
tractionē molitus fueris, nihil admodū deliqueris. Etſi dextro quoq; fuerit
hic nō modò cōſentaneū magis, & procliuius, ob fontis originisq;, nempe
iecoris poſitū, & ob eius lateris ferè maiorē firmitudinem. eademq; prorſus
lex & in febriū qualiūcunq; ſiue continuarū, ſiue intermittentiū curatione,
obſeruanda eſt. Exempli cauſa, quartanis aſsiduis & interpolatis, è melācho
lico ſucco genitis, læuo inciſo cubito ſubuenitur. Cæteris cubiti dextri inte-
riore ſecta uena ſuccurritur. Cęterùm ſi quę febres præcipuè in capite excan
deſcant, quod eius dolore temporumq; pulſatione graui intelligitur, in cu-
bito media commodiſsimè pertunditur: ſin pectus illię opprimunt, animūq;
quaſi intercludunt, interior felicius ſecatur. Verùm ſi lumbos grauitate
cruciatuq; fatigat, uel interior cubiti, uel inferior poplitis, aut malleoli didu
citur. Ambigit ſiquidem renū lumborūq; regio, ut inferne ſuperneq; iuxta
commoditatem ſuſcipiat. Corpore autē eo pacto uniuerſo exinanito, mox
in reliquiarum deriuationem incumbendum erit.

Si partis alicuius gratia ex ea ipſa parte, aut.) Fuit hac de re à uetuſtiſsimis uſq; tē-
poribus quæſtio, controuerſiaq; longa atq; difficilis inſtituta. At ita, ut opti-
mi quiq;, & medicinæ doctrina & uſu probatiſsimi, loco ſemper affectioni
magnæ, & etiamnū naſcenti proximo, atq; è directo, κατ' ἰξὺν uocat Hippo
crates, uenam ſecuerint. Rationi enim illi conſentaneum animaduerterunt, B
eam potiſsimum incidi uenam, quæ in afflictam partem inſerta, cum ea ſoci
etatem cognationemq; præcipuam haberet, quippe quæ per illam ipſam ab
affecta grauiter particula humorem promptiſsimè educeret. Intellexerunt
quoq; ingenti omni affectui, utpote cuius humor pernicioſus eſt, & fluxio-
nis impetus initiò præceps, & locus in quē corruit nobilis eximiiq; ſenſus,
ampliſsimā finitimoq; loco poſitam uenā eſſe aptiſsimā. quando per talem
plurimum non modò celerrimè, ſed etiam potentiſsimè detrahatur. Nam
ſi quando affectus mitior eſt, anguſtā uenam deligere, eamq; loco diſtanti-
ore ſuffecerit, ut hic minus ac tardius ignauiusq; proliciatur: contra certè
quàm amplæ uicinæq; uenæ faciunt, quæ ualidè copioſeq; profundunt. Nā
quamuis donec fluxio etiamnū in partem aliquam incurrit, reuellere quàm
deriuare melius ſit: quum illud incidentis humoris impetū cohibeat, inq;
contrarium retorqueat: hoc conquieſcentem humorem atq; impactū in ui-
cinum latus ducat: tamen ubi grauis ac uehemēs membri inflammatio aut
uiſceris laceſsit, è directo protinus uena ampla, maximeq; conſpicua loco
propinquo diſſecta, præſentiſsimè ualidiſsimeq; noxæ magnam uim retra-
hit, reuellitq; pariter & euacuat: nec reliquū ſanguinem perinde conturbat,
nec in doloris ſedem, quòd falſo crediderunt, fruſtraq; metuerunt quidā, ad-
modum impellit. Atq; ita quicquid acris inflammationis dextræ capitis, aut
colli, aut faucium parti accidit, id omne protinus uena dextri cubiti externa C
inciſa corrigit. Et quicquid ſiniſtræ parti, ſiniſtri cubiti ſimili uena ſecta ſub-
leuatur. At in dextro latere inter clauiculas reneſq; cōprehenſo ſimilibus ui
tijs, interior uena opitulat promptiſsimè. Media utriſq;. Subter renes uerò
in quacunq; parte ſimilis inhęreſcit affectio, ſecta poplitis è directo uena pa
ri cōpendio ſubuenitur. Regio autem renum anceps eſt, quod modò dixi,
mediaq; inter ſuperiora atq; inferiora collocata. Dixi porrò, è directo proxi
mā uenā, eamq; amplam in uehementibus atq; atrocibus cuiuſq; partis in-
flammationib. eligendā. Nam fluxionem omnē quæ lenta ſit, atq; diuturna,
tutius à remotiſsimis uſq; locis reuellimus: quemadmodum etiā futurā eo-
dem modo prohibemus, ut uetus ea influxio in tractum nouæ uiæ longio
rem conuerſa, ſenſim à priſtina uia, citra uirium ullam offenſionem molliter
reducatur. Ira enim podagram dextram arcemus, ſecta cubiti uena dextra,
ſiniſtramq; ſiniſtra. Comitialem uerò morbū, aut apoplexiā, aut uertiginē,
inciſa uena poplitis aut malleoli dextra,

Neq; ignoro

A Neq; ignoro quosdam.) Libro, Hippocrates, de ossiũ natura: Operam, inquit, dare oportet, ut quam longissimè à locis, ubi dolores fieri solent, ac sanguis colligi, uenam secemus. Sic enim minimè mutatio magna derepentè fiet: & consuetudinem transtuleris, ut ne amplius in eundem locũ colligatur. Quæ sententia tota paribus uerbis in fragmento libri de Natura humana repetita est. Et sunt nostra adhuc tempestate, fueruntq; barbaris maiorũ nostrorum temporibus, Arabum doctrina impulsi plurimi, qui sine discrimine, longissimè semota loca in principio semper quærerent, nec ea quidem sæpè è directo opposita: fortassis, quòd ipsorum illi magistri, Hippocratis illa sententia, quam modò protulimus, perperam intellecta, in errorem adducti, & hi illorum authoritate fuerint. Quum siquidem penitius propiusq; rem ipsam uerbaq; Hippocratis contemplemur atq; inspiciamus, facile sit intelligere, non de acri illa atq; uehementi impetu iam reuellẽdo, sed uel de tardo ignauoq; fluxu, uel de arcenda mala ualetudine impendente esse accipiẽda. Sed multum iam operæ in meliore hac sententia confirmanda ponere nõ libet, quũ sint hodie pauci reliqui, qui nitidiorem duntaxat medicinã & græcam salutaremq; uel primoribus labris degustauerint, qui non ambobus pedibus ultrò libenterq; in Celsi & rectiorem iam dictam sententiã concedant.

Auertitur interdum sanguis.) Sanguinis fluxũ reuellimus interdũ simul, & euacuamus, id quod paulo supra docui: interdũ reuellimus ac reuocamus tantum, ut dum sanguine ex utero nimiũ, aut hæmorrhoidib. profluente, in cubito aperta uena, cursum eius reducimus, sistimusq;. Et ubi is immoderatè defluit, alia cõtrariaq; parte emisso, fluxiõis iter reflectimus ac retardamus.

B *Mittere autem sanguinem.*) Multas rationes Celsus colligit, quamobrem imperito homini secare uenam sit difficile, & cur callenti facile. Quas quisquis attentè legerit, quæ sint, & qua de causa sint tales, facilè perspiciet.

Iuncta est enim uena arterijs.) Sub interiore uena, quæ & basilica, & regia, & iecoraria dicitur, ferè comes arteria delitescit: sub media, neruus. Atq; utriusq; musculorum tendones plerunq; substernuntur. Externa uerò, quę & cephalica & humeraria nominatur, licet difficilis inuentu, omnium tamen solet esse tutissima. Diligentissimè itaq; cauendum, ne scalpellum chirurgus in arteriam, aut tendonem, aut neruum adigat. Ex arteria nanq; sanguis ægerrimè compescitur, illiusq; magna ui effusa, uirium robur exoluitur. Punctũ neruum dolor acerbus, & stupor, & resolutio, & brachij conuulsio, cum tumore molesto consequitur. Dolor enim fluxionem humorum, & nerui, totiusq; instrumenti inflammationem accersit: & si ob uulnusculi angustiam ac paruitatem nihil exhalat, conuulsio quoq; sequitur. Vtraq; interitus, aut graue alioqui periculum comitatur.

Arteria incisa neq; coit, neq; sanescit.) Compũcti nerui curatio medicis ante Ga-
C lenum parum perspecta fuit. Quo fiebat, ut plurimi eius dolore cõsumerentur. Arteria uerò, quemadmodum & cæteræ partes primæ, simplicesq; appellatæ, & è seminali materia omnes genitæ, uti sunt uenæ, ligamenta, tendones, si totæ præsectæ sunt, callo quidem ac ueluti glutino quodam colligari possunt, & sanescere: uniri atq; penitus coire, ut in carne dissecta diuulsaq; fieri conspicimus, non possunt, nisi & leuiter uulnerẽtur, & in corpore molli fortassis, & penitus insito humore abundanti. Et cõglutinata, conferruminataq; alijs alia maius aneurysma postremò ducunt.

Colorem eius habitumq; oportet attendere.) Sanguis mundissimis peluiculis terreis, aut uitreis, aut stanneis, aut argenteis, non æneis excipiendus est. Et reponendus loco, quo nec uentus, nec fumus, nec puluis, nec sol afficiat. In refrigerato primùm substantia obseruabitur. Viscosus enim lentè fluit, & glutinis more digitis adhæret. crassus ocyssimè coit, multasq; fibras continet. Tenuis tardè concrescit ac coit, faciléque finditur. Putridus non finditur, uerùm simulatque attigeris, totus in partes minutissimas discer-

tur. Serum quod innatat, quo est copiosius, hoc potum liberaliorem, aut iecur infirmius, aut renes debiliores, aut obstructiones denotat. Spuma quæ innatat, si fluoris impetu facta non est, diutiusq; dûrat, incendium atq; feruorẽ eius humoris ostendit, cuius colorẽ præ se fert. Coeuntis sanguinis color per summa rubicundus utilis, est & frugi: flauus, bilis index: albus, pituitæ: uiridis, bilis retorridæ. Liuidus aut plumbeus, atræ bilis cũ pernicie testis est. mixti colores, humorũ sunt cõmixtorũ. Quòd aũt in fundo imaq; parte subsidet, pro colore rursus, quẽ obtinet, abundantẽ consimilem humorem declarat: sanguis ubi grauiter olet, pessimæ putredinis indiciũ est. Cui homini suus sanguis in os illapsus dulcis apparet, secundum naturam is est. Cui amarus, bili infectus: cui acidus, aut stypticus, astringensq;, melancholicus: cui insipidus, pituitosus est. Cui salsus, pituita salsa perfusus est.

Eaq; missio sanguinis adeò non prodest.) Sanguis integer, & qui rubet ac pellucet, tametsi nulla qualitate molestus est, nec uerò naturę superuacaneus, tamen copia nonnunq; ac multitudine onerare potest, & utiliter necessarioq; secta uena emitti. Vitiosus aũt atq; impurus, multo etiã utilius educitur, sed tantisper dum plenitudo sublata sit. Nam reliquum aptis medicamentis, ut sæpe iam meminimus, rectius expurgatur: fit autem interdũ, ut qui primus emanat, syncerus sit: qui è uestigio deinde sequitur, improbus. Quod si phlegmone atq; inflammatione ulla accidit, in bono esse solet, quippe quòd integræ atq; completæ uacuationis sit indiciũ. Si uerò sine phlegmone fit, corpus multa iam impuritate labefactum esse significat, quæ sit paulatim purgationibus eximenda, probaq; uictus ratione sensim corrigenda. At si qui primò effluxit, prauus fuerit, quiq; mox sequitur bonus ac rectus, cõsummatã iam tum uacuationem, ubi melior apparet, denotat. Cæterùm esse nonnunquam missionem ad animi usq; deliquium produci, nõ utile solũ, sed & necessariũ, suprà ostensum est. Quod ubi Celsus semper fugiendũ imperat, uel syncopen intelligit, quæ animi corporisq; sensus ac motiones omnes adimit, & in quam nemo unquã arte inducendus est: uel lipothymian grauẽ, iamq; occupantem existimat, quam ipsam quoq; semper, ne quid de insperato deterius pariat, deuitare præstat. Nam ad leuem usq; & iam inchoãtem tenuiter adducere, sæpe etiam maximè est præsidio. B

Deligandum brachium.) Sanguine quoad satis est emisso, uinculum quo uenæ tumor comparatus est, protinus exolui debet, & uulnusculum exiccari ne concrescente inter labia sanguine, uel nõ coeat atq; sanetur, uel suppuretur ut abscessum creet. Quare deterſum linteo obsignandũ est, uel rosacea, uel dulci aqua imbuto. Aut certè, si iterũ refundere constitutum est: deinde fasciis linteum deuinciatur, nec arctioribus, ne cutem uulneris q; labia cõtorqueant: nec laxioribus, ne nihil aut parum contineant.

Celerrimè cicatricula in uena confirmatur.) Sanatu difficilior arteria est quàm uena, quanto membranis constat durioribus ac densioribus. Ideoq; tum secta tum compuncta tanto arefacientibus magis eget medicamentis, quãto est ipsa temperamenti siccioris. Multo tamẽ rursus q; os aut cartilago mollior, magisq; carnosa est. ut sit eam ob rem de ipsius quàm horũ unitione et pristina salute minus desperandum, & minus quàm de uenæ absoluta confirmatione sperandum. C

De sanguinis detractione per cucurbitulas. Cap. XI.

CVcurbitularũ uerò duo genera sunt, æneũ & corneũ. Aenea, altera parte patet, altera clausa est. Cornea, altera parte æquè patẽs, altera foramen habet exiguũ. In æneã linamentũ ardens cõijcitur, ac sic os eius corpori aptatur, imprimiturq;, donec inhæreat. Cornea per se corpori imponitur, deinde ubi ea parte qua exiguũ foramẽ est, ore spiritus adductus est, superq; cera cauũ id claudum est, æquè

A est,æquè inhæresçit. Vtraq; nõ ex his tantum materiæ generibus, sed etiam ex quolibet alio rectè fit. Ac si cætera defecerunt, calículus quoq; pultarius oris cõpressioris, ei rei cõmodè aptatur. Vbi inhæsit, si cõcisa ante scalpello cutis est, sanguinem extrahit: si integra est, spiritum. Ergo ubi materia quæ intus est lædit, illo modo, ubi inflatio, hoc imponi solet. Vsus autem cucurbitulæ præcipuus est, ubi nõ in toto corpore, sed in parte aliqua uitium est, quam exhauriri ad confirmandam ualetudinem satis est. Idq; ipsum testimonium est, etiam scalpello sanguinem, ubi mẽbro succurritur, ab ea potissimum parte, quæ iam læsa est, esse mittendũ: quòd nemo cucurbitulam diuersæ parti imponit, nisi cum profusionem sanguinis eò auertit: sed ei ipsi quæ dolet, quæq; liberanda est. Opus etiã esse cucurbitula potest in morbis longis, quãuis & ijs iam spacium aliquod accesserit, siue corrupta materia, siue spiritu male habente. In acutis quoq; quibusdã, si & leuari corpus debet, & ex uena sanguinem mitti uires non patiũtur. Idq; auxilium ut minus ue
B hemens, ita magis tutum. Neq; unquam periculosum est, etiamsi in medio febris impetu, etiam si in cruditate adhibetur. Ideoq; ubi sanguinem mitti opus est, si incisa uena, præceps periculum est: aut si in parte corporis etiam uitium est, huc potius confugiendũ est. Cum eo tamen, ut sciamus, hic ut nullum periculum, ita leuius præsidium esse, nec posse uehementi malo, nisi æquè uehemens auxilium succurrere.

NARRATIÕ.

Cucurbitularum.) Cucurbitas, & cucurbitulas à forma Latinè appellamus: quas uulgus uentosas, quòd spiritibus ac uentis è corpore proliciendis sint accõmodatæ, nominare solet. Ex quo illud Satyrici fluxit: Iamdudũ caput hoc uentosa cucurbita quærit. Earum omnis ratio actioq; ex uacui in rerum natura odio fugaq; proficiscitur. Aere enim ac uento ipsarum intus uel igni cõsumpto, uel ore exucto, ui magna ac necessaria, qua parte cuti applicant, scarificatæ quidem sanguinem, integræ uerò spiritus flatusq; uehementer citoq; proximos quosq; primùm, tum & remotiores euocant atq; eripiunt. Earum autem genera maximè duo sunt, à materia desumpta. Aenea uitreaue igni cõprehendendo apta, eoq; parte altera tantum, qua corpus at-
C tingũt, perforata. Altera cornea, eadẽ illa parte æquè ac superiore patentia, summa uerò tenui foramine, quo exugunt, protinusq; obturantur, pertusa. Quanquã hæc quoq; è priorũ materia, & omnia ex alia q; quę dicta sit, fieri nihil uetat: stanno, argento, ligno, calículo pultario, aut quouis oris cõpressi uasculo. sed sunt è uitro facile omniũ & leuissima & tutissima: quippe quę si fixius adhæserint, abrũpere non sit difficile, ubi cętera nisi maiore molimine perfusa detrahi nequeant. Et est in omnibus uis eadem & effectio, natura inanitatis quadam formidine proxima quæq;, maximeq; sequacia, quibus saturetur, inaniaq; pellat, extrahente.

Vbi inhæsit, si concisa ante.) Cute integra cucurbitæ nonnunquam corpori adaptantur, idq; multis de causis. Primũ, ut diuertant, aut restringant fluxionem quampiam, utpote quæ retrahere ac deriuare, q; uacuare magis nouerint: ut quum uberibus apprimuntur, in nimio menstruorũ pro fluuio: hypochondrijs, in sanguinis nariũ reiectiõe: deinde, ut humor aut flatus intus

abditus collectusq; foras exugat, uti in apostemate duro & intus latēte fieri A
cernit, sed corpore toto antè præpurgato. Quod generatim in omnib. topicis remediis, quæ certę alicui particulæ ita adhibent, ut à cæteris perinde nihil eliciāt, perpetuò obseruandum est. Tertiò, ut pars aliqua in locū genuinū unde excidit, reducat, uti dum uentri applicant, ut intestina euoluta recipiātur. Quartò, ut uenti flatusq; euocentur: sicut fit in colico dolore, sed eo qui uel è materia uentosa, uel phlegmatica tenuiq; excitatur. mirū enim, quam præsens tum auxilium umbilico impositæ conferant. Postremò, ut dolor quispiā immanis debilitet. Atq; hoc nomine in colica pernicioſa adhibētur, siue ea ex absceſſu, siue humore, siue spiritu sit nata. Cū scarificatu uerò cucurbitulas applicare licet, quū è propinquo uacuare leuiter ac blandè placitum est: quo item nomine & hirudinibus uti cautum fuerit, uel ut ab uno membro potius quàm alio quid euocetur: uel sicubi uirtus, aut ætas, aut corporis teneritudo uenæ sectionem non esset toleratura. Hic enim tum minore ui, tum præsidio quoq;, cucurbita è minutis uenulis aliquid duntaxat exugit, nulla uirium, nullaq; caloris natiui iactura. Quod in pueris, in grauidis, in senibus, in morbo longinquo fractis, aut acuto prostratis, quando alio præsidio uti non licet, periclitari consueuimus: uel denique, ut sanguinem educamus è uasis exiguis, aut extra etiam uenas elapsum. Et affigitur cucurbitula ferè partibus, ignobilib. q̄ ferat opē nobilioribus: ut talo, quo mēbra B
cipua leuationem sentiant. Atq; ita cum primis ad hæmorrhoidas aut menstrua prouocanda si poplitibus ac cruribus applicet: idq; sæpè utilius, quàm si uena malleoli tunderetur. Renibus adpressa, infernis benè facit partibus: natibus admota lateribus ac lumbis, ipsiq; etiam thoraci subuenit. Mento applicata, maxillarum & faciei morbis sanitatem promittit. At inter utrasq; scoptulas opertas in ipso dorso apposita, pectus quidem nonnihil purgando recreat, sed uentriculi orificio nocet, & tremorem ac palpitationem cordis conciliat: nisi is tremor ab repletione, quam deplet, eueniat. Exaduerso autem spinæ inter collum & utrasq; scoptulas succurrit faciei morbis, ut impetigini, & oris grauedini. Verùm regione media inter ceruicē caputq; adfixa, opitulatur noxis cùm integri capitis, tum eius quoq; partium, dentium, aurium, oculorum. Modò hic etiā assuefactio uitetur, quæ periculum non uulgare gigneret. Paucis, cuiq; membro cum scarificatione cutis affixa, sanguinem eius exugit, & quicquid ad sequendum sit promptissimum. Citra eandē, eius uentos humoresq; tenuissimos. Sed hæc pauca quæ diximus, tum ad Celsi intelligentiā, tum ad rerū breuem explicationem sufficerint.

De deiectione. Cap. XII.

DEiectionem autem antiqui uariis medicamētis, crebraq; alui C
ductione in omnibus ferè morbis moliebant: dabantq; aut nigrū ueratrū, aut filiculā, aut squamā æris, quā λεπιδα χαλκὸυ Græci uocant: aut lactucę marinæ lac, cuius gutta pani adiecta, abundè purgat: aut lac uel asininū uel bubulum, uel caprinū, eiq; salis paulum adiiciebant, decoquebantq; id: & sublatis his quæ coierant, quod quasi serum supererat, bibere cogebant. Sed medicamenta stomachum ferè lædunt. Ideoq; omnibus catharticis aloe miscenda est. Aluus si uehementius fluit, aut sæpius ducitur, hominem infirmat. Ergo nunquam in aduersa ualetudine medicamentum eius rei causa rectè datur, nisi ubi is morbus sine febre est. Vt cum ueratrum nigrum, aut atra bile uexatis, aut cum tristitia insanientibus, aut iis quorū nerui parte aliqua resoluti sunt, datur. At

ubi

A ubi febres sunt, satius est eius rei causa cibos potionesq; assumere, qui simul & alant, & uentrem molliãt. Suntq; ualetudinis genera, quibus ex lacte purgatio conuenit. Plerunque uerò aluus potionibus ducenda est: quod ab Asclepiade quoque sic temperatum, ut tamen seruatum sit, uideo plerunque seculo nostro præteriri. Est autem ea moderatio, quam is secutus uidetur, aptissima, ut neque sæpe ea medicina tentetur: & tamen semel sumptum, uel bis, non omittatur. Si caput graue est, si oculi caligant, si morbus maioris intestini est (quod Græci κῶλον nominant) si in imo uentre, aut in coxa dolores sunt, si in stomachum quædam biliosa concurrũt, uel etiam pituita eò se, humor' ue aliquis aquæ similis cõfert, si spiritus difficilius reddit, si nihil per se uenter excernit, utique si iuxtà quoque stercus est, & intus remanet, aut si stercoris odorem nihil deijciens æger ex spiritu suo sentit, aut si corruptum est quod excernitur, aut si prima inedia febrem non sustulit, aut si sanguinem mitti
B (cum opus sit) uires non patiuntur, tempus ue eius rei præterijt, aut si multum ante morbum aliquis potauit, aut si is qui sæpe uel sponte, uel casu purgatus est, subitò habet aluum suppressam. Seruanda uerò illa sunt, ne ante diem tertium ducatur, ne ulla crudita te substante, ne in corpore infirmo, diúque in aduersa ualetudine exhausto: néue in eo, cui satis aluus reddit quotidie, quí ue eam liquidam habet, ne in ipso accessionis impetu: quia quod tum infusum est, aluo continetur, regestumq; in caput, multo grauius periculum efficit. Pridie uerò abstinere debet æger, ut aptus tali curationi sit. Eodemq; die, ante aliquot horas aquam calidam bibere, ut superiores eius partes madescant. tum deijcienda aluus est, si leui medicina contenti sumus, pura aqua: si paulo ualentiori, mulsa: si leni, ex aqua in qua fœnũ græcũ, uel ptisana, uel malua decocta sit. Si reprimẽdi causa, ex uerbenis. Acris aũt est marina aqua, uel alia sale adiecto: atq; utraque decocta commodior est. Acrior fit adiecto uel oleo, uel nitro, uel melle quoq;. Si acrior est, eo plus extrahit, sed minus facile sustinetur. Id quod infunditur, neq; frigidum
C esse oportet, neq; calidum, ne alterutro modo lædat. Cum infusum est, quantum fieri potest, cõtinere se in lectulo debet æger, nec primæ cupiditati deiectionis protinus cedere. Vbi necesse est, tũ demum desidere. Fereq; eo modo dempta materia superioribus partibus leuatis, morbũ ipsum mollit. Cum uerò quoties res coegit, desidendo aliquis se exhausit, paulisper debet cõquiescere, & ne uires deficiant, utiq; eo die cibum assumere: qui plenior, an exiguus sit dandus, ex ratione eius accessionis quæ expectabitur, aut in metu non erit, æstimari oportebit.

ENARRATIO.

Deiectionem autem antiqui.) Fuerunt olim primi illi medici, ac uetustissimi, cùm in mittendo sanguine timidiores, & nobis tamen multo etiam fortiores, tum in aluo deijcienda & corporis purgationib. plus satis audaces. nam plerisq;

pleriſq; quum maximè eſſet opus, uel ætatis, uel uteri reuerentia, ſecare pror A
ſus uenam non audebãt. Et ſi quando in aliis id facerent, multitudinẽ, quàm noſtri, minus pertimeſcebãt: libras totidem, quot nos uix uncias, plerunq; detrahere nihil dubitantes. Deiectionem uerò in omnibus propè morbis, à nudis medicamentis, iisq; & uehementibus, & naturæ hoſtilibus, frequenter petebant. Vbi noſtri multo mitioribus, multaq; arte ac mixtione fractis, non niſi formidoloſe utuntur. Sed eſt ſanè magna in utriſq; prudentia opus: uti nec temerè ſanguinem uitæ theſaurum eripiamus, nec uires medicamentis naturæ humanæ inimicis temerè præcipitemus. Sicut nec è diuerſo nimis exhorreſcere oportet, quoties ægrotationis uitiiq; ratio alterutrũ poſcere uideatur. Sanguinis enim eductionẽ, plenitudo, quod diximus, poſtulat. Malus corporis habitus & cacochymia deiectionem, expurgationemq; requirit. At ita, ut rationi & morbi ingenio utrunq; accommodetur, ne uel parcius, uel plenius alterutro abutamur: & ut cuique humoris generi ſuum medicamentũ, quo extrahatur, attribuamus. Eſt etenim aliud quo bilem flauam, aliud quo nigram, aliud quo pituitam, & aliud denique quo ſeroſam aqueamq; materiã expellamus. Etſi ſunt quædam, ut paulo infrà docebimus, quæ ambigunt, quædam quæ pluribus exturbandis ſunt accõmodata. De quibus plenè cõmentari, non noſtri eſt propoſiti.

Nigrum ueratrum.) Vtramq; bilem nulla cum difficultate expurgat pondo B
drachmæ unius, aut paulo maiori. Meſuæ uacuat præter hæc etiam pituitã à ſiliquis ſex ad tertiam partem drachmæ unius, aut ſi libet, ad drachmam uſq; unam. Qui modus ſanè Actuario conſentit. Licet magnum interuallum ſit in hoc ſimplici, à ſcriptulo uno, ad drachmam unã. Corrigitur autem eius, ſi quam habet, & uiolentia, & pernicies, ſeminibus adiectis odoratis, pipere, dauco, petroſelino, aniſo, origano. Et datur ex paſſo, aut aceto mulſo. Diuturnis morbis ex interuallo recurrentibus eſt opportunũ, quemadmodum & furioſis, & hemicranicis, & ſideratis atq; attonitis, & longo capitis dolore afflictis. Maximeq; idoneum eſt uiſceribus, & utero, & ueſicæ, ſi quo purgatorio medicamento indigere uideantur. Regio item morbo, & cutis aſperitati, & elephantiaſi illuſtri ope ſubuenit.

Filiculam.) Polypodium, à radicum, & tanquam polyporum cirris Græci, quemadmodũ Latini ab exilis filicis ſpecie filiculam appellauerunt. Bilem maximè nigram, & pituitam mediocriter ac citra moleſtiã euerrit: idq; cum gallina, aut piſcibus, aut ptiſanæ cremore, aut beta, aut malua decoctum. Præbet Meſue à drachmis duabus, ad drachmas uſq; ſex. Actuario atque Aetio ad drachmas tantũ duas ex aqua mulſa placet. Plericq; eius uim odoratis corrigũt, ut zingibere, ſemine aniſi, garyophyllis, cinamomo. Alij ſuper ſalſamenta deradunt, comeduntq; ante prandium.

Squama æris.) Aquam ſerumq; ſanguinis, ac pituitam è corpore effundit. C
Datur eius drachma una & dimidiata, cum aqua mulſa.

Lactucæ marinæ.) πθυμάλθ, & neutro genere πθυμάλου græcè, latineq; lactaria herba, & lactuca caprina, aut marina dicitur. Officinis etiam eſula appellatur. Eius genera ſeptem memorat Dioſcorides. Omniaq; uim quandam habent acrem calidamq; in quarto ordine, cum quadam amaritate, & ualenter deſiccantem. Validiſſimus in omnibus liquor eſt: ſecundum locum tenent ſemina ac folia: nec eſt inualida radix. Quem Characiam uocant, is facilè omnium eſt efficaciſſimus: itemq; Myrſinites, & qui in petris arboreſcit. Poſt hæc, qui uerbaſco adſimilis eſt, & Cypariſſius, tũ Partalius, poſtremò Helioſcopius. Pituitã ac bilem ducunt. Leniter, citraq; moleſtiã purgat ſuccus eius, qui circa aquas in humidis locis ac ſyluis naſcitur, exceptus ſale ac pane arido, tritoq; ad nucis auellanæ magnitudinem cum aqua frigida. Aut eius guttulæ aliquot cum carycis, aut cũ polenta exhibitæ. Sed quando nimium exulcerare linguam fauces q; cõſueuit, & uentrem magno

calore

A calore infestare, nec ipsius, nec cucumeris agrestis magnus nostris hisce temporibus est usus, meliorib. minusq; noxijs medicamẽtis plurimis repertis: ut iam longa oratione usum eius ostendere, non sit necessarium.

Lac uel asininum.) Lac omne è triplici substãtia cõstat, serosa, butyracea & caseacea. Asininiũ tenuissimũ est, plurimũq; seri obtinet. Bubulũ crassissimũ, ac plurimum casei butyriq; in se habet. Caprinum in his medium est, & è pecudibus omnium saluberrimum: præsertim etiam è capris nigris, & bono pabulo nutritis, ac recens fœtis desumptum. De seri autem conficiendi ratione & temperie, parum inter summos medicos conuenit: calidum ac siccum alijs asseuerãtibus, frigidum ac humidum è diuerso alijs. Verùm quũ ipsum simplex quoq; non sit, sed quiddam aqueũ, quiddamq; nitrosum contineat, aqueæ partis nomine frigidum humidumq; dici potest, nitrosæ gratia caloris particeps & arditatis. Cuius ui aperit, tergit, purgat, clementer & sine morsu cùm bilem flauam, tum ustos humores. Quamobrem maniæ, melancholiæ, pruritui, lepræ, ulceribus malignis, & omnibus denicq; cutis uitijs opem suppeditat. Adde etiã, omnibus obstructiones sequentibus: hydropi, ictero, febribus à bile putridis, lienis tumori, & id genus omnibus alijs. Ipsoq; eodem ferè macerant reliqua medicamenta, atq; eorũ ui recepta potentius redditur, per se alioqui imbecillum. Fit autem è lacte ebutyrato, ut
B uocant, seu cui pingue innatans ademptum est, si quando lubricitatis causam ex partibus excretorijs auferre propositum est. Ex lacte uerò non ebutyrato, quum partes modò dictas lenire potius atque lubricare usus est. Inijciendum est ipsi mellis optimi aut sacchari quantum satis sit ad condiendum tantum, quo minus stomachus euertatur. Et salis pauxillum, ne gustus offendatur. præsertim illi, quod primo loco assumitur. Nam quod postea superbibit, nihil uetat insulsum accipi. Pleriq; sic præparãt. In ollã lac infundunt, ac concitato igni assiduè æqualiterq; mouendo, dum efferbeat, coquunt, tum & à motatione desistitur, & cum olla in uas frigidum feruori compescendo imponitur. Mox igni redditur, ac rursum ebulienti aceto mulso, si pituitam deijcere libet: aut aqua mulsa, si bilem expurgare placitum est, semel iterumq; irroratur, quò à crassa substantia serum diuellatur. Sunt qui cnici semine contuso coagulent, atque ita excolato salem aut aquam marinam adijciant: ita enim efficaciter expurgat, & iucundè bibitur. Verùm sale opus non est, quum eluere tantum intestina constitutum est, aut ubi acribus mordacibusq; humoribus corpus intus infestatur. Quali & in senibus, & pueris, & mollibus corporibus uti conuenit. Altero namque in corporibus uitijsq; fortioribus plus præsidij percipitur.

Ideoq; omnibus catharticis.) Medicamenta purgantia omnia, quæ duntaxat
* fortiora sunt, esse corpori humano infesta, constat. Quare si quando ijs uti
C cogimur, cogimur autem non rarò, & cautè & probè emendata porrigẽda sunt. Aloen uerò nec uehementem esse, nec corpus totum perpurgare, sed uentrem euerrere tantum, ac stercora deijcere, ideoq; catoreticam seu ecboticam dici, primo libro traditum est. Molliter enim placideq; purgamenta emundat, nec uim ullam, nec læsionem infert. Quo nomine & capitis doloribus ab euaporatione natis, & oculorum lippitudini, ac suffusioni subuenire consueuit: maximè si uel hæc incommoda, uel similia à bile proficiscantur. Datur obolis minimũ ternis, & summũ drachmis ternis cũ aqua mulsa, uel terebinthina, uel melle cocto. Etsi hodie eius usus summus est in sacris compositionib. quas idcirco hieras ἱερὰς, & ab amaritudine πικρὰς Græci nominauerũt: quæ quum stomacho, quàm sola aloe, sint multo apriores, tum bili, atq; ipsi quoq; pituitæ euerrendæ sunt magis idoneæ.

Aluus si uehementius fluit.) Sudor, urina, deiectio, sanguis, denicq; quicquid corpori immoderatè effluit, uires infirmat: spiritibus nimirum plurimis, in quibus illæ continentur, pariter effusis.

Nisi ubi is morbus sine febri.) Quicunq; (inquit Hippocrates libello de Medi- A
camentis purgantibus) à febribus fortibus detinentur, ijs medicamẽta pur
gantia dare non oportet, donec remiserit febris. Sin minus, saltem non intra
quatuordecim dies. Propterea quòd ante morbi concoctionem & maiore
calore corpus imbuũt, & uires conuellunt, & nihil depurgant, atq; occidũt
quoque sæpenumero. Verùm si cui, inquit, deiectione procurata opus erit,
infusum per clysterem adhibere cautum erit, quotiescunque etiam libebit:
hoc enim minoris periculi est. Iuxtaq; eandem rationem æstate media sub
canis exortum, per dies quinquaginta medicamenta uitare, nec præbere
conuenit, sed per clysterem infusis uti decet. Par enim alioqui periculũ im-
minet. Quæ sanè senis illius, ac diuini uetustissimiq; medici ac Philosophi
uerba, diligenter etiam atq; etiam obseruari desiderem, tum à medicis ple-
risq;, qui summa nonnunquam temeritate tanquam iacta alea, uim omnem
sanationis ac medicinæ artis in fortissimis medicamentis consumunt: tum
uulgo præcipuè, dum clysterũ tanto odio atq; horrore afficit, ut nihil his pe-
riculosius, nihil corpori ac naturæ infestius, nihil desperatis in rebus tritius
existimet. Conclamatum siquidem ac desperatum eum omnino hominem
autumant, in quo clysteris auxilium implorari exaudiunt. Quum sit contrà
omnibus sæculis nihil inuentũ mitius, nihil benignius, nihil utilius, si aluus
parum suo officio respondet, quàm clyster sapienter accommodatus. Atq; B
idcirco plurimorum sæpe saluti consuleretur, si medicamentis medici reue-
rentius prudentiusq; uterentur, & clysteres tantopere mortales non exhor-
rescerent. Sunt illa etenim seu dura, seu mitia, nec passim, nec omnibus, nec
nullis quoq; apta. Et sunt hi, quoties uenter astrictior est, minus periculosi,
atque adeo etiam sæpenumero necessarij, si arte rationeq; tractentur. Sed
sunt hi errores hominum à malis medicis & auaris primum orti: qui in me-
dicamentis plus quæstus, minusq; operæ subesse animaduertunt, ut ijs rarò
nisi extremis malis prementibus uterentur. In quibus quum imperiti plurí-
mos interire, paucissimosq; seruari cernerent, protinus quod uitij uiolentia
fieret, id clysteris improbitati imputare cœperũt. Adde etiam, putari obscœ
nius istos infundi, quàm potionem imbibi. Vt pudor interitusq; plurimo-
rum, rem saluberrimam postremò odiosissimam reddiderit, quæ & utilitate
crebra charissima esse, et à pudore inutili, dum salus necessitasq;, quàm alia-
rum rerũ potior suaderet, liberari debebat. Sic in urinarũ contemplatione,
sic in ægritudinũ maturitate expectanda, insanire, non delyrare, aut errare
tantum cœptum est. Sed his iam omissis, ad Celsum redeo.

Suntq; ualetudinis genera.) De ueratri nigri usu & uirtute, deq; seri facultate,
satis dictum est.

Si caput graue est.) Non quoties hæc uitia, quæ Celsus enumerat, apparent,
tum temerè protinus ad purgationẽ confugiendum est: sed principiò cau- C
sa uitij dispicienda est. Nam si à sanguine, aut plenitudine sit natũ, nihil prí-
us sanguinis missione putandum est. Si à prauis humoribus & cacochymia
proficiscitur, purgatione nihil esse præstabilius existimari debet. Si à flati-
bus ac uaporibus oritur, moderatè illos dissipantibus utendum est. Rur-
susq; si cacochymia grauis est, cuius' nã sit illa humoris, simplicis'ne, an mul
tiplicis, expendendũ. Nam (quod posteritati mandauit Hippocrates, eo li-
bello quem de Purgantibus medicamentis inscriptũ reliquit) bilioſis quod
bilem ducat, dare conuenit: pituitosis, quod pituitã: hydropicis, quod aquã:
atrabilarijs, quod bilem atram expellat. Nam secus si feceris, quæ oportuit
non expurgaueris, quæq; non opus fuit euacuaueris, duplicíq; ita nomine
læseris. Quare si caput graue est, si caligant oculi, si maioris intestini mor-
bus est, paucis si quid usquam noxæ exoritur, causa cumprimis, & ægritudi
nis locus, modus, tempus, ægri uerò corpus, ætas, temperatio, assuefactio,
aeriscq; ratio cõsideretur. Atq; his omnibus cognitis, collatisq;, quid, quale,
quantum

A quantum, quo pacto competat, animaduertatur. Sic enim errabitur minimum, & uia rationeq; recurabitur quisq; fidelissimè.

Aut si sanguinem.) Venæ sectio omnium quibus aliquid corpori adimitur, maximè uires præcipitat, calore ingenito exempto, & spiritibus cum illo eductis. At alui per medicamenta deiectio debilitat ipsa quoque, sed multo atque superior, minus. Et hac item minus clyster. Et clystere minus cucurbita. Verùm quum summis malis summa sint adhibenda remedia, quoad fieri poterit, ex uitij genere, & uirium ratione, sic ista moderanda erunt, ut si optimis optatissimisq; uti non detur, minimè certè lædentibus, proximeq; auxiliantibus contendamus. Quocirca si uires, ætas, cœlum, poscente morbo, uenam tundi non permittant, purgatione corpus subleuare tentabimus. Si ne hoc quidem satis tutum uidebitur, clysteres non pœnitendum præsidium conferent. At si ne hi quidem ferri, aut non admitti poterũt, cucurbitæ nulla ui magna nonnihil opis præstare consueuerunt. Quamuis hæ sectionis uenę uicem subeunt propius, sicut purgationis clysteres.

Ne ante diem tertium.) Nec dies tertius semper expectandus est, nec post tertiũ felix occasio prætermittenda est. Nam turgẽte materia, etiam primo, quoque die quaquà natura repit, materia subducenda est. Inq; cæteris concoctionem expectare, rectius est. Quamobrem cruda donec fuerit uel pituita, uel
B melancholia, atq; ante concoctionẽ uiolenter nullo unquam medicamento irritari debet. Bilis si turget, furibunda q; corpus pererrat, ut facit id rarò, & quum tenuis est ac mobilis, ptotinus expurgetur. Sin ea quoq; aliquam corporis partem obsederit, quod ferè fit, quietaq; illic incandescat, ac partẽ locumq; suum adurat, eoq; calefacientia medicamenta, cuiusmodi sunt omnia purgatoria, respuat, ante bilis expurgationem exhibenda erunt, quæ eius calorem & inflammationem prius restinguant, atq; concoquant, hoc est, alterẽt atq; refrigerẽt. Quæ tantisper ieiunis, ut in cæteris crudis humoribus, diluculo præbenda erunt, donec in urinis decens apparebit concoctio. Ea eñ ratione bilis cocta, & ueluti subacta atq; edomita, naturæq; obsequens reddita, absq; ullo negocio, adiuuãte natura, trahẽteq; pharmaco, qua uia decebit educẽt. Non est igitur tertius dies magnopere expectãdus: sed turgeat ne materia, quæ extemplò eximenda est, an cruda fixaq; subsistat, spectandum: quæ tum demum, ubi concocta in urina cõspicietur, medicamẽto purgante idoneoq; erit eripienda. Quoniam per initia alioqui morborum, perinde ac quouis item tempore, purgari illi soli humores possunt, qui uentriculi spacium atq; amplitudinem, aut intestina, aut uenas primas occupãt: ni si si rursus uehementius etiam hi ipsi sint impacti, ut ferè nostratium regionum fit hominib. uoracissimis, idq; leui blandoq; medicamẽto, ut est cassia nigra, hiera picra, & si quæ sunt alia eiusmodi. Non enim sic comitabunt uer
C tigines, non tormina, non lipothymiæ, non horroris plena cętera, quæ summopere medici fugere debent, atq; aliàs sequũtur, accidentia. Post hæc concoctio erit arte adiutanda: mox sub uigoris finem & declinationẽ desinentiamq; morbi, quicquid erit reliquum, si quid natura medici opera egere ad rem incœptam perficiendam uidebitur, expurgare penitus cõtendendum erit. At si crassos humores, aut uiscidos, ut pituitam, aut melancholiam, propositum sit, tutius id fiet, paulatim ac sæpe aliquid demendo, quàm affatim ac semel omnia frustra extrahendo. Idq; per interualla ijs ipsis attenuatis, incisis atq; detersis, primùm rebus mitioribus, mox etiam paulò fensim fortioribus. Plurimum siquidem, ac repentè uacuare aut replere, malũ esse, scribit Hippocrates. Idemq; purgandi tempora statuit duo, morborum ortum & occasum. Id quod nos iã quemadmodum faciendum sit, atq; intelligendũ, satis explicauimus.

Ne ulla cruditate subsistante.) Stomacho ieiuno ac uacuo ab omni cibo, medicina exhibenda est, maximè uehemens, & uitio radicitus extirpando accommodata,

modata. Mitia enim quædam sunt, quæ uel inter epulas, uel paulo antè, uel A
pòst, uentriculo atq; intestinis releuādis ab uetustissimis usq; seculis, & nō-
nulla neotericis comperta atq; nuperata sunt. Vt hiera illa picra, polypodi-
um, manna, cassiæ atramentum, capapotia ante cœnam ab ipso usu nuncu-
pata, & elephangina siue aromatica, & assaieret quæ uocantur. Quanquam
hæc omnia, quod efficere sunt apta, generosius præstant ieiuno cibisq; libe-
ro uentriculo. Nam in grauitate rerum assumptarum, onerato, quod fieri de
bebat, præstare uerius uidentur, quàm efficiant.

Ne in corpore infirmo.) Debilibus & longa ualetudine exhaustis, si quid
aliquando deijciendum est, quod naturæ sponte non proueniat, uel cibis
uel rebus ad hoc clementissimis adaptatis, uel clysteribus potius idoneis,
non ullo autem uiolento pharmaco id procurādum erit. Idem de obœsulis,
de sanguine plenis, de facile uomentibus, animoq; deficientibus, de pueris,
senibus, mulieribus, & de corpore puro præditis intelligendū est: nisi quòd
hi postremi nunquam, cæteri rarò & clementius, quum suadet utilitas, pur-
gandi sunt.

Neue in eo cui satis aluus.) In satis propitia aluo, liquidaq;, nihil, eius dūtaxat ci
endi gratia, tentare oportet. Paulùm tamen aliquid interdum, quod uitia
per se non secedenti sit accommodatum, dare licebit, uiriū fluxionisq; cau-
ta ratione habita. B

Ne in accessionis impetu.) Naturæ summam quietem permittere in tota ac-
cessionis afflictione decet. Vomitum tantum appetente aut assiliente impe
tu, prouocare in ijs qui hoc præsidio egere uideantur, licitum est. Quoniam
& naturā, quā in ijs rebus quas ipsa bene gerit, imitari medicus potest ac de
bet, id sæpe cum magno ægri leuamine moliri cōspicimus. Aluum uerò de-
ijcere eodem tempore, aut urinam utiliter reddere, aut sudorem extrudere,
non cernimus, improbè quandoq; & uiolenter concitatam facere uidemus.
Eam ob rem, quandocunq; morbus quietem intermissionemq; recipit, idq;
uno fiat die solum, eo ipso purgandum est: si duobus, & fractæ uires præce-
dente accessione uideantur, secundo: sin robustę fuerint, nullaq; insignis ua
cuatio neq; per sudores, neq; per urinas, neq; per aluum secuta est, priore
quietis die. At si morbus continuus est, aut intermittens, sed cum longissi-
mis accessionibus coniunctus, tempus eligendum erit in accessione aut re-
missione mitissimum. Vt in febribus homotonis et anabaticis per initia po-
tissimum pharmacis agendum: quippe tum uiribus etiamnum robustissi-
mis, neq; materia uisceribus adhuc adfixa, nec admodum uerò putrefacta.

Pridie uerò abstinere debet.) Cruditatem in primis, in ijs omnibus quæ ad cu-
randum facit medicus, pertimescere ac fugere debet. Quæ si magna sit, fri-
ctionibus exceptis, quæ ne ipse quidem commodè cibum sequi possunt, ni
hil opportunè fieri solet: nisi ut maxima in quiete & abstinentia quis conti C
neatur, aqua tantū mulsa, aut ex oxymelite paulatim interposito, si crapula
hesterna aut recente quis oneratur, atq; item si hypochondria tument atq;
distenta sunt, aut æstu inflammationeq; infestantur, nullo prorsus medica-
mento purgatorio utendum est: propterea quòd hæc & caleant immodicè,
& uiolentia intolerabili cruditatem exagitent, atque adeò in corpus disijci
ant. Ieiuno itaq; & inani ab omni cruditate non modò uentriculo, sed toto
etiam corpore inferre illa conuenit.

Eodem die ante aliquot horas.) Si cui iecur magno calore & æstu affectum
est, ptisanę cremore, aut si uentriculus bile nimia, aut hypochondria accensa
sunt, aqua calida præsumpta, aut serapio aut lulepo potius idoneo incendiū
restinguere cautum erit. Nam aliud quippiam præsumere, nihil est necesse.
Quoniam uel hæc ipsa quoque Celsus consulit, si rem quidem omnem pro
pius contemplari libet, uel id quod est tutissimum rationiq; summè con-
senta-

A sentaneum, suadet: nempe ante pharmaci uiolentioris usum aliquot ante horis aquam calidam subijcere (ita enim tum legendum censebo, pro eo quòd alioqui legimus, bibere) ut intestinorum ac uentris arefacta purgamẽta madescunt, tum mox etiam deijcienda aluus est. Nam ea siue superne, siue infernè præmollita fuerit, procliuius, nullaq; molestia sequitur. Quæ si contrà aridior foret, nec ulla re præmacerata, resisteret utiq;, afflictionemq; ac dira tormina produceret.

Si leui medicina contenti sumus.) Quanquam bibi ista omnia nihil impedit, tamen ad ea quæ subijcienda sunt per clysterem, ante pharmaci generosioris potionem, non illibenter accommodauerim. Vt si quando leui medicina præire libet, pura capiatur aqua: si paulo ualentiore urgere placet, aqua mulsa competet: si lenire usus est, aqua in qua fœnum græcum, aut ptisana, aut malua decocta sit, ex usu erit: Si reprimendum, ex uerbenis, quę resiccant admodum, & astringunt, decoctio conueniet. At si quid acrius infundendum uidebitur, marina aqua, aut salsa, utilis futura est. Sin etiam acriora expetentur, in oleum addito uel nitro, uel sale, uel melle, uel omnibus, non solum intestinorum facultas abunde iritabitur, sed eadem etiam efficacius abstergentur. Nam detergentia, quo sunt mordaciora, licet minus facilè sustineantur, tamen hoc plus auxilij adferunt.

B Vt mel, ut melle magis nitrum. Oleum autem emollit & lubricitate imbuit, nisi si sit aliqua re addita infectum, pro cuius tum facultate uires omnino commutat.

Id quod infunditur.) Cùm superiora pleraque, tum hic locus, quæq; statim subijciuntur, euidenter declarare possunt uideri, non de potionibus, sed clysteribus, quæ iam paulo antè diximus, omnia fuisse intelligenda. Clysteres enim infunduntur: quos neq; calidos, neq; frigidos, sed tepidos & eucratos esse decet. Qui posteaquam iam sunt infusi, cõtinere se æger in lecto debet, nec primæ cupiditati uentris statim concedere, sed abluentes horæ minimùm spacio continere. Mitigantes uerò etiam longiori: longissimoq; qui glutinãt. Nam si qui purgaturi sunt, ij per se cum erit necesse, excident. Aut si quando morentur, glande excire licebit. Acutus porrò infundendus non est, nisi cruditate depulsa, & iam materia concocta, aut in morbis longis, interdum frigidis, aut si quod præceps periculum imminere cernatur: aliàs siquidem & cor nimiopere, & iecur debilitare solet. Consultum idcirco fuerit, nisi multo post cibum sumptum tempore, atque ab horis minimum ternis quaternisue hoc ipso, nedum purgante potione, uti ne quid superiorum incommodorũ, aut quid crudi, quo minimè oporteat, cõsequatur.

Vtique eo die cibum assumere.) Sumpto medicamento leni, corpus molli inambulatiuncula dimouendum est: præterquam si pharmacum tenuis

C sit substantiæ, uti ne medicinę uis dissoluatur: aut, nisi metus sit, ne nausea illinc concitetur. Motio siquidem corpus turbat, sed & somnus præterea debili sumpta medicina (cuiusmodi ferè liquidæ sunt) interdicitur, ut ne uirtutem ipsius exilem, collecta in se dormiendo natura conficiat, opprimatq;. Alioqui si sit firmior medicina, paululum ut indormiat, conceditur. Si densa & crassa, etiam consulitur, quo roborata natura illam disiungat, & ad actionem inducat. Quaternis autem deinde plus minus elapsis horis, horaq; una ferè ante cibum, ptisanæ cremor, aut cicerum ius cum sacchari rubri uncia dimidiata porrigere, aut iusculũ aliud opportunũ, quo itinera abluantur, & medicamentum porrò incitetur dare, bonum fuerit. Deinde aliquid etiam præbere stypticum, quo stomachus confirmetur. Vti sit succus è malo granato, aut omphaciũ, aut uinũ absinthite, aut absinthij serapiũ, aut aliud pro re præsente adaptatũ. Si frigent pedes, aut partes extremę tegulis concalefactis, aut lintheis ipsis uentriq; impositis fouebuntur. Simulatq;

pharmaci iam motus atq; operatio ſentitur, rectum fuerit etiam corpus tũ A
pauxillum ſuauiter incedendo aut ſtando ſuſtinere: quo melius omnia ſub-
ſidant, atque operatio citius efficiatur. Nihil tamen aliud per id temporis fa-
ciendum, neque quicquam omnino exhibere decet. Cibus potusq; alendo
corpori, purgatione demum integrè confecta dari debent, præterquàm ſi
ſtomachus ſit calidus ac ſiccus. Nã tum ne qua febris aut noxa deterior ex-
cipiat, uel aqua calida, uel ſerapio uiolaceo occurrendum erit. Præterquàm
etiamſi bilis ſtomacho innatet, uel erodens, uel febrem putrefactam pro-
ducens. Adde etiam, niſi imbecillius agat medicina, quàm ut æger famem
tantiſper tolerare queat, donec purgationis effectio ſufficiẽs appareat. Dare
igit cõueniet quippiã, quod ſtomachũ & roboret, & iucundè recreet: ut eſt
buccella panis ex uino odorato aut aromatico deſumpta. Abſoluta poſt hęc
purgatione, ſomnum quietemq; capere permiſſum eſt, quo uires ſpiritusq;
reficiantur. Et à ſomno rurſus parumper edendũ: minus, ubi minus expur-
garit: pluſculũ, ſi plus. Calidaq; ea ſunto, ſi & pituitoſa eſt natura, & pituita
fuerit egeſta: frigida, ſi biloſa. Iuſculum gallinæ, aut carnis ueruecinæ, aut
pulli gallinacei, aut piſcium, aut dulcium amygdalarum, nullis nõ opportu-
num eſſe poteſt.

De uomitu. Cap. XIII.

AT uomitus, ut in ſecunda quoq; ualetudine ſæpe neceſſarius B
biliioſis eſt: ſic etiam in his morbis, quos bilis concitauit. Ergo
omnibus qui ante febres horrore & tremore uexantur, omnibus
qui cholera laborant, omnibus etiam cum quadam hilaritate inſa-
nientibus, & comitiali quoq; morbo oppreſsis, neceſſarius eſt. Sed
ſi acutus morbus eſt (ſicut in cholera, ſi febris eſt) ut inter horrores
aſperioribus medicamentis opus non eſt, ſicut in deiectionib. quo
que ſuprà dictum eſt: ſatisq; eſt ea uomitus cauſa ſumi, quæ ſanis
quoq; ſumẽda eſſe propoſui. At ubi longi ualẽtesq; morbi ſine fe-
bre ſunt, ut comitialis, aut inſania, ueratro quoq; albo utendũ eſt.
Id neq; hyeme, neq; æſtate rectè dat, optimè uere, tolerabiliter au-
tũno. Quiſquis daturus erit, id agere antè debet, ut accepturi cor-
pus humidum ſit. Illud ſcire oportet, omne eiuſmodi medicamen-
tum (quod potui datur) non ſemper ægris prodeſſe, ſemper ſa-
nis nocere.

ENARRATIO.

At uomitus, ut in ſecunda.) Bilis genuina ſua leuitate facilè ſurſum euolat. Vn- C
de & ſtomachũ, atq; uentriculi os arrodere, & caput ſuis uaporibus ferire ſo
lita eſt. Quare quum quæque noxa, quam corpori eximere propoſitum eſt,
quo maximè ſuapte natura tendit, per ea loca duci debet, quod 1. Aph. 21.
inquit Hippocrates: conſentaneum eſt, eandem per os ac uomitionem reiĳ-
cere, ſeu ea uentriculo ingenita ſit, ſeu aliunde, ut ferè fit, illuc irrepſerit. idq;
in ieiunis fieri, longè optimum eſt. Nam pituitam, ſi quando id etiam opus
eſt, à cibo euomere, præſtabilius eſt. Quũ ſit enim ipſa & craſſa, & imo uen-
triculo magna ex parte illita, rebus præſumptis, præſertim acribus & ſalſis,
uomitioniq; prouocandæ idoneis commixta, ſuauius pleniusq; educitur.

Omnibus qui ante febres.) Horrorẽ Celſi aliàs docui, meliorib. nũc medicis ri-
gorẽ appellari. Nempe totius corporis inæqualẽ quandã cõcuſsionẽ: quæ
dum febrẽ antecedit ex flaua mordaciq; bile, aut eius calidis atq; acribus ua
poribus per ſenſiles corporis partes ualidè cõcitatis naſcit. Cæterũ tremorẽ
quẽ Celſus uocat, noſtri iam horrorẽ nũcupãt. qui eſt rigore tanto infirmior
mitiorq;,

A mitiorq́, quanto eius causa paucior est, & mitius blandiusq́ per corporis sentientia membra dimouet. Hic in tertianis intermittentib. nothis, & quandoq́ quotidianis percipit, ut in tertianis puris & legitimis, & febrib. ardentioribus rigor oboritur. Quarũ causæ, quũ uentriculũ obsidẽt, præclarũ è uomitu adiumentũ sumitur: si bilis est nuda, ante omnem cibũ: si pituitæ commixta, post eundem: sic ut pleriq́ hoc solo auxilio fuerint restituti. Nam alibi si continerentur, uidendum caute ne uomitionis nimio conatu, in uenas referantur, atq́ ex intermittentibus continuatæ febres efficiantur. aut ne è uenis in uiscera, quod nihilo est tutius, pertrahant. Quorũ neutrũ sine graui periculo fieri potest: quare quod paulo pòst præcipit Celsus, nec in cholera, nec in tertianis horrificis asperiorib. rebus uomitũ citare conueniet, sed mitibus tantũ, & uentriculũ exonerantibus: de quibus pleraq́ lib. 1. scripsimus.

Qui cholera laborant.) Cholera, uentriculi uiolenta quædã est perturbatio, sursum deorsumq́ magna cum tempestate erumpẽs: quæ ex multa longaq́ cruditate, aut graui alimentorum, aut medicamentorum prauitate, aut certe uitiosorum humorũ copia, maximeq́ bile consequitur. Quę, donec urgere ac redundare cernuntur, aqua tepida aut hordeaceo decocto uomitionem adiutare, minimè uerò hydromelite aut hydreleo incitare oportet. Deiectionẽ deorsum uersus, uel aloe, uel cassiæ atramento, uel myrobalanis, uel
B aliis eiusdem generis mitioribus solum impellere oportet.

Omnibus etiam cum quadam hilaritate insa.) Cum hilaritate insanientes Hippocrates securiores, quàm uiolẽtos studioq́ incitatos prędicat: quippe quibus à minus adustis minusq́ ferocibus causis id uitij producitur. In quibus, sicut in morbis longis ferè omnibus, uomitus cõmendatur, in paralysi, in quartanis, in podraga, in epilepsia, in ischiade, præcipueq́ in nephritide: propterea quòd magna ui crudos humores, & inquinatos, unde ea quæ recensuimus, si non protinus nascantur, certè deteriora demum redduntur, salubriter eijcit. Quapropter non debilibus illis tantum his rebus uti licebit, sed & ueratro albo, & si qua sunt alia pari facultate prædita.

Id neq́ hyeme.) Hippocrates 4. Aph. 4. φαρμακεύειν δεῖ & μὲν μᾶλλον τὰς ἄνω, χειμῶνα δὲ τὰς κάτω. id est: Medicamentis purgare oportet æstate quidem partes superiores, hyeme uerò inferiores. Quorũ illud uomitu faciendum, hoc deiectione, nemo non intelligit. Proximoq́ Aphorismo, ὑπὸ κύνας καὶ πὸ κυνὸς ἐργῶδες αἱ φαρμακεῖαι. id est: Sub canem, & ante canem, difficiles sunt medicaminũ purgantiũ usus. Itemq́ rursus: Proximo graciles, facileq́ uomentes, per superiora, uitata hyeme purgari debent. Crassi uerò, pinguesq́, ac difficulter uomentes æstate, uitata, per inferna. Et 6. Aph. 47. Quicunq́ uel uenæ sectionis, uel medicamenti purgantis indigẽt, ea uerno tem
C pore faciunto.

Quisquis daturus erit, id agere antè debet, ut.) 4. Aph. 13. Hippocrates, πρὸς τὰς ἐλλεβόρους τοῖσι μὴ ῥᾳδίως ἄνω καθαιρομένοισι, πρὸ τῶν & προαγαίνειν τὰ σώματα πλείονι τροφῇ καὶ ἀναπαύσει. id est: Ex ueratri usu, qui non facilè sursum purgantur, eorum corpora ante potionem pluri cibo atq́ quiete prehumectare decet: ne uidelicet nerui ligamentaq́ medicamento mirificè & calido & sicco conuellantur. In eandem propè sententiam 2. Aph. 9. scripsit, τὰ σώματα χρὴ ὅκῃ τις βούλεται καθαίρεσθαι, ὑγρὰ ποιεῖν. id est: Corpora quũ quis purgare expetit, oportet ea bene fluxa reddere.

Illud scire oportet.) 2. Aph. 36. οἱ ὑγιαινῶς ἔχοντες τὰ σώματα, τοῖσι φαρμακίοισι καθαιρόμενοι ἐκλύονται ταχέως, καὶ οἱ πονηρῇ τροφῇ χρεόμενοι. id est: Qui sano sunt corpore prædíti, per medicamẽta purgati subitò exoluunt, atq́ item qui prauo utuntur uictu. Et Aphorismo proximo breuius, οἱ εὖ τὰ σώματα ἔχοντες φαρμακεύεσθαι, ἐργῶδες. hoc est: Qui corpore sẽ bene habent, eos operosum est ac periculosum medicamentis purgare. Et 4. Aph. 16. Helleborus ijs qui ualent periculosus prædicatur, propterea quòd hominem conuellat.

De fricti-

De frictione. Cap. XIIII.

DE frictione uerò & geſtatione adeò multa Aſclepiades, tanquam iuuentor eius poſuit, quòd in eo uolumine quod communium auxiliorum ſcripſit, cum trium tantum faceret mentionẽ, huius, & equi, & geſtationis, tamen maximam partem in hoc conſumpſerit. Oportet autem neq; recentiores uiros in his fraudare, quæ uel repererunt, uel rectè ſecuti ſunt: & tamen ea quæ apud antiquiores aliquos poſita ſunt, authoribus ſuis reddere. Neq; dubitari poteſt, quin latius quidem, & dilucidius, ubi, & quomõ frictione utendum eſſet, Aſclepiades præceperit: nihil tamen reperierit, quod nõ à uetuſtiſsimo authore Hippocrate paucis uerbis cõprehenſum ſit, qui dixit, frictione ſi uehemens ſit, durari corpus: ſi lenis, molliri, ſi multa, minui: ſi modica, impleri. Sequit̃ ergo, ut tũ utendũ ſit, cũ aut adſtringendũ corpus quod fluens eſt, aut molliendum quod induruit, aut digerendũ in eo quod copia nocet, aut alendũ id quod tenue & infirmũ eſt. Quas tamen ſpecies, ſi quis curioſius æſtimet, quod iam ad medicum nõ pertinet, facilẽ intelliget omnes ex una cauſa pendere, quæ demit. Nam & aſtringit̃ aliquid eo dempto, quod interpoſitum, ut id laxaretur, effecerat: & mollitur eo detracto, quod duritiam creabat: & impletur non ipſa frictione, ſed eo cibo qui poſtea uſq; ad cutem digeſtione quadam re laxatam penetrat. Diuerſarum uerò rerum in modo cauſa eſt. Inter unctionem autem, & frictionem, multum intereſt. Vngi enim, leuiterq; pertractari corpus etiam in acutis & recentibus morbis oportet, in remiſsione tamen & ante cibum. Longa uerò frictione uti, neque in acutis morbis, neq; increſcentibus conuenit, præterquàm cum phreneticis ſomnus ea quæritur. Amat aũt hoc auxilium ualetudo longa, & iam à primo impetu inclinata. Neque ignoro quoſdam dicere, omne auxilium neceſſarium eſſe, increſcentib. morbis, non cum iam per ſe finiuntur. Quod non ita ſe habet. Poteſt enim morbus etiã, qui per ſe finem habiturus eſt, citius tamen adhibito auxilio tolli: quod duabus de cauſis neceſſarium eſt, ut & quàm primũ bona ualetudo contingat, & ne morbus, qui remanet, iterum (quamuis leui de cauſa) exaſperetur. Poteſt enim morbus minus grauis eſſe quàm fuerit: neque ideo tamen ſolui, ſed reliquijs quibuſdam inhærere, quas admotum aliquod auxilium diſcutit. Sed ut leuata quoque aduerſa ualetudine rectè frictio adhibetur, ſic nunquam adhibenda eſt febre increſcente. Verùm ſi fieri poterit, cum ex toto corpus ea uacabit, minus certe cum ea remiſerit. Eodem autem modo in tutis corporibus eſſe debet, ut cũ infirmus aliquis implendus modo eſt in partibus, aut quia ipſa eius membri imbecillitas id requirit, aut quia alterius. Nam & capitis longos dolores, ipſius frictio leuat, non in impetu tamen doloris: & membrum aliquod reſolutum, ipſius frictione confirmat̃. Longè tamen

A gè tamen sæpius aliud perfricandū est, cum aliud dolet, maximéq; cum à summis aut à mediis partibus corporis euocare materiam uolumus, ideóque extremas partes perfricamus. Neque audiendi sunt, qui numero finiunt, quoties aliquis perfricandus sit. Id enim ex uiribus hominis colligendum est. Et si is perinfirmus est, potest satis esse quinquagies: si robustior, potest ducenties esse faciendū. Inter utrumque deinde, prout uires sunt. Quo fit, ut etiam minus sæpe in muliere, quàm in uiro: minus sæpe in puero uel sene, quàm in iuuene manus dimouendæ sint. Denique, si certa membra perfricantur, multa ualentiq; fricatione opus est. Nam neque totum corpus infirmari citò per partem potest, & opus est quàm plurimum materiæ digeri, siue idipsum membrum, siue per id aliud leuamus. At ubi totius corporis imbecillitas hanc curationem per totū id exigit, breuior esse debet & lenior, ut tantūmodo summā cutem emolliat, quo facilius capax ex recenti cibo nouæ materiæ fiat. In malis iam ægrum esse testat, ubi exterior pars corporis fri-

B get: interior, cum siti calet, ut suprà posui. Sed tunc quoque unicū in frictione præsidium est, quæ si calorē in cutem euocauit, potest alicui medicinæ locum facere.

ENARRATIO.

De frictione uerò.) Vacuationum genera duo constitui, suprà traditum est. unam generalem, & particularem seu singularem alteram. Atq; generalem quidem esse, quæ cōmuniter ab uniuerso corpore materiā subtrahit. Eiusq; formas esse proditas, cutaneam inanitionem, sanguinis profusionē, & purgationem. Porrò sub sanguinis profusione, uenæ sectionem & cucurbitulas subiectas esse: sub cutanea uerò inanitione, sudorem & tacitam perspirationem contineri. Et sub hac quoq; frictionē, unctionem, balneum: de quibus iam reliquum est ut dicatur. Nam de sanguinis missione ac purgatione, quæ uomendo aut deijciendo fit, hactenus actum est. Particularis autē ea dicitur uacuatio, quæ unam aliquampiam partem ab onere inutili subleuat: cuiusmodi sunt gargarismata & errhina cerebro, excreationes tussesq; pulmoni atq; thoraci, emictio renibus ac uesicæ, hęmorrhoides podici, menses utero, & utraq; uenæ cauæ, & balani ac clysteres intestinis. Cæterùm frictio uel totius ipsa est corporis, uel unius alicuius particulæ. Atq; utraq; rursus est uel

C bene, uel malè ualentium hominum. De ualentium frictione libro de Valetudine inscripto traditum est. At ægrè habentiū, alia dura est, eaq; astringit: alia mollis, quæ laxat: alia multa, quę gracilitatem comparat: alia deniq; pauca, quæ implet. Mediæ uerò horum, media, ambiguaq; præstant. Connexæ connexas facultates habent. Vt si qua mollis pariter sit, ac multa, prioris nomine cutis spiracula laxat, dilatatq;. Posterioris humores ac corpus extenuat, & colliquefacit. Vtriusq; causa calefacit, dissipat, digerit. Sin pauca sit, eademq; mollis, ipsa iam simul & implet, & à duritie uindicat. Sed ut est horū usus summus, in ijs qui bene rectéq; ualent post concoctionem, & ubi crudi tas omnis ferme depulsa sit: ita in ægrotantibus unicè prodest, concoctione apparente, & morbis iam inclinatis, præsertim etiam longis frigidisq;, siquidem ea molliter multumq; usurpetur. Nam eo pacto calefacit, & reliquias uitiorum tutò digerit atq; dissipat. Alioqui & dura corpori aut membro alicui firmando, cæteris etiam temporibus imperari potest. Et pauca ijsdē implendis aliquanto post escas tempore accommodari solet.

Frictione si uehemens sit.) Hippocrates 6. Epid. ἀνάτριψις, inquit, λύναται λῦσαι, λῆσαι, σαρκῶσαι, μινυθῆσαι, ἢ σκληρὴ δῆσαι, ἢ μαλακὴ λῦσαι, ἢ πολλὴ μινυθῆσαι, ἢ μετρίη παχῦναι. id est: Frictio potis est soluere, ligare, carne implere, minuere. dura quidē ligare, mollis soluere, multa minuere, mediocris crassefacere. Nam δῆσαι pro πυκνῶσαι, λῦσαι pro ἀραιῶσαι καὶ μαλακῦναι, μινυθῆσαι pro ἰσχνᾶναι: hoc est, ligare pro cogere ac densare, soluere pro rarefacere ac mollire, minuere pro tenuare positum est. σαρκῶσαι uerò, id est, carne implere, ipse etiam Hippocrates παχῦναι, hoc est, crassefacere, ualere declarat. Quibus uerbis sanè pauciss imis, Hippocrates ita omnem uim frictionum complexus est, ut nihil addi amplius, nihil demi posse uideatur. Nec id ita certè immeritò. Dura enim stringendo, premendoq; , nisi cogere atq; astringere potest. Nec mollis, nisi contraria, sibiq; similia facere uisa est. Multa uerò, mora ipsa incumbendo, calefaciēdoq; , primum ruborem tumoremq; comparat, deinde mox etiam discutit atque extenuat. Nutrit denicq; , carneq; implet, non ea quidem simpliciter quæ pauca sit, & quæ multæ foret contraria, sed mediocris ac moderata. Quod autem Celsus his omnibus formis aliquid demi tandem pronunciat, ut contrarium contrario tolli intelligas, uerum est. Nam quisquis astringit, is raritatem demit: qui mollit, duritiem detrahit: qui extenuat, plenitudinē minuit: qui implet, tenuitatem tollit. Vt uerò de corpore semper aliquid eripi existimes, uanum est. Nam nec qui cogit, quatenus certè cogit, uerè quicquam corpori aufert. Nec qui tenuitatem alit atq; implet, quicquam adimit. Sed è contrario, quisquis cogit ac densat, idem cōtinet & includit: quisquis emollit, eo quo mollefacit, etiā imbuit, & qui alit, addit quoq; .

Inter unctionem autem & frictionem.) Frictio duritie: aut mollitie, & longitudine, aut mediocritate differre potest: frigefacere, quum sit ipsa in motione posita, per se nulla potest. Vnctio uerò pro materiei qua efficitur ratione, non potest non plurimum etiam uariare. Quamobrem acutorum morborum æstum refrigerare interdum potest: ut omphacino, rosaceoq; fieri cerni mus. Potest & refrigerata recalfacere, quod laurino & euphorbino præstari animaduertimus. Et potest, quicquid materia unde fit, quaq; imbuit, efficere: modò astringere, modò laxare, modò mollire, modò indurare, aliasq; tenuare, aliàs dissipare, aliàs incidere, aliàs incrassare. Denicq; nihil non facere unctio potest: sed tutò tamen ea tantū ante epulas & in uitiorū remissione, nisi uel reprimere, uel implere statutū est. Id q̄d de frictiōe item proditū est. Atq; id quidē eam ob rem, ut ne materia per morbi impetū lacessita, magis defatigetur, atq; ab instituto suo retrahatur. Néue eruditatem euocet, si calidior sit: neu retardet, si frigidior. Quanquam de unctione quoties per se sermo fit, de calida id intelligendum est, quæq; iam agitandi atq; dissipandi uires obtinet, & quæ corporis habitū & humores penetrando peruadit, eosdemq; calefacit, extenuat, atq; disperdit. Qualē acuta detentū corpus ægritudine nullo pacto sine graui discrimine toleret, nec eruditate uerò affectū.

Longa uerò frictione uti.) Longā pariter, ac mollem intelligi debere, rei præsentis ratio satis declarat, quæ ut mulcendi uim, forasq; spiritus & humores euocandi possidet: sic quū hæc quærimus, ut in phreneticis & in animi defectionibus atq; deliquijs, ipsam cōsulimus. In alteris tamen somni cōciliandi gratia, suauiorem: in alteris, reuellendi causa asperiorē. Certè longa omnis foras quippiam euocat, ac digerit magis minusq; , pro sua diuturnitate & uehementia. Etsi progressu aliud facit, ut uel astringat, si dura est: si mollis, ut emolliat.

Amat autem hoc auxilium ualetudo longa.) Morbus acutus breuis est, & ferè calidus, & qui crisi paucos intra dies finiri soleat. At nulla horum causa instituti debet, quæ & calefacere potest, & cuti tantum impendi assolet. Longius uerò multo tempore trahit, ac frigidus est: & abscessu, aut apostemate, aut di-

A aut digestione terminari cõsueuit. quorum gratia eandem illam rectè sæpenumero adhiberi, in confesso est. Nam & uitia breuiat, & causas recalfacit, & digestionem adiuuat. Sed id uitiosa materia iam concocta, & morbo ipso inclinato faciendum est: propterea quòd ante ea, propter crassitiem pigritiamq́, materia secutura nõ esset, nec prius natura illam dimissura. quæ causis demum maturis, morbisq́ cõcoctis adiutare solum nouit, crudis conficiendis tota ac prorsus intenta. Cui si quid medicus frictionibus, aut unctionibus, aut balneis, aut alia quauis arte eripere studet, liquida plerunq́ tantũ, retinendaq́ extrahit, crassis eximendisq́ relictis. Quo fit, ut cùm auxilietur nihil, tum etiam peruicacius longiusq́ malum ut efficiat.

Neq; ignoro quosdam dicere.) Fuit hæc de medicorũ opera propè à cõdito usq́ orbe quæstio inter doctos imperitosq́ agitata: quæ tamen nullis antè sæculis fœdius latiusq́, quàm nostra hac ætate, increbuit. Quotus enim quisq́ est, qui non ita de podagra, de ischiade, de chiragra iudicet, medicorum eas arte nihil præsidij persentiscere, perq́ seillas exolescere longè felicius? Scilicet quia medicus in uita istorum intemperatissima, aut ætate defecta, quin aliquando reuertãtur, efficere nõ potest: nihil idcirco auxilij adferre ualet? aut quia eas totas semel extirpare aut obstupefacere non uult, ideo breuiores molliores q́ reddere non potest? Idem de febribus inter pleros q́ iudiciũ,
B idem de plurimis alijs ægritudinibus passim exaudire licet. In quibus dum initia, incrementa, summas q́ rationes atq́ inclinationes medicus arte consilioq́ tractat & obseruat, nihil præstare boni interim creditur: & quam uitij natura dedit crescentem maliciam, medicus creare existimatur, nisi semel, radicitusq́ aut morbum, aut cum ægrotatione hominem è medio sustulerit. In cæteris artibus, inchoantes artifices, ac procedentes, absoluentesq́ taciti benigniq́ suspiciunt: in sola medicina multis diebus ac mensibus, ne dicam totis sæpè annis uitium congestũ, momento excindi uelle non erubescunt: hic solum nulla principia, nulla augmenta, summitatem, moramq́ nullam operanti curantiq́ largiuntur. Quippe qui hac in re, nisi exitum euentumq́ rei bonũ, spectare & admirari, cęteraq́ damnare ac reprehendere didicerũt. Quare dum naturã medicus adiutat, dum uictu idoneo succurrit, dum periculorum & rerum fugiendarum expetendarumq́ admonet, dum medicamentis subuenit, si dolor interim, ut debet necessariò, plerunq́ increscit, si morbus pro suo ingenio & ætate magis sæuit & exacerbatur, medici id imperitiæ uitioq́ protinus tribuitur atq́ imputatur. Nec intelligitur, dum hæc morbi ui & natura fiunt, tum eadem nisi medicus recta ac salutaria consuleret, & manũ cum natura admoueret, multo fore deteriora, longioraq́. Sunt itaq́ boni omnes uiri à crassissima hac insciti a reuocandi, ut & morborum certã esse legem ac naturam, & certa quasi ætatũ discrimina, quæ necessario
C ordine conficiant, meminerint. Quibus incipiãt affligere ac cruciare ægrũ, quibus increscãt & augeant, quibus maturescãt, & postremò quoq́ occidãt & intereant. Et inter hæc multũ interim ab arte præsidij capere, atq́ leuaminis, ut citius molliusq́ desinant, intelligant. Neq́ enim curat optimè, qui cruciatũ protinus omnem adimit, & tanquã iugulat: sed qui morbo augescenti maturitatẽ, summoq́ releuationem, totiq́ clementiã ac breuitatem cõparat. Hæc enim uis est earũ rerum atq́ naturæ, ut certis initijs ac terminis omnia includantur. Et ut mala iuxtà ac bona crescant aliquanto tempore, & uigeant, ac mox etiam intereãt. Quę nimirum, ut ne ita fiant, optari plerũq́ nec debet: nec, ut bene fiat, potest. Vt uitia minuentur, corriganturq́, ac minus recurrant, præstari semper potest à sapiente medico, ac debet. Et futura ne eueniant, pullulantiaq́ ut quasi in herba succidantur, nonnunquã potest. Vt in omnibus id fiat, expeti non est semper conducibile. Et ut sit maximè, sæpe medici, sæpius ægri, sæpissimè aliarum rerum delicto, quòd summè bonum sit, non cõsequimur. Quare ut frictionibus, lotionibus, balneis, cęterisq́ rebus similibus spiritus aut humores agitantibus, tutò nemo utitur,

nisi uitio iam inclinato ac decedente: Ita sunt alia quæ suo quæq; tẽpore, tũ A
in uictu, tũ in curatione magno adiumẽto sæpè inter & crescẽtes & summos
dolores adhibeantur. Possem in hũc locũ amplissimũ longa oratione excur-
rere, multaq; exempla undequaqua cõgerere, posse hominũ errores im-
probos multis uerbis amplificare: sed paucis istis rem atq; absurditatẽ tanq;
digito indicasse sufficiet. Nam sunt alioqui multi etiã sapiẽtes ab his ipsis er-
roribus liberi: & uulgus desipere nulla unquã ætate, nullaq; ratione desinet.

Sed ut leuata quoq; aduersa ualetudine.) Frictionem modò diximus tutissimè
tum adhiberi, quũ morbus inclinatus est: augescenti aut inchoanti nunquã:
rarò quoq; uigenti. causasq; superius aperuimus. Quod obseruandum est,
non tantum dum toti corpori releuationem quærimus, sed etiam dum parti
cuipiam subuenire propositum est. Nam dum impetus mali uiget, præsertim
si reliquum corpus non probè perpurgatum uacuatumq; sit, nisi summo cũ
periculo frictionẽ experiri licet. At impetu remisso, ac corpore toto ab im-
mundicie uindicato, tutò id conceditur, quod alioqui plus alliceret impro-
bi humoris, quàm uitij dissiparet. Sic capiti, sic manibus, sic pedibus sub pu-
ro toto corpore firmitas comparatur, sub impuro uitiũ debilitasq; intẽditur.

Longe tamen sæpius.) Frictionis geminus maximè est usus, ut partes eas quas
perfricamus, releuemus: & ut fricando aliud, aliunde quippiã retrahamus.
Sic in fluxu supernarum partium, infernas defricamus, & lignamentis astrin B
gimus, ut calore, doloreq;, id quod alio incitatum est, ad aliud reuocemus
atq; reuellamus. Exempli causa, fluunt nimium menses, aut hæmorrhoides,
brachiorũ hic è multis alijs, cõfricatione opem auxiliũq; ferimus. Contraq;
funditur è naribus sanguis immoderatè, mox pedibus perfricatis etiam liga
cula inijcimus: itemq; thoraci, uentri, uisceribus subsidium, extremis his par
tibus frictis, quærimus, quod reuulsionis ui quadam & calore, doloreq;,
quod iam diximus, efficitur.

Neq; audiendi sunt.) Quicquid curationis ergò corpori impenditur, non fri-
ctio tantum, quoties, quantumq; adhiberi debeat, tum ex ægroti uiribus, tũ
rerum earũ quæ usurpantur ui, & è temporis lociq; ratione omnino peti de-
bet. Quod uti compendio præcipi solet: ita omnium quæ in arte medica oc-
currunt, propè est tum difficillimum, tum obscurissimum. Quare solerti in-
genio & magna sapientia opus est, ut quàm minimum hic erretur, & uti q;
proximè ad rem expetitam perueniatur. Sed non modò uires, uerùm etiam
partes quæ fricandæ sunt, multum securitatis præbent, ne facilè corpus be-
ne præpurgatũ debilitetur. Sin q̃d debile est in toto aut in parte, implendũ
sit, frictioneq; firmãdũ, leniter id ut fiat ac breuiter, Celsus rectè cõsulit. Nã
& minimũ ita dispergit uiriũ, & paulatim melius cõmodiusq; corpus reficit.

In malis iam ægrum esse.) Hippocrates 4. Aph. 48. Ἐν τοῖσι μὴ διαλείπουσι πυρε-
τοῖσιν, ἢν τὰ μὲν ἔξω ψυχρὰ ᾖ, τὰ δὲ ἔνδον καίηται, καὶ διψᾷ ἔχει, θανάσιμον. id est: C
In febribus non intermittentibus, si externæ quidem partes frigidæ fuerint,
internæ uerò ardeant, sitimq; habeant, lethale est. Quæ uerba tum ad febrẽ
ardentem pernicioſam, tum ad lypiriam, quam uocant, pertinent. Quarum
illa ex uiscerum ac uentriculi iecoris q; erysipelate, hæc ab inflammatione ac
cidit. In quibus nihil præsidij, nisi in aeris externi & partium internarum re-
frigeratione positum est, & in extremarum partiũ frictione ac ligatura, quæ
calorem fugitiuum suis partibus restituunt.

De gestatione. Cap. XV.

GEstatio quoq; longis etiam & inclinatis morbis aptissima est.
Vtilis q; est & his corporibus, quæ iam ex toto febre carent,
sed adhuc exerceri per se non possunt: & his quibus lentæ morbo
rum reliquiæ remanent, neq; aliter eliduntur. Asclepiades etiã in
recenti, uehementi que febre, præcipueq; ardente, ad discutiendã
eam, gestatione dixit utendum esse. Sed id periculosè fit, melius q;

quiete

A quiete eiusmodi impetus sustinetur. Si quis tamẽ experiri uolet, sic experiatur, si lingua non erit aspera, si nullus tumor, nulla durities, nullus dolor uisceribus, aut capiti, aut præcordijs suberit. Et ex toto, nunquã gestari corpus dolens debet, siue id in toto, siue in parte est, nisi tamen solis neruis dolentibus: neq; unquam in recenti febre, sed in remissione eius. Genera autem gestationis plura sunt adhibenda, quæ sunt & pro uiribus cuiusq;, & pro opibus, ne aut imbecillum hominem nimis digerant, aut humili obsint. Gestationum lenissima est naui, uel in portu, uel in flumine: uehementior in alto mari naui, uel lectica aut scamno, acrior uehiculo. Atque hæc ipsa & intendi & leniri possunt. si nihil horum est, suspendi lectus debet & moueri: si ne id quidem est, at certè uni pedi lecti funiculus subijciendus est, atq; ita lectus huc & illuc manu impellendus. Et leuia quidem genera exercitationis, infirmissimis conueniunt: ualentiora uerò, his qui iam pluribus diebus febre liberati sunt, aut his qui grauium morborum initia sic sentiunt, ut adhuc fe-
B bre uacent. Quod & in tabe, & in stomachi uitijs, & cum aqua cutem subijt, & interdum in morbo regio fit. Aut ubi quidam morbi, qualis comitialis, qualis insania est, sine febre, quamuis diu manent. In quibus affectibus ea quoq; genera exercitationum necessaria sunt, quæ comprehendimus eo loco, quo, quemadmodũ sani neq; firmi homines se gererent, præcepimus.

ENARRATIO.

Gestatio quoq;.) Diximus de gestatione primo libro quædam, quæ huc accommodari utiliter poterunt. Est autem ipsa inter exercitationem legitimam ac ueram quietem propè media. Corpus enim in hac tanquam quiescendo dimouetur. Quare sicut est ipsa motio quædam omnium facile lenissima, sic est hominibus imbecillioribus multo utilissima. Quando omnis calorẽ genuinũ clemẽter uentilare atq; excitare, & materiei superuacaneæ copiã digerere atq; habitum corroborare, & stupidas operationes suscitare potest. Sunt porrò eius differentię multę, quibus, quod dixi, plus minus efficit. Mitissima nanq; est in lecto uel pensili, uel mobili pedũ fulcro agitato. Proxima, ubi quis lectica deuehitur, seu desidendo, seu ꝙd mollius etiã est, decũbendo id fiat. fortior etiã his est quæ curru fit: quæ & ipsa aliàs concitatior, a-
C liàs tranquillior esse solet. firmior quoq; est, dũ equo qs insidẽdo uehit. cuius itẽ multę species reperiunt. Plurimũ em̃ interest, asturcone quis ac tolaturio, an succussario, an desultorio equo, an canterio, an ueredo gestet. In asturconibus siquidẽ mollis illa alterno crurũ explicatu glomeratio minimũ fatigat. Molesta est succussariorũ quassatio, canteriorũ tardus incessus, ueredorum pernix cursus. Desultorũ usus sacris certaminib. fuit accõmodatior. Verùm sedere in equo, uix ex malè ualentiũ usu esse queat. Nam ut mollissimè uehare, tamen lassitudo inguinũ, lumborumq;, & dura pedũ suspẽsio atq; explicatio percipitur: & subpedaneis angustis ferreisq; totum corpus tanquam eodem in uestigio sustẽtare, arduũ est: & denicq;, si quo modo incitatius feraris, doloroſe corpus concutit. Valentibus eodem & corpus & animũ & stomachum firmare, & sensus expurgare atq; acuere, magna profectò commoda, si non pectus pedesq; debilitaret, conferre potest. frequentior itaq; esse debebat, quę nauigio instituitur. Quę quũ in flumine aut mari suauiter litus legendo, suscipit, iucũdissima est. Et quę in pelago fit, omniũ uehementissi-

ma est: & si mare tempestatib. et altis inquietisq; undis perturbet, durissima. A
Cæterùm lecto uel pensili, uel pedibus uolutato, uti licet in febricitibus, aut diuturno morbo fractis, & ab ægrotatione uires cõfirmãtibus, aut ueratro usis, aut phreneticis: quippe quo & spiritus placantur, & somnus allicitur. Vtilis quoq; tum lethargicis, tũ appetentiæ deiectione laborantib. Lectica uerò ac ferculo decũbentes uehi iubebimus ægros in febre, siue lethargica, siue semitertiana, siue quotidiana. Itemq; hydropicos, stupore attonitos, resolutos, nephriticos, podagricos. At desidẽtes lectica feremus, ubi se febris remiserit. Verùm curru concutimus morbos diuturnos: at mitius quidẽ capite laborãte, aut intestinis fluxione tentatis. Durius aũt in pectoris stomachiq; affectionib. in laxis tumoribus, in hydropicis, in stupore attonitis. Sed uertiginosos, & hemicrania dimidiataq; capitis parte conflictatos, ab itinere auersos retrorsum, leniter resupinatos uehi magno sæpè præsidio fuisse memoriæ proditũ est. Nauigatio aũt in mari quid apportet, & quid ualeat efficere, è primi libri, nostra enarratione perspici licebit.

Si quis famem experiri uolet.) Vel nulla, uel mollis sit admodũ oportet ea gestatio, quæ crudo etiã morbo suscipiatur. Nam uehementiores durioresq; cùm totũ corpus impuritate cõtaminãt, tũ obstructionib. pertinacibus infarciũt. Quę, si ualẽti corpori post cibũ, et ubi impurũ est, meritò formidant: multo profectò magis laboranti atq; ægroto corpori sunt pertimescẽda. Scio itaq; B
cùm febres, tum ægritudines alias plurimas gestatione & exercitio sæpè finitas esse: Sed scio id tutò factum esse nemini, nisi maturo iam morbo, aut eius pauciss imis reliquis seminibus. Periculosissimũq; fore, si quis æstu aut dolore inflãmatis uisceribus, aut hypochondriis, aut capite, gestatione atq; exercitio æstum cõduplicet. Quoniã motus, ut dissipare utiliter tum concocta, tum si quæ pauca restant sæpenumero potest: sic omnis calefacit, & calorem, si quis antè fuit, auget, & magis incẽdit, & humores spiritusq;, si concitatior est, exagitat. Quamobrẽ errãt plurimũ, qui inchoãtes adhuc, aut crescentes crudosq; morbos, præsertim calidos, exercitijs cõsumere tentãt. Nã & maturos plurimũ adiuuari, maximeq; frigidos cõfici, & lædi cæteros, nisi sit mollissima gestatio, ratione iam dicta satis est manifestum.

Genera autem gestationis.) Ea nos genera iam propè recensuimus. In quibus ad rem accõmodandis usurpandisq; nihil æquè ac uires eius qui gestat spectare, & morbi tũ grauitatẽ, tũ cruditatẽ, tũ etiã feruorẽ decet: ut infirmis leuia, firmis robusta imperemus: & ut ne cruditatẽ ac æstũ motu amplificemus. Nã quod sæpè dicere ac usurpare soleo, stultissimũ est, qd aliquando respondere uisum sit, temerè in omnibus experiri. Sunt enim multa plerunq; animaduertenda, ut ὡς τῷ καίρῳ atq; ipso suo articulo quæq; res, suoq; & loco & tempore usurpetur. In hoc enim omnis imperitorũ error positus est. dum quod in quibusdam rectè feliciterq; factũ esse animaduerterunt, omnibus C
statim idem profore credũt, nulla uitij, nulla ęgri, nulla tẽporis lociq; ratione habita: quũ sint aliàs optima quęq;, si ista negligant, nõ rarò pernicios issima.

De abstinentia. Cap. XVI.

ABstinentiæ uerò duo genera sunt. alterum, ubi nihil assumit æger: alterũ, ubi nõ nisi quod oportet. Initia morborũ primũ famem sitimq; desiderant, ipsi deinde morbi moderationẽ, ut neq; aliud quàm expedit, neq; eius ipsius nimiũ sumat. Neq; enim conuenit iuxta inediã protinus satietatẽ esse. Quod si sanis quoq; corporibus inutile est, ubi aliqua necessitas famem fecit, quanto inutilius est in corpore etiã ægro? Neq; ulla res magis adiuuat laborantem, quàm tempestiua abstinentia. Intemperantes homines apud nos, ipsi cibi tempora curantibus dant. Rursus alij tempora medicis

A cis pro dono remittunt, sibi ipsis modum uendicãt. Liberaliter agere se credunt, qui cætera illorum arbitrio relinquunt: in genere cibi liberi sunt, quasi quæratur quid medico liceat, non quid ægro salutare sit. Cui uehementer nocet, quoties in eius, quod assumitur, uel tempore, uel modo, uel genere peccatur.

ENARRATIO.

Abstinentiæ duo genera sunt.) Plenitudinis eius quàm Græci πληθώραν uocant, duæ tradunt formæ. Altera, dum salutares utilesq; succi sic redundãt, ut maximè quidẽ uenas maiores, dehinc minores, mox illinc etiã uiscera, postremoq; & musculos, & omne corpus longè lateq; distendant, onerentq;. cui leuandæ propriè uenæ sectio nũcupata est: quippe quæ sola periculo præcipiti ac impendẽti urgentiũ acutorũq; morborũ subitò simul, ac tutò eripere potest. Quũ nihil à natura datũ sit aliud, quod statim ex æquo omnes corpori succos eximere queat. Purgationes quidẽ aliquid corpori demũt, sed uel unicum tantum humorem, uel certè non pariter omnes: abstinentia uerò, atq; exercitiũ, detrahunt ipsa quidem similiter de omnibus aliquid, sed nec
B citò, nec in graui discrimine sufficiẽter. Sola igitur superest sanguinis missio, quę & plenitudinẽ, quam diximus, & acutas ex ipsa natas ægritudines protinus sine ulla periculo detrahit. Altera uerò plenitudo non simpliciter, sed ad aliud relata, & quia uires imbecillas grauat, dicta est. Non enim ipsa uenas turgefacit, nõ æquabiliter omne corpus distendit, non rubore suffundit, non periculũ, ne uel tumida inflataq; uasa dehiscãt, aut disrumpantẽ, nõ hinc inflãmationes aut hæmorrhagias, non insiti caloris suffocationẽ, non ex his febres ardentissimas, quemadmodũ superior, minitat. Firmas enim ista uires nihil onerat, sed imbecillas tantũ opprimit. Cui idcirco eximendę abstinentia frictioq; & moderatũ exercitiũ, cæteraq; quę concoctionẽ adiuuãt satis superq; subuenire cõsueuerunt: nisi si quando metus subest, ne qua illinc putredo emergens, aut humorũ corruptela, febres, aut aliud periculũ concíliet. Quamobrẽ in pestilenti cœli constitutione, uel tenui uictu, uel uenæ sectione sanguis intra modũ adducitur, quo paucũ illum reliquũ natura puriorẽ conseruet, nec facilè putri cõtagione labefactari sinat. Et in ephemera ex obstructione, & synocho citra putredinẽ, aut certè cum leui atq; tantilla, ut quod relinquitur in suam illam pristinã puramq; naturã facilè reuertatur sanguis: nec admodũ nimius, nec magnopere grauãs detrahitur, ut nõ nihil ab eius tantũ onere natura subleuata, quod reliquũ erit, uel in sua salute tueatur, uel leuiter affectũ à corruptione uindicet. Quæ uti facimus urgẽte metu
C ac periculo solũ: ita sine his abstinẽtia, & cibis paucis atq; utilibus, & rebus cæteris modò dictis naturam exonerare contendimus. Nam est abstinentia duorũ generum, quod docet Celsus: una nihil assumit, altera quantumlibet appetatur, nihil quod lædat. Quorũ rursus prior morborũ initijs, & ægritudinibus acutis: posterior longis, iamq; procedentibus cõpetit: si certe malũ in bilioso corpore, & laboribus ac uigilijs curisq; confecto non hæret. Nam tum cõminente, tum inchoante uitio in his cibo succurrit, ne in hecticã concidant febrẽ. Cæteris quies inediaq; præcipit tanta, quanta uiribus, dum ad uigorẽ morbus deueniat, sufficere uideatur. Nam quo quisq; morbus acutior est, hoc eius initio tenuius hominẽ alere cõuenit. Quo productior futurus est, eo plenius, ne uires omnino labascant, & ut se dũtaxat sustinere possint, alimentũ permittitur: modò primis diebus, & donec primus mali impetus mitescat, abstineat. Tantisper enim dum paroxismus sæuit, fame fortiter contrà eundum est. Quum deferbuit, aliquid dandũ est, quod & qualitate & copia ægritudini aduersetur. Et quãto morbus longior futurus prospicitur, tanto paulatim in remissionib. plus præbendũ est, quoad iã uigor appetere uideatur,

uideatur. Nam in ſummis morbis ac uigentibus omnibus ſeu acutis ſeu lon- A
gis, & dum extremo faſtigio ſunt proximi, uel minimum, uel nihil exhibere
fas eſt. Quæ præceptiones ſicut in febribus præcipuum locū habent, ac præ
cipi ideo maximè in ipſis ſolent: ſic abſtinentia poſterior, qua neq; nimium
unquam capitur, nec aliud quàm quod ipſi noxæ aduerſetur, in omni ægri-
tudine multo maximas uires obtinet: ſiue morbus ab intēperie, ſiue ab hu-
more, ſiue ab inſtrumenti ac partis organicæ aut ſimplicis quouis incōmo-
do proficiſcatur. Quoniam tempeſtiua abſtinentia, cùm ſummas in ſecunda
ualetudine partes ſuo ſibi iure uendicat, tum idipſum nimirum multo ma-
gis facit in aduerſa. Præcipueq;, ſi uitium etiā ab humoribus uitiatis aut ple-
nitudine natum ſit. Impura enim corpora nutriendo immundiora reddun-
tur: plena uel nihil admittūt, uel admittunt cū inſigni prioris rei formidine.

Neq; enim conuenit iuxta inediam.) Abſtinentiæ ſecundum genus in omni nō
modò ægrotatione ac debilitate, ſed uita quoq; cōuenire, iam demonſtraui
mus. Nimium enim quod eſt, lædit ſemper. Et aliud quàm expedit, in omni
re inutile eſt. Cùm enim ſint multa in tota uictus ratione obſeruāda, tum ea
optimè regitur multitudine & qualitate idonea. Atq; alterum abſtinentiæ
genus, q; inediā appellamus, eſt ipſa quidē ſæpè etiā utilis atq; neceſſaria,
in acutis, & inchoantibus, ac impetu iam laceſſentibus malis: ſed productis
ac procedentibus, remiſsisq; uitijs, aut corporibus exhauſtis, atq; ariditate B
ſqualentibus, nunquā non inutilis. Sed nihil æquè omnib. ualentibus iuxta
ac ægris nocet, quàm ſi corpus inedia conſumptum, ſubita ſaturitate onere-
tur. Vires etenim inualidę, ſpiritusq; exiles multitudine alimenti extingun
tur, planè ut flammam tenuem alimenti copia tanquā ſtrangulari cernimus.
Adde huc, omnem ſubitam mutationem naturæ eſſe inimicam. Minus ta-
men, ſi à ſaturitate abſtinentia ſuſcipiatur, quàm ſi protinus inediæ ſaturitas
inducatur. Lentè enim hanc inedia ſemper ſequitur. Inediam ſaturitas ſubi-
tò excipere poteſt. Quare ut in crudis morbis, ac præſertim frigidis, abſtinen
tia pugnare tutiſsimum eſt: ſic poſt eam magna ſaturitate uires uelle recrea-
re, uaniſsimum eſt. Alioqui per abſtinentiam, corpori alimento ſubtracto,
calor naturalis emicat, puriorq; incenditur, qui nunquam quieſcēs, nunquā
dum pabulum ſuppetit uim ſuam interminens, humores craſſos quidem ac
crudos cōcoquit & extenuat, coctos depaſcit, tenuesq; diſpergit, at acres
exurit & inflammat. Corpus autem ab obſtructionibus expedit, inanit, ua-
cuat: non modò per halitum, uerùm etiam luculentius plerunq; per urinas
& aluum. Hæc itaq; tanta tamq; uaria cōmoda, abſtinentia præſtat modera
ta, nulla iniuria corpori, nulla agitatione humoribus, nulla ſpiritibus graui
impulſione illata. Vt interim animi, ab illa, ſumma, cōmoda prætereā. Nam
ſi modum excedit, contraria facit, caloris ſubſtantiam diſsipat, corpus cōſu
mit, humores inflammat, ſpiritus exedit, uigilias, inquietudinem, ſtomachi C
eroſionem, uiriumq; exolutionem parit.

Intemperantes homines apud nos.) In moderando uictu copiam qualitatemq;
maximè ſpectanda docui. Sed nihilominus uirtutis adfert tempus accom-
modatum. Nihil enim profuerit modo ac genere uictus idoneo contende-
re, niſi is etiam dum oportet exhibeatur. Dum impetunt morbi, dum paro-
xiſmis laceſsunt, dum uigent, nihil præberi admodum debet: niſi quod &
ſitim placet interdum ori impoſitum, aut calorem refrenet foris illitum, &
dum calor febrilis iam extremas partes occupat, potum quoq;. Idq; maxi-
mè ſub uigorem, atq; deſinentiam. Tanta enim uis eſt rei bonæ tempeſtiuè
exhibitæ, ut omnis eius hinc fructus dependeat, non in uictu tantum, ſed cu
ratione etiā tota, atq; adeò uita etiā uniuerſa. Eſt enim (inquit Hippocrates)
καιρὸς ὀξὺς. Et ſæpe in momento atq; articulo hæc occaſsio conſiſtit, quā ni-
ſi diligentiſsimus, et artifex peritiſsimus obſeruare poteſt. Et ſunt interim, ſi
Deo placet, ægri, qui non id ab medico diſcere, nec illi auſcultare, in animū
inducunt:

A inducunt: sed suæ uoluptati ac desiderio concedi postulant, ut sumant non modò quantum uelint atq; desiderent, sed etiam quidlibet, & sibi contraria plerunq;, modò ea libido ipsorum concupiscat: idq; tempore quouis, & nō nunquā minimè opportuno. At sunt his importunissimis alij scilicet paulo æquiores, qui tempora sibi imperari capiendi cibi potusq; non grauatè permittunt, uerùm modum genusq; sibi suo ueluti iure uendicant. Aut si horū alterum quoq; medico concedant, certè alterum prorsus recusant. Tanta in seruitute ars medica uersatur, tantis abusibus subijcitur. Cæterùm ut probè res omnis geratur, & ut Deum naturamq;, quod aiunt, sequamur, perito doctoq; medico se totum æger offerre atq; tribuere debet, illi amici ac necessarij, custodesq; in omnibus ad unguem parere, nusquam ne latum quidem culmum ab eius consilio atq; præceptis usquam discedentes, nisi & ille uitam salutemq; suam ludibrio habere, & hi amicum assentatione iugulare malunt: & medico nō pro magistro ualetudinis, sed pro seruo atq; operario ægritudinis uti uelint. Quamobrem cum medicum solertem, doctum, sollicitum, fidelem deligere atq; amare decet, tum ægros ægrorumq; custodes atq; familiares medico per omnia obsequentes & diligentes, atq; constantes esse oportet. Quando minima sæpe numero offensa grauissimi mali occasionem causamq; præbere, seu in tempore, seu modo, seu genere uictus
B curationisq; delinquatur, assolet.

De sudore. Cap. XVII.

SVdor etiā duobus modis elicitur, aut sicco calore, aut balneo. Siccus calor est & harenæ calidæ & laconici, & clibani, & quarundam naturaliū sudationes, ubi è terra profusus calidus uapor ædificio includitur, sicut super baias in myrtetis habemus. Præter hæc sole quoque & exercitatione is mouetur. Vtiliaq; hæc genera sunt quoties humor intus nocet, isq; digerēdus est. Ac neruorum quoque quædā uitia sic optimè curantur, sed cætera infirmis possunt conuenire. Sol & exercitatio tantum robustioribus, qui tamen sine febre, uel initio morbi, uel etiam grauibus morbis tenentur. Cauendum autem est, ne quid horum uel in febre, uel in crudi tate tentetur. At balnei duplex usus est. Nam modò discussis febribus initium cibi plenioris, uiniq; firmioris ualetudini facit: modò febrem ipsam tollit, fereq; adhibetur, ubi summam cutem relaxari, euocariq; corruptum humorem & habitum corporis mutari ex
C petit. Antiqui timidius eo utebantur, Ascelpiades audacius. Neq; terrere autem ea res, si tempestiua est, debet, & ante tempus nocet. Quisquis febre liberatus est, simulatq; ea uno die non accessit, eo qui proximus est, post tempus accessionis, tutò lauari potest. At si circuitū habere ea febris solita est, sic ut tertio, quarto'ue die reuertat, quandocunq; non accesit, balneū tutū est. Manentibus uerò adhuc febribus, si hæ sunt lentę, lienesq; iamdiu malè habent, rectè medicina ista tentatur. Cum eo tamen, ne præcordia dura sint, ne'ue ea tumeant, neue lingua aspera sit, neue aut in medio corpore, aut in capite dolor ullus sit, neue tum febris increscat. At in his quidem febribus quæ certum circuitum habent, duo balnei tempora sunt: alterum, ante horrorem: alterū, febre finita. In his uerò

qui lentis febriculis diu detinentur, cum aut ex toto receſsit acceſ- A
ſio, aut ſi id nō ſolet, certè lenita eſt, iamq; corpus tam integrū eſt, quàm maximè eſſe in eo genere ualetudinis ſolet. Imbecillus homo iturus in balneum, uitare debet ne antè frigus aliquod experiatur. Vbi in balneum uenit, pauliſper reſidere, expeririq;, num tempora aſtringantur, & an ſudor aliquis oriatur. Illud ſi incidit, hoc non ſecutum eſt, inutile eo die balneum eſt: perungendus eſt is leniter, & referendus eſt, uitādumq; omnimodo frigus, & abſtinentia utendum. At ſi temporibus integris primùm ibi, deinde alibi ſudor incipit, fouendum os aqua calida, tum in ſolio deſidendū eſt: atq; ibi quoq; uidendum, num ſub primo contactu aquæ calidæ ſumma cutis inhorreſcat. quod uix tamen fieri poteſt, ſi priora rectè ceſſerunt. Certum autem id ſignum inutilis balnei eſt. Ante uerò, an poſtea quàm in aquam calidam ſe demittat, aliquis perungi debeat, ex ratione ualetudinis ſuæ cognoſcat. Ferè tamen, niſi ubi nominatim, ut poſtea fiat, id præcipietur, moto ſudore leui- B
ter corpus perungendum, deinde in aquam calidam demittendū eſt. Atq; hic quoque habenda uirium ratio eſt. Neque comittendum, ut per æſtū anima deficiat, ſed maturius is auferendus, curioſeq; in ueſtimentis inuoluendus eſt, ut neque ad eum frigus aſpiret, & ibi quoq; antequā aliquid aſſumat, inſudet. Fomenta quoq; calida ſunt, milium, ſal, harena, quodlibet eorū calefactum, & in linteum coniectū. Si minore ui opus eſt, etiam ſolum linteū. At ſi maiore, extincti titiones, inuolutiq; panniculis, & ſic circūdati. Quin etiam calido oleo replentur utriculi, & in uaſa fictilia, ad ſimilitudinem quas lenticulas uocant, aqua coniicitur, & ſal ſicco linteo excipitur: demittiturq; in aquam bene calidam, tum ſuper id membrū (quod fouendum eſt) collocatur: iuxtaq; ignem ferramenta duo ſunt capitulis paulo latioribus, alterumq; ex his demittitur in eū ſalem, & aqua ſuper leuiter aſpergitur. Vbi frigere cœpit, ad ignē refertur, & idem in altero fit: deinde inuicem in utroq;: inter quæ deſcendit ſalſus & calidus ſuccus, qui cōtractus aliquo morbo ner- C
uis opitulatur. His omnibus commune eſt digerere, id quod uel præcordia onerat, uel fauces ſtrangulat, uel in aliquo membro nocet. Quando autem quoque utendum ſit, in ipſis morborum generibus dicetur.

ENARRATIO.

Sudor duobus modis elicitur.) De balneis & laconicis, atq; utriuſq; de ui ac ratione, libro primo cōmentati ſumus. Quod autem reliquū eſt, id iam breuiter exequemur. Quum ſint ergo ea quibus ſudor elicitur, duūm generū, ut uel ſicco calore, uel humido euocetur: ſiccus autem calor ſit, tum arenæ calidæ, tum laconici, tum clibani, tum naturalium quarundam ſudationum, tum ſolis deniq; & exercitiorum: de exercitijs quidem atq; laconicis, quoniā libro de Tuenda ualetudine diſſeruimus, nihil hoc loco attexere propoſui. Commune utique omnium eſt iſtorum, humorem corpori immerſum

atq;

A atq; exundantem, præsertim aqueũ frigidumq; excoquere, elicere, cõsumere. Quare alij feruentissima arena, maximeq; marina, quæ & salsedine & aridítate cæteris præstat, corpus defodiunt, quæ & siccitate & leuitate sua sitientissima humiditatem, & calore frigus corporis absumat. At ita, ut adsint ministri, qui continuò nouam æstuantẽq; corpori accumulent, priore refrigerataq; deiecta. In qua & corpus circumuoluitur, & certis interuallis inuertitur, ut undiq; arenæ commodis fruatur. Verùm sicubi arena maritima defit, fluuiatili pro ea uti licebit, sed corio denso instrata: propterea quòd & hæc ipsa sit, & eius aer, ab euaporationibus humectior, & corio subiecto tum incalescit à sole acrius, tum à uicino alueo minus commadefit. At horũ loco, ubi salis suppetit copia, eo tenuissimè contrito, similiterq; ad solem homine obruto uti præstabit, ea altitudine quæ tribus palmis paruis minimum respondeat. Alioqui enim salis caliditas facilè difflat & euanescit, utpote quæ ex alto nec emergat, nec extollatur. Quorum si nihil omnium esset, aut non ijs uti liberet, clibano, quos diximus, humores olim extorruerunt. Est autem græcè κλίβανος, seu atticè κρίβανος, Latinæq; testus, testaceũ quoddam inuolucrum atq; tegmẽ, sub quo calefacto, prunisq; obruto, panes aut spicæ, aut placentæ decoquantur. Vnde panis κλιβανίτης seu testuaceus appellatur: ut à furno furnaceus, & ἰπνίτης ἀπὸ τοῦ ἵπνου nominat.

B Clibano itaq; ac testa, quemadmodũ diximus de panibus, frigidi corporis humidiq; morbi excoquebantur: calore nempe in clibanum inducto, quantus maximè tolerari poterat, quo quicquid corpus mẽbraq; ulla resolueret, quicquid uentrẽ, totamq; corporis molem aqueo humore distenderet, tanquam exedebatur atq; dissipabatur. In quibus tamen meminisse precium studij fuerit, nec aridis corporibus, nec siccis ægritudinibus, nec febribus, nec humoribus exiccantibus, aut calidis, imò ne frigidis quidem omnibus, nisi uitio iam declinante, aut certè neq; cum crassis, neq; cum lentis admodum humoribus coniuncto, quicquam horum, quæ arido calore opẽ præstare prædicantur, conguerere. Ne uel arida uitia nimium exicces, neu calida inflammes: neu crassa lentaq;, absorpta tenui parte, nimiopere inspisses. Quamobrẽ desinentibus iam frigidis madidisq; noxis, aut planè aqueis ab causis profectis, tutò cõmodeq; quicquam superiorũ, & omnino sicco calore opitulantium, usurpabitur, ut ne è uitio in uitium grauius imprudentes, miserìq; inducantur. Porrò si superiorum auxiliorũ nihil experiri seu libet, seu licet: nec enim omnibus arenæ suppetunt, nec clibano se multi subijci patiuntur: naturales sudationes, si quæ adsunt, ut è terra, seu sulphurea subiecta, seu simili calidus uapor profundatur, ædificioq; aut tecto aliquo includatur, tentare simili modo permittitur. Nam eos ipsarum uapores, quemadmodũ de laconico alibi tradidimus, mirificè corpora laxare, humoresq;

C diffundere ac colliquefacere, perq; habitum cutemq; dissipare posse, compertum est. Exiccant uerò etiam, & incendunt plurimum: quippe qui non solum corpori extrinsecus occurrent, uerumetiam intrò per respirationẽ sese in cor, & in omne corpus effusis, insinuent: impensius sanè atq; ualidius, quàm balneum ullum humores corpusq; tum affligere, tum concutere potest. Quę causæ item, cõmodaq; ambiẽte ab aere, atq; illustri & feruido sole iuxtà sentiuntur. Sunt enim alij qui uel spretis, uel desideratis superioribus, se soli æstuanti obijciunt, alij uncti, alij re nulla foris oblìti. Atque horum rursus plerìq; desidentes, plerìq; decumbentes. Et sunt, qui stantes in feruido sole, aut deambulantes, aut currẽtes, ualetudinis uitæq; utilitatem quærant. Ex decumbentibus porrò, alij in strato, alij super corio prosternuntur, de quibus iam ordine pauca subijciemus. Solaris itaq; inustio citra inunctinem, moderatè adhibita, perspirationem occultam auget, sudores elicit, aluum sistit, carnem tuetur, pinguetudinem exedit, tumores denique laxos

duntaxat, cùm aliorum, tum maximè hydropicorum exugit. Spiritum uerò A
denſiorem ſimul & citatiorem efficit. Quapropter anhelos, erectaq; ceruice
ſpirantes, grauius affectos reddit. At capiti diuturna frigiditate laboranti
confert: ipſumq; & firmius, & ægritudinibus minus obnoxium facit. Sed
oportet in his aluũ corpusq; prius eſſe expurgata. Cum ſit inimiciſſima in-
ſolatio capiti, ſiue aluo ſatis ante nõ deiecta, ſiue cruditate ulla reliqua, ſiue
corpore impuritate contaminato. Verùm inſolatio corporis præuncti, cùm
ſimilia præſtare, tum corpus multo potentius exiccare poteſt, unguine pri-
mum exaſſato, mox tota cute denigrata. Quare & per occultam tranſpira-
tionem minus diſcutit, diſſipatq;, & inſtar cauterij carnem omnem cogit at-
que condenſat. Iam uerò qui deſidentes ſtantesq; ſe ſoli exponunt, uehe-
mentius ſanè quàm deambulantes, & multo item acrius quàm currẽtes, in-
uruntur. Decumbentes autem in ſtrato uſq; adeò magnopere non iuuan-
tur, ut capite repleantur multo magis. Qui uerò ſuper corio decumbunt, in-
gentem illi quidem utilitatem percipiunt, maximeq; hydropici, & iſchiadi-
ci: & nephritici, & reſoluti, & elephantiaci, & qui, dum à morbo confirman-
tur, inturgeſcere ſolent. Adde his & cœliacos, & qui ueſicę ueteri noxa pre-
muntur, & ſideratos, & fœminas quoq;, quæ uel ab utero ſtrangulantur, uel
longè magis quæ ab uteri alba fluxione infeſtantur. Oportet autem magnũ
eſſe corium, oleoq; perunctum, ac ſuper tenuem arenculam ſubtili cribro B
transfuſam extentum. In quo præcalefacto, æger ſe proſternat, capite prius,
ne quid à ſole lædatur, crudo linteo præmunito. Atq; ita ſimili decubitus fi-
gura diu ſe continere debet. Deinde inuertere paulum, atq; deuoluere: hinc
in aliam rurſus partem ſe reclinare, ſæpiusq; ita corpus ad ſolem, pro ipſius
uiribus, & ægritudinis magnitudine torrefacere, dum ſatis percoctum ui-
deatur. Nam magna ſe ui in omne corpus iam patefactum ſol ingerit & in-
ſinuat: & res multas, quæ frigore ſuo & humiditate infeſtarent, exugit at-
que digerit. Quæ uitijs ſanè, paulo antè enumeratis, corrigendis ſunt accom
modatiſsima. Atque ex his omnibus, ſi quæ de laconicis atq; exercitijs, ad
primum Celſi librum protulimus, adijcias, planè enucleateq; Celſi omnis
de ſudore doctrina ſentẽtiaq; intelligetur. Nam quod de Batis in myrtetis
attulit, parum ad rei atque artis diſciplinam confert. Ad oſtentationem, no-
uiſſe, & curioſitatem nonnihil facit. Heſychius Batas ταραντίνας, hoc & Ta-
rentinos eſſe docet. Eſt enim ταρὰς græcè, quod Tarentum latinè dicimus,
Celebrię urbs celeberrima. Stephanus: Βάται, inquit, ἄκμός ὅτι δ' αἰγιῆδ Θ φι-
λῆς. Quare in agro Tarentino batas haſce in myrtetis, ut uocat Celſus, ſitas
fuiſſe arbitror. Vbi è tellure uel ſulphurea, uel alioqui ualde feruida mate-
ria affecta, euaporatio exhalet æſtuoſa.

At *balnei duplex uſus eſt.*) Quum ſint balnearum multa genera, de ijs Celſus
tantum agit, quę dulci calidaq; conſtant aqua. Cuiuſmodi, madore caloreq; C
ſuo ſpiracula uniuerſi corporis laxant, humoresq; extenuant, colliquant, flu
xilesq; reddunt: & non modò ab ſummis, uerumetiam ex intimis corporis
regionibus foràs euocant, quicquid intus deliteſcit, atq; eliciunt. Quo no-
mine fit, ut cunctum corpus primùm æquabiliter caleſaciant & exagitent.
Deinde humores quoq; omnes fundãt, cõcitentq;. Atq; ex his tenues qui-
dem diſſipent: craſsiores uerò, quos non diſcuſſerint, commoueant & per-
turbent, adeò ut plerunq; in partem aliquam imbecillam, aut ægritudine
tentatam confluant: idq; tum maximè, ſi qua plenitudo uenarum ſubeſt,
aut ſi quæ cruda in hypochondrijs, alibi ue demerſa, contineantur. Dum
enim cuti proximè ſubiectos muſculos balneum exhaurit, mox etiam à pe-
nitioribus ebibit. Quibus epotis, uicina quoq; tentat, donec ab intimo uſq;
corpore pura impuraq;, omnia ſimiliter exagitando cõfundat. Vnde fit, ut
eius uſus nullus tutò habeat unquã, tantiſper donec & plenitudine & cru-
ditate

A ditate omni exempta, liberum iam ac uacuum intus, purumq; corpus sit effectum. Quibus incōmodis sublatis, duo tempora balneis opportuna reperiuntur. Vnum, discursis morbis ac febribus, ut corporis habitu mundato uacuatoq;, fames quædam naturalis illi comparetur. Ex qua mox ordine, tanquam ab ansulis quibusdam egentium particularum fames animalis, quæ cibi potionisq; sensili cupiditate ac uoluptate quadam definitur, consequitur. Alterum, quod febri tollendæ, penitusq; extirpandæ, nuncupatum est. Quicquid enim in corpore, iam desinentibus febribus uel fuliginosum, uel fumidum delitescit, id omne euacuat atque discutit suauissimè, cutisq; ac carnis consistentiam tuetur, ac solidarum partium ariditatem corrigit. Quibus rebus nihil optatius esse potest, ut ualetudo firma minimeq; dubia quàm citissimè reparetur. Itaq; cumprimis cauendum est, ne uel plenitudo ulla, uel crudi humores, uel parum concocta, dum balneo utaris, alicubi stabulentur, neu hypochondria tumida sint aut inflata, neu lingua sit aspera. Quæ quum sint, ubi lauandum sit, cùm periculo graui coniuncta, tum præcipuè si quæ uisceris pariter infirmitas aut phlegmone substat, perniciem minitantur.

Fereq; adhibetur, ubi summam cutem.) Est hæc sanè longè elegantissima μετασυγκρίσεως paraphrasis, ubi relaxata cute carneq;, euocatur quicquid corru-

B ptum aut fulginosum, aut fumidum intus abditum est. Quo fit, ut nullis æquè ac aridis corporibus, atq; acribus humoribus præditis, balneum commodare soleat, quæ & madore suaui imbuit, & tetra fuligine liberat. hecticis ergo, & è flaua bile natis febribus, quantum nullis alijs benefacit.

Quisquis febre liberatus est.) Dum incipit, dumq; increscit febris, nullo est balneo iritanda: dum uiget, rarò: dum desinit, ut si quando aliàs maximè. Idq; in ephemeris diarijsq; ijs præcipuè, quæ à lassitudine, aut frigore, aut inustione cœli, ab ira, à constipatione ulla sunt ortæ, primo quoque die. In cæteris, ubi nihil suprà dictorum uitiorum supereſt, nec plenitudo, nec cruditas, nec phlegmone, nec densitas ulla corporis. Aut si quando febris de insperato desijt, nec toto die recurrit: tum enim eo qui proximus est post accessionis tempus, tutò lauari poterit, maximè si qua insigni uacuatione ac die idoneo finita est. Accessionem autem uocat, recursionem nouam. Qualis in diarijs nunquam consequitur, quum alibi accessio declaret, omne ab initio ad finem usq; febris tempus comprehensum. Vt in homotonis, in anabaticis, in paracmasticis, in continuis denicq; omnibus, omne quo affligere solent, tempus constitutum.

At si circuitum habere.) Quandocunq; febris intermiserit, si concoctio appa ret, si impedimenta, quæ modò memorauimus, sunt sublata, si crisis præcesserit, balneo uti permissum est.

C *Manentibus adhuc febribus.*) Lentæ febres ferè sunt è frigida crassaq;, aut uiscida materia progenitæ: præsertim si parte foueantur etiam frigida ac crassa, & corpore, & ætate, & tempore & loco fiant frigidis. Quorum quo plura concurrerint, hoc lentius diutiusq; febres trahunt. Ac sæpe in cachexian, sæpè in hydropem, sæpissimè in lienis uitium transeunt. Quod in quotidianis fit plerunq;: in quartanis perperam tractatis ferè semper. In quibus si à balneo, donec maturæ sint, abstineri potest, solis frictionibus esse contentos, melius est.

Cum eo tamen ne præcordia dura.) Durities aut cum tumore, aut sine illo est. Tumor rursus aut ab humore, aut à flatu uentoq; fit: humor aut sanguinolentus, aut pituitosus, aut bilioſus, aut melancholicus est. Durities tumoris expers, aut dolore uacat, aut eadem dolet. Scyrrhi enim & œdemata, si tam sunt exigua, ut in hypochondrijs non protuberent, duritiem quidem præ se ferunt, sed doloris uacuam. quæ certè balneas omnia

reſpuunt, ne quid eius, unde durities tumor'ue naſcitur, quum uel crudum, uel alioqui improbum ſit, in uenas habitumq; corporis eliciatur, niſi quòd à flatibus nudis minus imminet periculi. A

Ne'ue lingua aſpera.) Aſperitudo aliàs ab ariditate nimia, aliàs à calore ingente producitur. Ariditas etſi balneis depellitur, calor tamen immenſus eaſdem reſpuit. Non tam caloris quidem nomine, quippe mitioris, & ex iis duntaxat balneis, de quibus nunc agimus profecti, ut inflāmare magnopere non poſsit: ſed uel putredinis etiamnum crudę gratia, uel phlegmones: quæ certè à balneis utraq; cumprimis abhorrent.

Ne'ue aut in medio corpore, aut in capite.) Dolor, ſi non ab intemperie, ſed ab humore intra penetralia aut caput abdito ſuboritur, quia balneum liquat, quia turbat, quia diffundit, uitandum eſt. Sin in corpore puro dolor ab intemperie, aut continui diuiſione, aut certè ſine magnopere metuendo humore fiat, balneum uſq; adeò damnandum non eſt, ut ſit etiam uehementer expetendum. Nam nihil æquè uel refrigerata calefacit, uel calefacta procliuius refrigerat, uel arefacta præſentius humectat, atq; balneum dulciū aquarum, & calentium.

At in his quidem febribus.) Vel tribus ante febrium horrorem horis balneo uti competit. Exempli gratia, ſub ſeptimam horam lauandum eſt, ſi decima febrilis horror expectatur. Et nona, ſi ſub duodecimam formidatur: uel febre iam finita, aut ſanè deſinente. Idq; iis rebus ſemper uitatis, quę paulo antè in omni balneo metuenda eſſe propoſuimus. B

In his uerò qui lentis febriculis.) Celſus in iis febribus quæ libera ſpacia largiuntur, ea balneis deleganda rectè præcipit: ſicut eadem tum corpori alendo, tum pharmacis præbendis deſtinamus. Quod ut tutiſsimum eſſe non inficiamur: ita perpetuum eſſe negamus. Nam & potione ſitim leuamus frequenter, & balneis utimur interdum febribus tantū inclinatis, atq; adeò fortaſsis uigentibus quoque nonnunquam, ſi ægri aut morbi ratio admodum id poſtulare uideatur. Verùm ſi differri res poteſt, donec ex toto remiſerit acceſsio, produci eadem præſtat. At ſi integritas quieſq; nulla eſt futura, quandocunque impetus erit clementiſsimus, tum maximè arte ſubuenire congruit.

Imbecillus homo.) Docuit, balneæ quibus morborum temporibus conueniant. Nunc, quid ante eaſdem fugiendum, quid in ipſis metuendum, quid poſt eaſdem faciendum, tradet. Ante balneum frigus omne diligenter, ne imbecillum corpus de improuiſo feriatur, excludendum eſt: in balneo uerò pauliſper reſidendum atque tentandum eſt, an tempora aſtringantur. Quod ſi ſecutum eſt, leuiter æger perunctus referendus eſt. Nam calorem intrò, ubi febrim uel accendat abſentem, uel præſentem adaugeat, reuocari declarat: perinde ut horrore oborto, dum balneum quis ingreditur, fieri ſolitum eſt. Quorum neutrum ſi eueniat, & toto corpore ſudor extillet, profluatq;, nec ſubſit quicquam rerum ſuperius uetitarum, iam balneo tempus eſſe opportunum intelligitur. In quo ne quis per infirmitatem fractus nimium debilitetur, ne'ue animi deliquio facile corripiatur, os aut aqua frigida, aut aceto, aut ex utriſque oxycrato fouere, cautum erit. Cuius nos cauſam primo libro explicuimus. Poſt lotionē uerò pro uiribus ægri & ægrotationis ratione peractam (ſiquidem nec longiore mora corpus exoluere decet, nec breuiore ſpacio parum opitulari conuenit) curioſe ueſtibus inuoluendus eſt, ac detergendus, permittendumq; ut ibi quoq; prius parumper inſudet q̄ aliquid aſſumat. Sed de partib. balnearū, & toto propemodū earū uſu: deq; perunctionibus adhibendis, quod certè compendio ſufficiat, dictū eſt & alibi, & paulo nūc antè ſatis. ut ne iiſdem fruſtra repetendis chartas uelle multas implere, non multa docere uideamur. C

A mur. Nam quòd ſpeciatim in quacũ ægritudine, de his rebus cognoſcendũ ſit, non huius eſt loci nunc aperire.

Fomenta quoq; calida ſunt.) Sudor, præter ea quæ hactenus expoſita ſunt, etiã fomentis prouocatur. Quæ multis modis ipſa quoq; inſtitui poſſunt. Simpliciſsima autem ſunt, quũ linteis calefactis ſudorem elicimus. Calor enim laxat, aperit, euocat, attrahit, digerit, poſt quæ plerunque ſudor ſequitur. Proxima ſunt, quum linteo aliquid, retinendo calori, mouendoq; accõmodatum inuoluitur. Quę, ſi arida expetas, milium facilè eſt omnium ſuauiſsimum, aut defrixi furfures: deinde arena, tum ſal quoq;. Quæ & torreri omnia, & linteis ſacculis'ue includi arida calidaq;, uel aquæ cuipiam aptæ calidæq; immergi, corporiq; identidem applicari poſſunt. Duriora fortioraq; ſunt, lateres, æra, ferra, ligna quæuis generis denſiſsimi, pãnis linteisq; ſimiliter inuoluta. Sin minus arida deſiderentur, oleo calido aut aqua utriculum ad dimidium implere, aut in uaſa fictilia, lapidea, ærea, argentea, ſimiliáque aquam infundere cautum erit. Sin etiam humectiora expetantur, colum, aut lana, aut ſpongia mollis in aquam ſimplicem calidamq;, aut herbis, radicibus, ſeminibus, aliiſq; idoneis rebus incoctis permutatam, aut in oleum quoduis rei præſenti aptum immerſa competit. Et quod Celſus de ſale in linteum deuinciendo docet, quo neruis humore frigido perfuſis opem præ-
B ſtet: idem alibi uel hoc ipſo eodem pacto, uel etiam ſine ferro candente fieri poteſt. Porrò quòd laterum nulla in Celſo eorum facta mentione ipſi meminerimus, id ita à nobis factum eſſe putandum eſt, ut ſicui libet cum Iano Cornario lateres extinctos in Celſo, non extinctiones, quemadmodũ ferè exemplaria, quæ modò extant, quæque uiderim omnia habent, legere per nos ſit licitum: quando & Hippocrates περὶ γυναικείας φύσιος: id eſt, libro de muliebri natura, teſtas calentes inter fomenta arida conſtituat. Iam uerò quòd Celſus in uaſa fictilia ad ſimilitudinem, quas lenticulas uocãt, aquam conĩci iubet: hoc ita accipiendum eſt, ut in uaſa fictilia ad lenticularum ſimilitudinem efformata aqua includatur, fomentiq; gratia admoueatur, quę Aetius libro 9. cap. 28. φακωτὰ πυελατήρια, hoc eſt, uaporaria lenticulata nominat. Nam et Hippocrates, Galeno teſte, uteres uocat tegulas, quas tũ lateres, tũ lenticulas alij nominat. ἀσκὸς, inquit, λιθράμας, ὃς καὶ πυελατὸς ἢ φακὸς ὀνομάζουσι. Ad hunc itaq; modũ Celſus quoq; φακὸς lenticulas interpretatus eſt, & πυελατὸς lateres ſiue titiones uertit: utracunq; tandem uox apud Celſum genuina ſit. nam πυελατοὶ Græcis medicis omnibus, nõ Galeni tantum ætate, ſed etiã ante Celſum, dictæ ſunt reliquiæ ſiue teſtarum, ſiue ligno rum, quæ ab igni exẽptæ atq; extinctæ, pannisq; circũdatæ, fomenti nomine adhibeantur. Quanquam Cornarius quoq; ſubdubitare uidetur, ſit'ne in Galeni uerbis iam citatis πυρίας φακατὰς legendum, hoc eſt fomenta lenti-
C culata. Abs quo, qui uolet plura huc pertinentia cognoſcere, è commentariis eius in nonum librum de Compoſ. pharm. partic. repetat licebit. Finem huic capiti imponam, ſi id prius monuero, formenta in ægritudinum inclinatione præcipua cum ſecuritate ante omnem cibũ, ueteriq; eſca iam probè concocta, nec immundicie ulla intus abdita, tantum conuenire. Atque poſt eadem, locum eum cui fuerunt admota abſterſum, utiliter inungi atq; illini re quapiam uitio ſubiecto accõmodata. Sic enim deſinenti iam arthritidi, ſic colico dolori, ſic pleuritidi, magno cõpendio firmioris ualetudinis ſubuenitur. Sic aliàs pedibus, manibus, lateribus calefactis, ſudor toti corpori excitatur. Sic deniq; cruciatus uiſcerũ, membrorumq;, cũ epithemate efficacius diſcutitur. Quo nomine initiò quoq; malorum experiundi, ecquid ſuccedat, gratia admoueri poſſunt. Id quod in pleuritide planè iubet Hippocrates. Et in colico dolore fit hodie quàm ſæpiſsimè, ſed cautè, paulatimq;: ne fortius audendo, aut nimis tentando, uitium, alia uia rationeq; eximendum, uel producatur, uel confirmetur.

Qui cibi,

Qui cibi, potionesue, aut ualentis, aut mediæ, aut imbecillæ materiæ sint. Cap. XVIII.

CVm de his dictum sit, quæ detrahendo iuuant, ad ea uenien- A
dum est, quæ nos alunt, id est cibum & potionem. Hęc autem non omnium tantum morborum, sed etiam secundæ ualetudinis communia prędidia sunt. Pertinetq; ad rem omnium proprietates nosse, primùm, ut sani sciant, quomodo his utantur: deinde, ut exequentibus nobis morborum curationem, liceat species rerũ, quæ assiduè necessariæ erunt, subiicere. Neque necesse est subindè singulas illas nominare. Scire igitur oportet omnia legumina, quæq; ex frumentis panificia sunt, generis ualentissimi esse. Id ualentissimum uoco, in quo plurimum alimenti est. Item omne animal quadrupes domi natum, omnem grandem feram, quales sunt capræ, ceruus, aper, onager: omnem grandem auem, quales sunt anser, & pauo & grus. Omnes beluas marinas, ex quibus κῆτος est, quæq; his pares sunt: item mel & caseum. Quo minus mirum est, opus pi B
storium, ualentissimum esse, quod ex frumẽto, adipe, melle, caseo constat. In media uerò materia, numerari ex oleribus debere ea, quorum radices uel bulbos assumimus. Ex quadrupedibus, leporem. Aues omnes à minimis ad phœnicopterum, item pisces omnes, qui salem non patiuntur, solidi ue saliuntur. Imbecillissimam uerò materiam esse omne olus, & quicquid in cauliculo nascitur, qualis est cucurbita, & cucumis, & capparis. Omnia poma, oleas, cochleas, itemq; conchylia. Sed quamuis hæc ita discreta sunt, tamen etiam quæ sub eadem specie sunt, magna discrimina recipiũt, aliaq; res alia, uel ualentior est, uel infirmior. Siquidẽ plus alimẽti est in carne, quàm in ullo alio. Firmius est triticum, quàm milium, idipsum quàm ordeũ, & ex tritico firmissima siligo, deinde similia, deinde cui nihil ademptũ est (quod αὐτόπυρον Græci uocãt) infirmi or est, ex polline infirmissimus cibarius panis: ex leguminibus uerò ualentior faba, uel lenticula, quàm pisum. Ex oleribus ualentior rapa, napiq; & omnes bulbi (in quibus cepam quoq; & allium numero) quàm pastinaca, uel quæ specialiter, radicula appellatur. Itẽ C
firmior brassica, & beta & porrũ, quàm lactuca, uel cucurbita, uel asparagus. At ex fructibus surculorũ ualentiores uuę, ficus, nuces, palmulæ, cęq; quæ poma propriè nominanť. Atq; ex his ipsis firmiora quæ succosa, quàm quæ frigida sunt. Itemq; ex his auibus, quæ in media specie sunt, ualentior ea quæ pedibus, quàm quæ uolatu magis nititur: & ex his quę uolatu fidunt, firmiores sunt, quę grandiores aues, quàm quæ minutę sunt, ut ficedula & turdus. Atq; eæ quoq;, quæ in aqua degunt, leuiorem cibum præstant, quàm quæ natandi scientiã non habent. Inter domesticas uerò quadrupedes, leuissima suilla est, grauissima bubula. Itemq; ex feris quo maius quodq; animal, eo robustior ex eo cibus est. Piscium q; eorum qui

ex media

A ex media materia sunt, quibus maximè utimur, tamen grauissimi sunt, ex quibus salsamenta quoq; fieri possunt, qualis lacertus est: deinde, qui quamuis teneriores, tamẽ duri sunt, ut aurata, coruus, scarus, oculata: tum plani, post quos etiã leuiores lupi, mulliq;, & post hos omnes saxatiles. Neq; uerò in generib. rerũ tantũmodo discrimen est, sed etiã in ipsis, quod & ætate fit, & membro, & solo & cœlo & habitu. Nam quadrupes animal omne, si lactans est, minus alimenti præstat, itẽ quo tenerior pullus cohortalis est. In piscibus quoq; media ætas, quę nondũ summã magnitudinẽ impleuit. Deinde ex eodem sue ungulæ, rostrum, aures, cerebellũ. Ex agno, hœdóue, cum petiolis totũ caput aliquãto, quàm cætera membra, leuiora sunt, adeò ut in media materia poni possint. Ex auibus, colla, alæ' ue, rectè infirmis annumerant. Quod ad solũ uerò pertinet, frumentũ quoq; ualentius est collinũ q̃; campestre. Leuior piscis inter saxa editus, quàm in harena: leuior in harena, q̃; in limo. Quo fit, ut ex stagno, uel lacu, uel flumine eadem genera grauiora sint:
B leuiorq; qui in alto, quàm qui in uado uixit. Omne etiã ferũ animal domestico leuius, & quodcunq; humido cœlo, quàm quod sicco natũ est. Deinde eadẽ omnia pinguia quàm macra, recentia quàm salsa, noua quàm uetusta, plus alimenti habent. Tum res eadẽ magis alit iurulenta quàm assa, magis assa quàm frixa. Ouum durũ ualentissimæ materiæ est: molle uel sorbile, imbecillissimæ. Cumq; panificia omnia firmissima sint, elota tamen quædã genera frumenti, ut alica, ἄλφιτα, ptisana, uel ex hisdem facta sorbitio, uel pulticula: et aqua quoq; madens panis, imbecillissimis annumerari potest. Ex potionib. uerò. quæcũq; ex frumento facta est, itemq; lac mulsum, defrutũ, passum, uinũ aut dulce, aut uehemens, aut mustũ, aut magnæ uetustatis, ualentissimi generis est. At acetũ, & id uinũ quod paucorũ annorũ, uel austerum, uel lene est, in media materia est: ideoq; infirmis nunquã generis alterius dari debet. Aqua omniũ imbecillissima est: firmiorq; ex frumẽto potio est, quo firmius fuit ipsum frumentum: firmior ex eo uino quod bono solo, q̃; q; tenui: quodq; temperato cœlo, quàm quod aut nimis humido, aut nimis
C sicco, nimiumq; aut frigido, aut calido natũ est. Mulsum quo plus mellis habet, defrutũ quo magis incoctũ est, passũ quo ex sicciore uua est, eo ualentius est. Aqua leuissima pluuialis est, deinde fontana, tum ex flumine, tum ex puteo, posthæc ex niue, aut glacie: grauior his ex lacu, grauissima ex palude. Facilis etiam & necessaria cognitio est naturam eius requirentibus. Nam leuis, pondere apparet: & ex his quæ pondere pares sunt, eo melior quæque est, quo celerius & calefit & frigescit, quoq; celerius ex ea legumina percoquuntur. Ferè uerò sequitur, ut quo ualentior quæq; materia est, eo minus facile cõcoquatur: sed si concocta est, plus alat. Itaq; utendum est materiæ genere pro uiribus, modusq; omnibus pro genere sumendus. Ergo imbecillis hominibus reb. infirmissimis opus

est. Mediocriter firmos media materia optimè sustinet, & robustis A
apta ualidissima est. Plus deinde aliquis assumere ex leuioribus po
test: magis in his quæ ualentissima sunt, temperare sibi debet.

ENARRATIO.

Dictum est capite octauo: Omne auxilium corporis, aut demere aliquam materiam, aut adijcere, aut euocare, aut reprimere, aut refrigerare, aut calefacere, simulq; aut durare, aut mollire. Demi porrò materiam sanguinis detractione, cucurbitula, deiectione, cæterisq; hactenus expositis. Proximum itaq; nunc est, ut quibus rebus aliquid corpori adijciatur, explicetur. Sunt ea nimirum, cibus, potioq;: quippe quæ tota natura sua corpori familiaria, ipsi sola agglutinari unirique possūt. Adijci siquidē, hoc loco nutrire est. Nihil autem nutrit, nisi quod alimento esse queat, & ab humana natura coquendo superari commutarique, & demum corpori assimilari potest. Hoc enim nomine medicamenta à uictu ciboq; humano distant & dissentiunt, quòd hæc forma sua ac natura corpori subijciantur, cōsentiantq; : illa quodammodo aduersentur, ipsumq; cōmutent. ut sint noxis tum emendandis, tum extirpandis tantū apposita. Cibus uerò, potioq;, cùm his ipsis ijsdem, tum corpori etiã ualentium sustinendo accōmodata, quādo ægros pariter B
ac ualentes uiuere ac ualere expetimus. Vt ne dicam interim quędam æquè morbis expugnādis, atq; corpori alendo à natura esse adaptata. Quæ duplici idcirco de causa & utilitate malè ualentibus imperant, ut uiuant ac ualeant melius. Cæterùm Celsi hoc toto capite œconomiam atq; artificium, in summa dilucidaq; rerum omnium, quæ humano corpori alendo dicata cōparataq; sunt, breuitate, animaduertere iucundum sit, ac operæ precium maximum. Quemadmodum uidelicet initiò docilem & attentū, benignumq; lectorem sibi comparet: deinde, ut omnem de uictu humano disciplinam breuiter percurrat: primùm quæ escam, mox etiam quæ potionem, & quali facultate præbeant, exponens. In escis rursus, uti summa rerum earum genera, quæ ualentissimæ, quæ infirmissimæ, quæ mediocres habeantur, ob oculos & quàm perspicuè ponat. Atq; hinc protinus formas earundem rerum ac species, quid unaquæq; ualeat plus minus efficere, quemadmodū ostendat. Postremoq; & formarum singulas, quid ab ætate discriminis, quid à cœlo, quid à loco, quid à pastu capiant, quàm aptè exponat. Quibus etsi non omnia quæ ad hanc rem atq; disciplinā quoquo pacto pertinere uideantur, complexus est: tamen quæ maximopere essent necessaria, non omisit. Nullis digressionibus, quas ecbases Græci uocant, nulla uerborum longa circuitione molestus. Quæ sicut ad hominem ualetudine prospera temperatum sunt omnia præcipuè referenda, sic quo quisq; ab hac forma longius di- C
scedit, hoc ipsa in se minus respondere deprehēdet. Sunt em, quibus ualentissima minus grauia, quàm alijs quæ mediocria aut imbecillia sunt, uideantur. Vt sunt ij quibus uentriculi orificiū squalido aridoq; calore ac bile æstuat, à quibus bubula aptè conficitur, saxatilis pisciculus corrumpitur. At qui multa crassaq; pituita aut frigore, os item uentriculi obsessum habent, ijs sæpe uel medij generis alimenta prolixa concoctu, nimiumq; firma sentiūtur. Imbecillia uerò quædā, ut mulsum aut oxymel, quæq; è calore tenuiter alūt, egregiè opitulantur. Quòd autem nonnulli è colore rerum, discrimen roboris atq; infirmitatis aucupantur, ut in animantibus plerunq; respondere fateor (nam fuscus ac nigellus homo non solū candido calidior ferè, firmiorq; est, uerùm etiam bos albus aut pullus candidus boue pulloq; nigro magna ex parte est imbecillior: & caro aut lac candidi animantis, quàm atri, cæteris peristasibus paribus, est infirmius:) ita in plurimis rebus alijs color nullam facultatis uiriumq; rationem, notamque exhibet. Nec enim uuas passas

colore

A colore aut magnitudine, sed gustatu solo expendere decet, quod maximè secundum rei cuiusq; usum, temperatio & uis intelligitur. Vsus enim quid salutare, quid uitæ aptũ, quid contrà esset, docuit. Gustatus uerò, quid unũ quodq; ualeret, quidq; efficeret explorauit. Bubulam & ueruecinã usus homini cõpetere docuit. Gustatus illã minus quàm hanc ualetudini cõuenire, minusq; delicatã ac teneram probauit. Nutricationis euentus, priorẽ melancholicã, posteriorẽ nõ item, sed aptam corpori, & iucundã declarauit. Quæ, multaq; alia tradi quidem solent uerè pariter ac sapienter. Sed nihil in omni ualetudine tuenda melius, quàm ut quisq; quo genere uictus ac potionis iã inde à puero se rectissimè ualere compererit, animaduersum obseruatumq; habeat. Quid enim in homine temperatissimo quæq; res efficiat, ars ab usu rationeq; acceptum tradidit. Quid in singulis unumquodq; ualeat, nulla arte, nullis præceptionib. cõprehẽdi potest. Ex quo fit, ut tres nullos cõuiuas propè cõsentire uideas, Poscentes uario multũ diuersa palato: & ut plerisq; singulari uoluptate in rebus etiam sæpè fatuis, sint affecti. Vt fuerint ideo, qui sinapi rebus omnib. anteponerẽt: fuerint qui brassicã modò nõ in cœlũ extollerent: fuerint qui betam, qui sisarũ, qui locustam omnibus epulis cupediisq; proposuerint. In quibus nõ modò natura, uerumetiã cõsuetudo & educatio, adde stulta sepe etiã fixaq; persuasio plurimũ ualet. Quę ut fallere,

B non ita natura potest. Et rarò quisquam fuit, qui à rerum malarũ longo usu non postremò pessimè fuerit mulctatus, temeritatisq; suæ, & seu petulantiæ animi, seu ignorantiæ graues pœnas dederit. Vt quemq; deceat summa ope niti, quo se corpusq; suum primùm cognoscat: deinde, ut è salutarium grege, quæ sibi maximè sapiant, competantq;, ab arte atq; usu discat atq; meminerit. Cæteraq; uel angue peius fugiat, uel degustet pauxillum, nec in familiaritatem admittat. Sed longius à re proposita iamdudum me digressum sentio, quanquam non omnino præter rem, nec ab ijs quæ sumus tractaturi omnino ineptè.

Scire igitur oportet.) Pane nullus esse cibus potest magis necessarius: quippe quo solo, nudoq;, non ægrè natura sustinetur: & quicum cætera sapiunt iucundius. Quare ferè ab hoc non solum Celso, sed omnibus qui de uictus genere salutari aliquid memoriæ prodiderunt, initium sumptum est. Quem è frumentaceis generibus parari, felici amnonæ prouentu, iam olim à prima mitioris frugis inuentione usurpatũ est, maximeq; è tritico aut olyra,. Maligno uerò, charoq;, è frumentaceis deterioribus etiam conficit: frumentacea autem sunt, præter ea quæ modò dicta sunt, etiam hordeum, far, typha, zeia, auena, milium, panicum. Etsi iam parum constat, quid nostra tempestate typham, quid far, quid zeiam appellemus. Sunt enim qui typham cum olyra idẽ notare, id nempe quod nostri Rogge nominãt, existiment. Sunt qui me

C lius discrimen statuant, sunt qui far ignotũ nunc esse, sunt qui zeiã idẽ quod speltam declarare, magna ratione inducti, putent. Legumina porrò sunt, oryza, lens, faba, pisum, cicer, lupinus, fenugræcum, ochri, siue eruiliæ, phaseli, siue delychi, lathyri, arari, erua, & quicquid è cerealibus seminibus manu similiter legi, non falce meti, nec in panificiũ cõmuniter cogi solet. Quę esse omnia è ualentissimo alimentorũ genere pronũciare, nec uerò Celso assentiri audeã. quando è milio ac panico, panes exigui esse nutrimenti & refrigerantis cõstat. Nec multũ alere ex auena aut hordeo possunt. In leguminibus paulo cõstantior est firmitatis ratio: & si ochri, phaseliq;, atq; itẽ lathyri non modò boni prauiq; succi mediũ, aut cõcoctu difficilis facilisq;, aut citò tardeq; transeuntis, aut flatulenti eiusq; contrarij, sed parũ multũq; alẽtis quoq; mediocrẽ rationẽ obtinent. Illud ad ea quæ toto hoc capite exponentur, rectã rationẽ uimq; intelligendã meminisse plurimũ iuuerit: Quicquid humidioris est substãtiæ, id exiguã corporibus alimoniã largiri, atq; eã quæ ex facili euaporet ac discutiatur: ut esse noua, non ita multo pòst, assumpta

opus debeat. Cõtraq; durũ quicquid est, ac terrestre, id firmũ ac copiosum, nec facile difflabile nutrimentũ præbere. Quod ipsum si glutinis quoq; nõ nihil habeat, multo iam eadẽ facere efficacius: nõ expeditè hæc, nec promptè concoqui, ceu utiq; nec in sanguinem commutari, nec assimilari solidis facile animalis partibus, adeoq; tardè nutrire. Verùm tamẽ, ubi perdomita confectaq; semel fuerint, corporibus haud parum alimenti suppeditare. Cuiusmodi sanè sunt è tritico panes, & legumina propè omnia, si pauca modò, quæ diximus, excipias. Itaq; Celsus ualentissimum id esse, quàm uerissimè definiuit, in quo plurimum sit alimenti. Et, quod sub finẽ huius capitis adiecit, ferè sequitur, ut quo ualentior quæq; materia sit, eo minus facilè concoquatur: sed si concocta sit, plus alat. A

Omne animal quadrupes domi.) Eiusmodi sunt, sus, bos, ouis, capra. Nam canis, felis, equus, nisi summa egestate ac fame urgente, assumuntur. Rara quoque est hircina, arietina, taurina. Omnium porrò ualentissima est suilla, fossoribus, nautis, baiulis, robustis, & florente ætate hominibus accommodatissima. Proxima huic est bubula, quæ tam est æquo crassior, quàm est suilla iusto glutinosior. Verùm hæc si probè intus concoquatur, firma cumprimis, & aptum alioqui alimentũ suppeditat. Quamuis etenim ægrè cõcoquitur, tamẽ quàm bubula facilius. Quæ crebrius sæpiusq; usurpata, melancholica uitia minitatur. qualia sunt, cancer, elephas, psora, lepra, febris quartana, splenis tumor, cachexia seu malus corporis habitus, hydrops: eaq; maximè in homine natura melancholico. Ouilla, licet quàm annicula uetustior, humido pituitosoq; stomacho officere prædicetur: non est tamen tam nostris regionibus, q̃ fortassis Italicis aut Asiaticis, quas nouerat Galenus, cibo inepta: præsertim ueruecina, quæ haud scio, an sit ulli carnium generi apud nos nostraq; loca maritima, secũda, seu iucunditatem, seu probitatẽ spectes. Minus tamen superioribus est firma. nisi si iam libris Græcorum, quàm linguis ac ori omnium nostrûm, ipsiq; nostrorum usui credere malumus. Caprilla succi malicia & acrimonia damnatur, boue quidem minus sicca, sed sue & homine quoq; longè aridior. Et nostri rursus cœli capras, si animaduertas, minus fortassis eas siccas, atq; atrabilarias offendes, atq; Orientales, & in calidis aridisq; regionibus natas: quum & pabulo frigidore madidioreq;, & cœlo multum dissimili fruantur. Certè hircina non modò succi improbitate, uerùm etiam concoctionis peruicacia, omnium ineptissima est, tum arietina, mox taurina. In quibus tamen omnibus castratio plurimũ de prauitate & ingratitudine detrahit, itemq; & pabulum & cœlum contrariũ: Senectus addit, & pastio consimilis. Sunt enim alioqui, quæ iã diximus, ad cuiusq; generis ætatẽ uigentẽ, & ad Galeno notas regiones educationesq; referenda. ut floridum suem, floridum bouem, floridam ouem aut caprã in Italia aut Asia, aut simili loco educatã intelligas. Quæ semel iã monuisse, ne sint in quaq; re tædiosè repetenda, satis fuerit. Nam & capram Asiaticã arietè nostrate multo fœdiorem deteriorem q; esse, & ineuntis ætatis atq; ingrauescentis multo aliam esse rationem, quàm mediæ, ucrissimum est, quæ gustatu usuq; omnino, ut reliquæ res omnes, ubiq; probanda sunt. B C

Omnem grandem feram.) Feræ sunt, quæ feritatem genuinam, indomitumq; ingenium nunquam exuunt, nec cicurari ulla arte queunt. In quibus grandes sunt, capreæ, cerui, apri, onagri. Capreæ, quæ græce δορκάδες dicitur, caro melioris succi est, quàm cęterorum agrestium animantium, & cum humano corpore quandam habet familiaritatem, humidisq; & superfluis excrementis onusta corpora subleuat: ideoq; morbis colicis & comitialibus prodest. Ventrem moratur, & neruis sua siccitate conducit. Ceruorum carnes mali succi sunt, & difficilis concoctionis, & bilem atram gignunt. Atq; æstate uirosæ quoq;, atq; admodum noxiæ, quod eo tempore uiperis ac serpentibus cerui uescantur. Ex quibus magna siti incenduntur: & si prius bibant, quàm concoxerint,

A eoncoxerint, etiã intereunt. Quare per hyemem tutius assumunt, meliusq; concoquunt. At ita, ut si id probè nõ fiat, crassum humorẽ gignãt, & iecur ac lienem obstruant & inferciant. Adde etiã, si quibusdã physicis credimus, si crebrius & sine modo comedantur, corpus tremulũ, & quod non consistat, efficere. Aprorum aũt caro melior censetur, q; suum domesticorũ. Quòd tantarum non sint superfluitatum excremẽto præditi, nec glutinosum gignant humorem. Quanquã sunt qui callos aprugnos, quos σκυτάλια græci uocãt, difficulter concoqui ac confici, ideoq; ab ijs abstinendũ putant. Ferorũ asinorum, quos onagros græci nominant, bene habitorũ ac iuuenũ caro proximum ceruinæ locum habet, atq; adeò à medicis quibusdã summopere commendatur. Quin & mansuetorũ carnem quoq; sub ætate uergente, nonnulli ingerere non dubitãt: sed quæ pessimæ concoctionis sit, & uitiosissimi succi, præterea stomacho oriq; in cibo ingrata, ceu & equina, & camelina. Nã ne ab harũ quidem usu prorsus abhorrent homines quidã, mente pariter & corpore in asinos camelosq; degenerantes. Imò & ursorũ carnes, & uulpiũ & leonũ deuorant nõnulli. Verùm nos in cõmuni usu humano posita, non quæ cum immanitate coniuncta sunt, persequi instituimus.

Omnem grandem auem.) Dura siquidem carne grandis ferè auis omnis prædita est, & concoctu peruicaci. Anserũ, quę græcè χῆνες appellantur, carnes
B superflua excrementa producunt, & difficulter concoquunt: domesticisq; cunctis auibus crassiores sunt, & calidiores, humidioresq;. Sed eorũ alæ diuersæ sunt à reliquo corpore, nec aliarũ auiũ alis deteriores. In multis nanq; uolatilibus, præcipueq; paruis ac dura carne præditis, alarũ natura fibrosa, duraq; est, ceu quorundã etiã uniuersa caro. ut est gruũ, tẽperatione calida, siccaq;. Quã nihilominus edũt multi, plurimis ipsam ante dieb. aere, quo teneriscat, quasi macerãtes. at sanguinẽ perpetuò gignunt crassum & melancholicũ. Hoc uolucris genus omnẽ terrarũ orbem peragrat, nec diu in eadẽ regione permanet. Pauonũ caro, τῶν λαῶν σὰρξ, fibrosa neruosaq; est, & superuacanea, difficilisq; cõcoctionis, ac mali item succi. ferũt aũt ius pauonis quadã peculiari uirtute ac ꝓprietate pleuriticos sanare, ꝑsertim si pingue sit.

Omnes beluas marinas.) Belluas marinas uocat pisces ingentis ac monstrosæ magnitudinis, maximeq; cetaceo è genere ortos: ut phocas, balenas, delphinos, grandiores thynos, canes. Quæ difficulter omnes cõcoquunt, crassicq; ac praui sunt succi, & excrementitia carne prædita. Quapropter sale ferè macerati, ex aceto eduntur: quo tenuius alimentum, & digestioni cõcoctioniq; & sanguini generãdo accomodatius suppeditent. Nam recentiũ caro, ni probè concoquatur, crudorum humorum copiam in uenis suggerit.

Mel.) Calidum est & siccũ in secũdo gradu, tenuiũq; partiũ, ac mundandi uim habet, & aliquid acrimoniæ, cuius nomine uentrẽ ad excretionẽ stimu-
C lat, magisq; etiã urinam cit. Ad distributionẽ & cõcoctionẽ, ablata acrimonia, cõuenientissimũ redditur: quæ tum optimè tollitur, ubi multũ illi aquæ cõmiscetur: ac deinde tantisper coquitur, dum spumare desinat, spuma assiduò detersa. Nã ita nec intestina flatibus distendet, & urinã ciebit, & sputa crassa incidet, educetq;. Verùm frequẽtius si edatur, scabiẽ gignit. Et ex ipso quæcunq; parant edulia, nisi probè cõcoquant, iecori ac lieni obstructionẽ accersunt, & inflãmationes, si quæ subsunt, adaugent. Senibus cumprimis, & quibus corporis tẽperantia frigida est, cõfert: non utiq; ijs qui calidi sunt aut bilioſi, quòd in bilem his facile cõuertatur. Vbi per se solũ coctũ est, nec uomitionẽ ꝓuocat, nec aluũ subducit, nec urinã perinde atq; aqua decoctũ iritat: sed satis expeditè distribuitur, & bene nutrit. Optimæ notæ est, quod summa & acredine, & flauedine ornatũ est, & modicè tum pingue, tũ tenue est. Optimũ quoq; uernũ est, deinde æstiuũ, inutile hybernũ. Super uinũ si edatur, caput impeti non sinit, & appetentię interitũ ex materia præsertim pituitosa reuocat & exuscitat. Id autem satis admirari nõ possum, à Celso mel

inter ualētiſsima, plurimumq; alimenti largientia cenſeri. Prorſus æquè ut A
Galenus eos miratus eſt, qui nihil ipſum alere ſunt arbitrati. Nam ne tum
quidem quū puriſsimè deſpumatum eſt, ac bene nutrire aſſolet, admodum
memoratu dignum corpori alimentū exhibet, duntaxat non omni: ſed nec
nullum quoq;. Ineſt enim ipſi, præſertim per ſe cocto, nonnulla, ut dixi, nu-
triendi corporis facultas: niſi fortè etiā in bilem conuerti anteuertat, ut fit in
ætate florentib. ac bilioſis hominib. Fortaſsis itaq; mellita liba, placentasq;,
& quæcunq; cum melle ex tritis conficiunt, quorū alibi nō meminit, & quæ
uerè ualentiſsimi ſi ullo pacto concoquātur, ſunt generis, Celſus intellexit.
In quibus, ſi mel adimas, crudæ craſſæq; alimoniæ uis quæ iecori & lieni &
renibus obſtructione illata plurimū officiat, ipſis ineſt: ſin addas, minus læ-
dunt, ac mixtā quandam facultatē nanciſcuntur. Verùm duriuſcula eſt etiā
hæc purgatio, melli cōtraria facienti ut tribuamus', quæ rebus mellitis non
quidē omnib. aſſcribant. Quamobrem, ſeu quis hic à Celſo ingenuè diſſen-
tire uolet, ſeu de cocto per ſe in frigidis hominibus eundem tueri libebit,
per me quidem cuique liberum erit, dum uires quas omnino habeat, ac di-
ximus ueras eſſe, nobis largiatur.

Caſeus.) Caſei Græcè τυροὶ dicunt, omnesq; mali ſunt. Nam difficulter cō-
quuntur, & acidum ructū faciūt, tum uentriculum ſpiritu ac uento replent,
maleq; penetrāt. Sunt modò pituitoſi, modò uentriculo feruidi, ſuſcepta ex B
coagulo acrimonia. Si uerò inueteraſcāt, acriores etiā tum & calidiores effi-
ciuntur, & cōcoctu difficiliores, ac ſucci peioris, & in renibus calculos creāt,
plurimumq; omnino nocent. De craſſo nanq; ipſorū humore calculi produ
cuntur. Quare caſeus omnis cautè uel fugiat, uel uſurpetur: quū nihil omni-
no boni habeat, quod uel ad concoctionē faciat, uel ad ullam excretionem,
uel ad ſucci alimentiq; probitatem. Minus utiq; malus eſt, qui uetus nō eſt,
nec acris. Melior item recēs: quippe medius inter ueterē illum, & lac ipſum.
Atq; ea de cauſa & melius concoquitur q; uetus, & melioris eſt ſucci, præci
pueq; ſi mollis etiā ſit, & laxus: nec fortiorem ullam habeat qualitatem, ſed
modicè ſit & dulcis, & ſalſus, atq; modicè etiā aſſumat. Conuenit aūt eundē
cū melle aut ſaccharo apponi: quoniā ita citius reddit, præſertim ab his qui
frigida ſunt temperie præditi. Vetuſtus autē omnis, & qui dulcedinem om-
nem amiſit, & qui iam friabilis ac euanidus factus eſt, peſsimus omnino eſt.
Contraq;, ſpongioſus ac rarus, & dulcis & recens, omnium optimus eſt: hic
enim uentrem cit, nec admodū pernicioſe per ſe lædit: uetuſtus ſiſtit, & plu
rima mala creat. Ex quibus nunc perſpicitur, quanto in errore paſsim bona
pars mortaliū uerſetur, qui nobilitatem caſei è peſsimis omnibus notis, ex
uetuſtate, ex acrimonia, ex ſoliditate, & ſi Deo placet, ex peregrinitate quo-
que colligunt & aucupantur. Quū nullo horū nomine in uictu ſalubri com
mendetur, & probetur planè oppoſitis contrariisq; dotibus. Præſtat enim C
mollis duro, & rarus ac laxus ualde preſſo dēſoq;, & dulcis acri, & ſuauis in-
ſuaui: & mediocriter ſalitus, nimiū aut nihil omnino ſalis habenti: quiq; nec
glutinoſus ſit, nec friabilitate aſper, nec ructibus deniq; moleſtus. Quando
qui diu in ſtomacho uiuit, minimè ,pbandus eſt. Nā is cùm qualitate, tū ſub
ſtantia ſua difficulter immutat, atq; conficit. Siquidē dum res ulla cōcoquit,
omnes eius quas iā modò dixi qualitates, nonnihil immmutari neceſſe eſt.

Quo minus mirum eſt opus piſtorium.) Paulo antè docui, mellis, præterquam co-
cti, ratione res nullas ualentiores reddi: ſed cùm placentas, itriaq;, tum piſto
ria opera omnia, hoc plus de craſsitie lentoreq; ac firmitate deponere, quo
fuerint pluri melle imbuta, ſaturataq;. At ita tamē, ut haud exigua craſsitiei
uis remaneat è caſeo frumentoq; relicta. Quanquā rurſus plurimum refert,
quali è caſeo, qualiq; frumento parentur: quoniā glutinoſa iſta, quàm con-
traria qualitate affecta, ualentius multo nutriunt. Quare ſi quod piſtorium
opus copioſo melle perfundatur, & friabili atq; acri è caſeo, frumētoq; tum
ſicco ad-

A ſicco admodum, tum tenero conſtruatur, ut uitio iſtud omni nō liberem: ita craſsiſsimi ſucci, aut ualentiſsimi edulij nomine minimè digner. Maximè quum neq; adeps, neq; pinguedo, ſi qua miſceatur, magni admodum nutrimenti rationem ſubeat: utpote quæ ambo ciborū potius condimenta quædam, quàm cibaria ſint appellanda. Hoc tantū differentia nomine, quòd ſit pinguedo humidior, oleo uetuſtate aut frigore incraſſato concretoq; perquàm ſimilis: adeps uerò pinguedine longè ſiccior, quodq; incalfactus & funditur demum, & liqueſcit quidem, ſed coit iterū, concreſcitq; facilimè.

In media uerò materia.) Radices eſitamus, raporū, naporū, arí, dracuntij, haſtulæ regiæ, quam aſphodelū græci uocant, raphani quā radiculam propriè nominamus, paſtinacę, dauci, caruí. Bulbos aſſumimus, tum eos qui peculiari ratione ſic appellātur, tū eas radices omnes quæ & ſphæricæ ſunt, & uel ſimplici capite, uel plurib. capitulis cōſtant, unico duntaxat folliculo ueluti tunicatę, ut tubera, alliū, cæpe, porra, & pleræq; radices, quas in humano uſu eſſe modò diximus: in quibus quanta nominū eſt, tanta propè rerū uiriumq; eſt differētia: ut nec in mediocri materia perinde omnia cenſeri debere uideantur, nec æqualiter omnia operari. Quod nos uerbis explicabimus è ueterū monumētis q; breuiſsimè mutuatis: quibus eam materiā illi totā doctiſsimè ueriſsimeq; olim ſunt executi. Rapa τὰ γογγύλια calida ſunt ſecūdo ordine,
B & humida primo. Ante elixationē dura ſunt, & cibo inepta, cōcoctioni pertinaciter aduerſantia, flatulenta, ſtomacho infeſta, nonnunq; etiā mordacia. In aqua uerò decocta, mirū ſi qua è congenerib. plantis minus ipſa nutriant. Plericq; idcirco feruidis potiꝰ cinerib. defoſſa, aſſataq;, minus reddi flatulēta, ac ſatis alere, & genitale ſemen abūdè gignere, minusq; tū humidā tū fluxā carnem donare, prætereaq; guttur ac pectus lenire, uere crediderunt: præſertim ſi thymi etiā, aut origani, aut pulegij, aut zingiberis puluiſculo aſpergantur. id quod crebrò facere ſolent noſtrates, affuſo etiā butyro. Leniunt enim ita multo amplius, & craſsities, qua plurima ſunt prædita, caſtigatur. Sin eo modo aſſare non libet, longa elixatione, eaq; iterum repetita, ut priore aqua diffuſa, affuſaq; noua calida, additiſq; ſaluia, hyſſopo, thymo, origano, aut calamentha, omnem eorū noxā ſi non omnino tollimus, certè corrigimus: frequentius aūt quiſquis ijs utitur, craſſum gignunt illi humorē, & iecur ac uenas uiſceraq; obſepiūt: uentrem nec ſiſtunt, nec ciunt, Venerem excitāt, ſed cruda magis, maximeq; ſemen. Ex quibus facile intelligitur, denſa caligine occęcatos eſſe eos, qui nihil propè hac planta in uictu humano ſalutarius meliusq; haberi poſſe autumant. Cocta napi radix inflat, & modicum alit Dioſcoridi. Galeno uerò ſub rapis continetur, nec ab ijs facultate diſcrepat: fortaſsis quia inſigni diſcrimine non diſtat, idcirco nullo differre Galenus exiſtimauit. Dioſcoridi, quia forma longiore nonnihil diſtinguitur, ideo q;
C rapū aliquanto minus alimenti præbere, aut quia minus craſsi ſucci eſt, modicè alere, eſt prodita. Arí radix rapi modò manditur, calefaciēs exiccansq; primo ordine. Nōnullis etiā regionib. tam acris, ut tertij ipſam ordinis eſſe crediderint. Alibi quoque minimū medicamenti atq; acrimoniæ obtinet. Quapropter ubi acrior prouenit, ſemel iterumq; mutata aqua recoqui, & ab acrimonia uindicari debet, quo alendis hominibus ſit accommodatior. Nam genuina, aut certè minimum ab acredine abſoluta, thoracis ac pulmonis craſſos lentosq; humores longè promptius extuſsire facit. Verùm iecori corporiq; uniuerſo craſſum, ceu rapa ſuccum mittit. Dracuntij, quem latini dracunculū maiorem (ex aro ſiquidem minorem faciunt) plericq; etiā colubrinā & ſerpentariā nomināt, radicem bis terue recoctā, quo ad omnē exuat medicinam, arí modò eſitare uetus eſt. Acris etenim alioqui, amaraq; eſt, leui quadam aſtrictione addita. Porrò cōmune ac publicū illud de rebus ac eſcis omnib. edictū eſt: Acria amaraq; perexiguū corpori alimentū cōferre: copioſum uerò, ac largū, qualitatis expertia: ijſq; etiā magis dulcia. tum

uerò

uerò etiam magis, quæcunq; pariter solidæ constipatæq; sunt substantiæ, sic A
ut nec humida nec laxa constitutione diffluant. Quocirca radix hæc acri-
moniæ & amaritudinis expers, alere, quemadmodum superiora ferè, potest.
Genuina, aut qualitatib. suis haud prorsus exoluta, minore quàm arí radix
ui, crassa lentaq; pulmõis sputa euerrit. At asphodeli eius radix, quã hastulã
regiam fœminamq;, ut murem albucum, quidam nominant: alibi uix be-
nè longa coctura, & crebrò diffusa aqua, cibo apta reddi potest: alibí facili-
us potest, amaritudinis ipsius uel copia, uel pertinacia. cuius uiribus cùm
extenuare, tum obstructa demoliri potest: ijsdemq; spoliata, alimento esse
potest. porcis iam quàm hominibus magis expetẽda, muribus uenenũ, He
siodo mirifica laude decantata. Bulbus amarã austerãq; uim euidenter in se
habet, qua uescentes delectat. Et iacentis ac dissoluti stomachi excitat auí-
ditatẽ. Contra quã hastula regia, decoctione admodum pauca cõtentus, seu
craticula, seu sartagine assetur, seu aqua elixet, seu ex aceto, oleo, garoq; assu
matur. Nam amplius aut iterum decoctus, succum crassiorem, cæteraq; me
liorem atq; alibiliorem suppeditat. Minimum uerò coctus, è thorace ac pul
mone purulẽta crassaq; facile expuí, atq; excreari facit. Pastinaca græcè σα-
φυλῖν& tam purpurascẽs, quã carotã uocant, quàm lutea, calefacit & abster
git: minus quàm rapum nutrit, & uti cæteræ radices ægrè conficitur: prauũ
succum, si quis ipsa immodicè utatur, gignit: urinam prouocat, sed satiua q; B
agrestis minus, quæ ad medicinæ naturam propius accedit, multaq; eget eli
xatione ut in cibum recipiatur. Cari, seu carui radix, quàm pastinacæ, minus
uitiosum humorem producit. Tubera nulla insigni qualitate sunt prædita.
Quare simile quoq; alimentũ & frigidiusculum corpori prębẽt. Raphanus,
seu radicula, urbanis hominibus sola crudaq;, prima mensa, nonnunquã &
aceto alui ducendæ gratia sumitur. Rusticis cum pane cõdimenti, quàm ali-
menti uice, potius capitur. Extergit, & calefacit acri sua qualitate: ori suauis
est, stomacho inimicus: ructus & urinã concitat, bonam facit aluum, sed fla-
tus gignit, ordine tertio, calefacit, exiccat secundo. Caulis eius uerno tempo
re erumpẽs, etsi tenuiter, magis tamẽ quàm cruda radicula, elixus nutrit. Sí-
meon Zethi: In quibus uentriculus facile subducitur, nec flatulẽtus est, nec
supernatat cibus, his dari ante cibum debet, inquit. aliàs post cibum. Den-
tibus nocet, & articulari morbo laborantibus dolorem intendit, uocem rau
cam facit: sed sensus, & uisum, ac ingenium ac industriã securitatemq; con-
tra iniurias acuit. Iecoris obstructiones, & renum ac ueticę discutit. Allium,
cepa, porrum, corpus calefaciunt, & crassos in humores extenuant, glutino
sosq; incidũt. Bis ter ue aqua noua infusa, decoctaq;, acrimoniã abijciũt, ac
facultatẽ quandã obscurissimam alendi corporis, non omni etiã extenuan-
di ui perdita, assumunt. Allium præter hæc, obstructa soluit ac discutit, fla-
tus ac colicum dolorem & lumbricos pellit, lotium cit, uocem serenat. Pecu C
liari quadam ui sitim ex salso humore sedat, ex bilioso auget. Sanam oculo-
rum aciem etsi lædit, nihilominus humiditate hebetatam sanat. Semen geni
tale in corporibus calidis desiccat: in humidis uerò & frigidis calefacit, ue-
neremq; mouet. Pregnãtes & lactentes lædit. Elixum, aut prunis assum, pa-
rumper dum acredine spolietur, imbecillius redditur, sed praui succi nota
excussa. Cepa item & porrum faciunt, semel iteremq; decocta. Crudorũ ue-
rò istorum, ut acrium omnium, bilíosis summopere fugiendus usus est. Pi-
tuitosum uerò, aut crudum, & crassum lentũq; humorẽ colligentibus, accom
modata sunt. Cepa uerò inflat, semen genitale suscitat, sitim acuit, oculos ca
putq; mordet, grauẽ altũq; somnũ cõciliat, ac mentẽ lędit. Repleti stomachi
fastidia ante alias escas discutit, appetentiãq; reuocat: aluum & urinã ducit.

Ex quadrupedibus leporem.) Lepus arefaciendo corpori utilis est, crassum ac
melancholicum succum gignit, uentrẽ fistit, urinam proritat. Probè si conco
quatur, probè nutrit: iecur ac lienem obstruit, pulmoni nocet, uigilias adfert.

Quamobrem

A Quamobrē cur ualentib. eſcis nō adnumereť, haud ſatis intelligo. Cuniculi leporini ſunt generis, nec tēperie multū diſtāt, niſi quòd ſucci ſint aliquāto tolerabilioris: utriq; deteriores ſenio, probiores ineūte prima ætate habenť.

Aues omnes à minimis ad phœnicopterum.) Auium omnium genus leuiſſimum cibum præſtat, ſi cum quadrupedibus ac ſuilla compares. Itaq; ob facilē concoctionem, præcipuam laudem meretur. maximeq; perdix, attagen, columba, gallinaceus, gallina. At turdus, merula, paruí paſſeres, etiam turriculæ, illis duriores ſunt. Quos ipſos turtur, palumbus, anas ſuperāt. Phaſianus gallinis non ſolū concoctione par eſt, ſed & nutrimēto & cibi ſuauitate. Quam obrē eſt q̄d in genere hic ꝓtulit Celſus, nimis q̄ indiſtinctè ſcriptū, ut ſolēt eiuſmodi ꝓnūciata multa abſurda, obſcuraq;, & longa interpretatione egētia complecti, quæ ſedulum lectorē frequenter offendant ac remorentur.

Item piſces omnes qui ſalem non patiuntur.) Animalium corpora ea quę excrementitia carne conſtant, hoc eſt, quę pituitoſam humiditatem in ſe reſperſam cōtinent, ſalituræ ſunt apprimè idonea: eoq; magis, quo fuerit illa uel copioſior, uel craſſior. Quando, quæ admodum mollem, aut ualde ſiccū, minimeq; excrementitium corporis habitum præ ſe ferunt, ſalituræ apta non ſunt. Sal namq; ſimul diſcutit, incidítq; ſuperfluas, quas inuenit, humiditates: ſimul corpus ipſum colligit, cogitq;. Quare minus arida corpora ſal amplius exa-
B refaciens, cibo inepta reddit, humida exedit & abſumit. Quocirca nec leporem, nec bouem, adde ne ſuem quidem admodū uetuſtum, nec mullū quidem ſalubriter apteq; ſaliueris, quòd ſint hęc iuſto ſicciora. Vt coriacea ſale obruta ſis effecturus, non bonitatis opem allaturus ullam, niſi ſi quæ pinguedine paſturaq; benigniore opima inueniātur. Nec ediuerſo quoq; porcellum nefrendem, aut agnum, aut gallinam, aut caponem, aut molliculum piſcem, & excrementorum uacuum, ut ſaxatilem, aut puri maris aſellum, ſiue quòd excrementis hæc careāt, ſiue quòd humidiora ſalis ui contabeſcāt. Quare & ſolida ſint oportet, & ſuperuacaneo humore perfuſa, quæ ſalias decenter & opportunè. Cuiuſmodi ſit ſus obœſus, & ætatis conſtantis, aut iuuencus bene pinguis, & ſardæ, & miti, & pelamides, & cetacea omnia maris monſtra, rectè conuenienterq; ſale obrueris. At cetacea è piſcibus, quæ in fruſta diſſecta, & quæcunq; grandiuſculo conſtant corpore, ſale mergito: parua uerò, ſolida, totaq; ſale obruto. Quamobrem ut ea quæ ſolida ſaliuntur, in media materia rectè poní arbitror: ſic quæ ſalem nō patiuntur, omnia eodem albo teneri, non admodum crediderim. Niſi iam & paſſeres, & molliculos teneroſq; cæteros piſces hoc numero cenſeri permittemus: quòd ſit nō gradus modò eorū quæ ualentiſſima dicunť, magna latitudine diffuſus, uerumetiā eorum quæ in media materia ponunť, adeò ut ambigua quædā inuenias, quæ alia ratione ualentia, alia media uoces: & ſint quædā
C quoq; quæ modò mediis, modò imbecillimis annumeres. Vt ne interim dicam eſſe mortales, quibus infirmiſſima nō tantū media, ſed etiā robuſta ualentiaq; uideanť. Quoties alijs alia, & nō media mediis tantū conferantur.

Imbecilliſſimam uerò materiam eſſe.) Aut nihil, aut minimum alimenti, eiusq; tum humidi, tum fluxilis tenuisq; ſuppeditat, quicquid olerū nomine continetur: ut lactuca, ſeris, beta, malua, braſſica, atriplex, blitum, portulaca, rumex. Adde huc, nihil eſſe iſtorū tam boni ſuccí, ut omni culpa uacet. Quando ne lactuca quidem, quæ minimum damni infert, omni crimine abſoluta eſt. Cunctis ſiquidem alijs oleribus pauciſſimū ſanguinē & uitioſum generantibus, ex ſola lactuca nec multus quidē, nec magnopere uitioſus, haud tamen omni ex parte laudabilis, percipitur. quoniam frigidum humidumq; ſuccum largitur. Cui idcirco dum aſſumitur, ex acribus ſtirpibus aliquid addí ſolet: ut apium, ſmyrnium, menta, calamintha, eruca, porrum. Ex quibus poſteriora, & præterea ſion, equapium, allium, cæpa, ruta, hyſſopum, origanum, pulegiū, fœniculū, coriandrū, ſerpillū, naſturtiū, thymū, breuiter acria omnia dū uirēt, non tam alimenta q; alimentorū quædā obſonia iudicanť.

Quicquid in cauliculo nascitur.) Horei fugacesq; è cauliculis geniti fructus, A
sunt, cucumeres, cucurbitę, melones, pepones, melopepones, citrulli. Quib. id omnibus cõmune est, ut exiliter alant, & è corpore facile diffluant, ac corrumpantur ocyus; & ut sint flatulenta, & uitioso succo prędita. Quemadmodum sunt, quęcunq; humida fluxaq; substantia constant. Contrà quàm quę sicca sunt corporis coagmentatione constituta. Quæ ferè perennantẽ habitum, ac solidũ terrenumq;, ac probè alibilem obtinent. Bubula enim aut lens fluxum alimentum non præbebit unquam, nec cõstans unquam pepo, cucumis ue. Cucurbita q;, quę Græcè uocat̃ κολοκύνθα, frigida est, & humida secundo ordine, nullo singulari saporis genere prædita: sed quasi qualitatis omnis expers, fatua insipidaq;. Cruda stomacho pernicioſa est, & cõcoctu planè inexpugnabilis. Dũ probè cõcoquit̃, succi est nõ usquequaq; infelicis, sitim sedat: lotiũ cit, & uentrẽ: calidis siccisq; temperamentis prodest. Ventriculi quoq;, ac iecoris inflammationibus subuenit, pituitosos lædit, colicosq; morbos in ipsis creat, & si uitioſè præparet̃, aut prauos humores in uentriculo repererit, aut nimiũ in eodem cõmoret̃, corrumpit̃, & (quod fugacibus item rebus omnibus, humidæq; temperaturæ usu uenit) pernicio si succi redditur: Veneris appetentiam discutit, senemq; genitale minuit, & sanguinem pauxillum ac tenuẽ gignit, uti cætera omnia quæ aqueo tenuiq; humore conflata sunt: pectori & pulmoni ac uesicæ amica. Ob aqueã rationem cum origano iungi gaudet. Quæcũq; eñ talia sunt, acribus aut acidis, aut austeris aut salsis permisceri saporib. amãt, si quis modò cũ uoluptate ea capere, & nauseã euitare cupiat. Cucumis friget, humetq; secũdo ordine, mali succi & nutrimẽti: habet aũt quippiã prouocando lotio opportunũ. Quam libet bene feliciterq; cõcoquatur, si quis ipso immoderatius utat̃ longo tẽporis tractu, gelidũ, & utcũq; crassum humorẽ in uenis coaceruabit, qui postea haud facile in sanguinẽ cõuertatur: proinde omnib. mali succi edulijs, quantumuis probè à nõnullis cõficiant̃, abstinere in totũ consultũ est. Clàm eñ, sensimq; prauus in uenis ab ipsis succus accumulatur: qui uel leuicula putredinis accepta occasione febres sæuissimas, & mirè contumaces excitat. Capparis calida est, siccaq; secundo ordine. Constat primùm amaritudine quadam, qua mundat, purgat, scindit. Deinde acredine, qua calefacit, discutit, extenuat. Postremò & astrictione, qua cogit, firmat, roborat. Duros itaque lienes, quantum nihil aliud, iuuat. Et quoniam tenuium est partium, proinde minimum ex ipsa alimoniæ procedit: sed tamen è uiridi plus, quàm è sale condito: adeò, ut nisi sal, abluatur, nihil sit nutriturus: uerùm tum aluum subducit efficacius. Ablutus autẽ atq; maceratus tantisper dum salsuginem deponat, cùm minimi alimenti cibus est, tum obsonium est, ac medicamentum appetentiæ recreandæ, & deradendę deijciendęq; pituitę, & lienis denicq; iecoris q; obstructionibus eximendis, præsertim ex oxymelite, aut oxeleo ante alias omnes epulas, accommodatissimum. C

Omnia poma.) Arboreos fructus omnes, maximeq; fugaces intelligito. Exiguum siquidem omnes alimentũ suppeditant, aliàs multum inter se differentes. Quamuis & cæteri qui in uer aut hyemem asseruari solent, huc etiã proximè accedunt: fugiunt aũt mora, cerasa, corna, batina, persica, pręcocia, mespila: conduntur seruanturq; mala, pyra, punica, medica, uuæ, ficus, nuces iuglandes, & ponticæ, & pineæ, & generis eiusdem alia plurima. De fugacibus generatim omnib. & horeis, atq; adeò fructibus, ac rebus omnib. quibus mortales uti consueuerũt, scire oportet: Quicquid esculentũ, prauũ succũ unà cũ lubrica quadã humiditate cõtinet, ex facili idipsum descendere, eoq; in prima mensa assumi debere. Sic enim & celeriter pertrãsit, & alijs commodè præit, & tanquam uiam munit. Nam contrà si postremo loco assumatur, uitio facile inficitur, & secum protinus alia quæ sunt prægressa, in corruptelæ societatem pertrahit. Deinde fructus humidi omnes, tenuem humidamq;, & per corpus commeabilem, quæq; per urinas & cuticularia

spiramen

A spiramenta, ptinus exudat & euanescat, alimoniam præbent. Ideoq; oligotrophas escas, hoc est exigui nutrimenti hæc uocant. Nam solidæ consistentiæ fructibus amplior corpori, quod ad alimentū pertinet, fit accessio. Nec tam facile exolescit, maximè ubi crassū, aut glutinosum, aut astringentē succum possident. Quibus si iam adiungas ea, quæ in primum librum ex Galeno de Saporum ui & significatione protulimus, facile perspici licebit, qui fructus ac res omnes fluxam caducamq; & imbecillē uictus rationē habeāt: quiq; solidam ac constantem, firmamq; possideāt. Nam magnis interuallis plurimi dissident, etiā sub eodē genere cōprehensi. Contraq; tum uniuersi, tū plurimi quoq; multis uarijsq; nominibus cōsentiunt, atq; cōcordant. Distant, exēpli gratia, plurimū cotonea mala, & mora, cerasaq;. Distant à persicis præcocia, à regijs auellanę nuces, & ab utrisq; pineæ: qd hi bonū crassūq; succū et bene alibilē largiant ubi priores haud multū nutriāt, minusq; regię. Congruūt, q; omnes alant non usq; adeò multū. Sed hæc primū gustatu, & substātiæ tū densitate firmitateq;, tū laxitate & aquosa natura, fluxiliq;, deinde usu atq; experimētis quid ualeāt, quidq; efficiāt, homini sapiēti, & attēto inuenire & intelligere non erit difficile, nec stupido, insipidoq; facile.

Oliuæ perquàm infirmum corpori alimentum.) Drupas cū pane frequentius edunt homines, halmades uerò & colymbades sine condītas sine pane ante alias
B epulas cum garo, alui subducēdi gratia assumunt. Drupæ multū pinguis, posteriores multū astringentis succi cōtinent, quo nomine stomachū corroborant, & edendi excitant cupidinē. In quē usum etiā idoneæ sunt, quæ aceto reponunt: sed sunt hæ omnes frigidæ, ac siccę. Drupæ naturæ calidę, & in latus siccū inclinatæ. Quin & immaturæ, styptícæ quoq; sunt, & frigidæ, aridæq;. Non plus trecētis stadijs procul à mari, pueniūt oleæ. Muria, ut extra oleas hoc adijciā, colymbadū, gingiuas tumidas reprimit, & dentes firmat.

Cochleas.) Terrestres cochleę stomacho utiles sunt, & nō facile corrūpunt. Marinę item stomacho idoneæ sunt, & facile aluo excernuntur. Fluuiatiles, uirus olent: quæ uerò ueperibus frutetisq; glutinata cohærent, uentrē & stomachum turbant, uomitionesq; excitant. Celsum itaq; marinas hic maximè intellexisse, aut terrestres, arbitror. Nisi nos iam Galeni retrahat authoritas, qui limacum cochlearumq; carnem duram, & concoctu pertinacē esse asseuerat, eandēq; dum conficiat ualentissimè nutrire. Et succo genuino haud secus ac ostracoderma aluum deijcere, præcipueq; si ex oleo & garo uinoq; conditarū iusculū sorbeatur: carnē uerò donec tenereścat, identidē mutata aqua recoctā, uentrē astringere, & bene multū corpori alimentū præstare.

Itemq; conchilia.) Hæc ostracoderma & testata animantia uocant: quippe quæ pro cute testā, aut quid saxeū habere dicas. ut sunt buccinæ, purpuræ, chamulæ, uerticilla, ostreæ, hiatulæ, cæteraq; similia. Quibus id omnibus cō
C mune est, ut salsum in carne succū plus minus ue omnes, & aluū deijcientē habeant. E' quibus ostreæ mollissima omniū carne, & infirmissimè nutriente, & quæ procliuissimè uentrem subducat, constant. Cætera dura carne & compacta, tum etiam ualentius nutriente, & concoctu corruptuq; difficilio re cōposita sunt. itaq; elixantur hæc omnia. Solas uerò ostreas, citra coctura esse licet. Quanquā & in patinis coctæ gratiores, pipere uinoq; addito, minusq; pituitosæ, reddūtur. Et si diffusa aqua identidem recoquas, donec salsuram omnem quam continent genuinā, exuant, multo iam difficilius & cō coquuntur & corrumpūtur. Quin & crudum appellatum succū, quę duriore sunt carne prædita, maiorem in modum generant. Vt ea quæ mollioris esse carnis diximus, pituitosum incautius intemperantiusq; sumpta coaceruant. Duris autē illis, testaceisq;, crustata maris animalia, quæq; tenui testa quasi corio duro concluduntur, cōcoctionis modò, & firmitate cruditateq; alimēti sunt perquàm simillima. Verū paulo minus salsi humoris cōtinent, tamen nec exiguū quoq;. Talia sunt, astari, paguro, cancri, locustæ, gàmari. Quāobrē Celso ut uix bene qs cōdonet in imbecillissimis ostreas poni, certè

reliqua conchylia nemo unquã permiserit: propterea q̃ concoquant̃ omnia difficulter, etiam ostreæ quas alijs multo leuiores esse prædicauimus, & quandocunq; benignam concoctionem nanciscuntur, alimentum ualens, minimeq; contemnendum corpori exhibeant. A

Tamen etiam quæ sub eadem specie sunt.) Sub eadem specie esse dicuntur nõ modò res singulæ quæ communi aliqua natura continentur, sed quæcunq; generis pariter sunt ualentissimi, uel mediocris, uel imbecillissimi. Quorum ut ampla est in omnem partem latitudo: ita nunc in ualentissimis, quæ quibus sint ualentiora, & de medijs, quæ quibus sint moderatiora, & denicq; ex infirmissimis, quanto sint alijs alia imbecilliora, ostendet. Primumq; in specie formaq; rebus diuersis id faciet: mox etiam in ijs, quæ specie ac forma quidem consentiunt, cæterũ loco, natalibus, ætate, alijsq; nominibus discreta sunt. Quoniam hæc omnia longè distracta discrimina recipiunt.

Siquidem plus alimenti est in carne.) In ualentissimarũ rerũ cuncto genere nihil carne melius est, nihil firmius pleniusq; nutrit, non panis, nõ legumina, nõ belluæ marinę, quanquã hæ quoq; sub carne nonnunq; contineri solent: nõ aliud denicq; quicquã à natura, aut arte conditum. Cuius aliam firmiorẽ causam nõ inuenias, quàm totius substantiæ ac formæ abditã, occultãq; similitudinẽ & familiaritatẽ, quę usu rationeq; intelligi, uerbis explicari non potest.

Firmius est triticum quàm milium.) Nos tritico superius olyram proximam fecimus: quandoquidem milium quum primo sit ordine frigidum, siccumq; secundo, etiam malè concoquitur, & uentrem sistit, parumq; nutrit. Eosq; tantum iuuat qui uentriculi refrigerio & exiccatione indigẽt. Aliàs enim cum lacte humidius fit, meliusq; concoquitur. Quare & milio etiã multo est præstantior zeia siue spelta, adeoq; etiã quàm olyra tritico uicinior. Nam & plaridè exiccat, & facilis concoctionis, bonicq; succi est, & caloris frigorisq; media. Porrò milium ut panico per omnia præstãtius est, suauius siquidẽ editur, & facilius concoquitur, & uentrem minus coercet, & magis nutrit: sic haud scio, sit'ne etiam hordeo, certè optimæ notæ, melius. Cum enim milium penitus glutinoso pingui careat, panem præaridum, & friabilem instar arenæ, aut cineris suppeditat. Quare uel adipe suillo, uel oleo eius farinam, uel lacte potius subigere atq; corrigere, quo iucundius, alibilius, mollius efficeretur, ueteres consueuerunt. Neutrumq;, nec milium, nec, quod deterius est, panicũ, nisi frumentaceorum cæterorum in summa penuria, usurpari cõpertum est. Fateor tamen hordeaceos panes olyrinis & typhinis macriores quoq; esse, & aridiores, nec ipsos quoq; quicquam in se glutinis habere: adde his, & exiguam ex ipsis in corpus alimoniam concedere, præsertim si è uili hordeo concinnentur, hoc est tali, quod dum concoquitur, copioso succo non intumescit, nec satis candido, aut denso, aut ponderoso, aut pleno, aut tenso, aut rugarum uacuo. Quæ sunt omniũ seminum explorandorũ optatissimæ, præstantissimæq; notæ. Quales, licet triticeis multo minus alant, tamẽ ex probatissimo hordeo, easq; omnes quas modò docuimus notas habente cõparati, non tã cæterorũ uitijs sunt obnoxij. Certè promptissimè omnes boni maliq; subeunt, si cũ triticeis cõferant̃, nedũ cum miliaceis, similibusq;. B C

Et ex tritico firmissimum siligo.) E tritico multa panum genera confinguntur. E quibus siligineus omnium est tum purissimus, tum alimenti locupletissimus. Siligo enim modò triticum præstantissimum lectissimumq; denotat, modò lectissimi illius farinam optimam, & tanquam tritici delicias: è quo panes laudatissimi, & pistoria opera probatissima conficiũtur. In quo, quum tres partes spectentur, furfures, utriculi, flos: qui è flore puro præparantur, omnium sunt & nitidissimi, & delicatissimi. Sed nisi probius ijdem fermentati & elaborati, igni moderato percoquantur, ualentissimi & crassissimi, lentissimiq; nutrimenti percipiuntur: iecori, lieni, renibus obstruendis, calculisq; atq; articulorum uitijs generandis nimis quàm appositi. Qui è solis furfuribus fiunt panes, furfuracei nominantur, quales tenuiter alunt, & abster-

A & abstergente facultate per intestina, facile commeant. Qui è tritici omnib. partibus seruatis mixtisq; fingitur, ἀυτόπυρος & συγκόμιστος appellatur, medius ad unguem, seu materiam, seu uirtutem spectes duorum, quæ iam diximus, extremorũ. hoc deinde imbecillius alit, qui sordidus ac cibarius uocatur, magna ex parte ex furfure utriculisq; cum pauco flore constans. Sed ut inter medium & uilissimum, furfuraceũq; hic medius statuitur: ita inter purissimum ac medium alius intercedit, quem σεμιδάλιτην Græci, nos similagineum nominamus. Aut enim è purissimi tritici delicijs solis ac flore non conficitur, sed cum utriculis aut furfuribus paucis confuso: aut è uulgaris tritici parte optima, quam pollinẽ nuncupamus, tantum apparatur. Tanto illo medio è toto tritico ac siligine tota confecto, melior ualentiorq; : quãto è siliginis flore, aut certè siligine cõposito uilior est, infirmiorq;. Celsus omnia hæc genera, præter furfuraceum, quem mutis animantibus, quàm homine forsitan magis dignum uolens, dataq; opera prætermisit, agnouisse uidetur. Nam primùm siliginis meminit, quæ in tritico est multo omniũ firmissima: deinde similæ, ex qua eum concinnari posse arbitror, quem nos superius medium & syncomistum dici memorauimus, quemq; ipse infirmiorem censet eo qui è polline comparatur. Post hæc è polline constantẽ, quẽ similagineũ Latinè uocauimus. Postremò cibarij, quẽ nos tum eodẽ nomine, tũ
B sordidi quoq; insigniri tradidimus. E' quibus iã intelligitẽ, aliud esse interdũ simílã, aliud similaginẽ. Illa eñ uel uulgaris tritici forma est, uel eius farina: similago uerò similæ pars est purissima, quæ & pollen nominatur, & illi q̃d in siligine florem dicimus respondet. Quanq; pro similagine, quã nũc diximus, Celsi authoritate impulsi, multo frequentius similã uocari inuenias: à puritate quippe appellationẽ sortitã, ἀπὸ τοῦ σμῶ, quod est purgo, κὴ τ ἄλις hoc est satis. q̃d in xenijs suis propè declarat Martialis: Nec dotes poteris similæ numerare, nec usus, Pistori toties quũ sit & apta coquo. Pro polline siquidẽ, aut si quid polline melius, aut bonitate par sit, hic capi manifestum est.

Ex *leguminibus uerò.*) Faba sicca est, & frigida primo ordine, fungosaq; substãtia prædita. Quare & carnem præbet mollem, laxamq;, ac totũ corpus quocunq; modo parata, distendit, & inflat: fresa tamen minus. Ipsa nec impedit uias, & caret succi uitio. Quamobrẽ quæ salubriũ ciborum capita sunt, ipsa est sortita: præsertim quum qualitatẽ & uim etiã abstergendi, quemadmodũ hordeum habeat. Quo nomine & facile ipsa aluo secedit, & lomentũ, hoc est, farina fabacea cuti detergendæ ac poliendæ, est accommodata. Viridis immaturaq; si edatur, reliquorum fructuũ rationẽ, quos ante perfectam maturitatẽ ingerimus, obtinet. humidius enim corpori alimentũ infert, & excrementis cùm intestina, tum omnem corporis habitum implet. Minus itaque nutrit, sed procliuius deijcitur. Inflandi eius, ut aliorũ quoq; ciborũ om-
C nium, ratio, calefacientibus & extenuantibus, origano, saluia, cæpis additis, corrigitur. Pisum simile quid tota substantia cum fabis obtinet: non tamen perinde inflat, nec similiter abstergit. Segnius idcirco non modò per aluũ secedit, sed & uenerẽ minus proritat. Quare sit ne piso faba ualentior, non iniuria quis dubitauerit. Nam de lente, quin utrãq; exuperet, nemo ambigit. quæ frigida est primo gradu, & secundo sicca. Cortex eius uehementer astringit, caro tenuiter, quæ crassi succi & terrestris est. Iusculum quo primo decoquit, planè est cortici cõtrariũ. Sale enim, & garo, oleoq; conditũ aluũ deijcit. Bis recocta, stomacho & intestinis, ac uniuerso uentri firmitatẽ cõparat. Vtilis ergo coliacis & disenterijs est. Detracto cortice, fractaq;, si coquatur, minus siccat & astringit: sed magis nutrit, & pigrè transit. Qui ea crebrò uescunt, si malus ipsis ineſt habitus & aquosus, utilis est: si aridus squalẽsq;, noxius: si melancholicus, elephantem morbum, aut cancros, aut durities, & neruorum dolores, atræq; bilis affectiones parit. Venerem, ac semen genitale extinguit, mala insomnia facit.

Firmior brassica, & beta, & porrum.) Brassica, quæ græcè βράμβη dicitur, calida

est & sicca primo ordine. Infirmior lente & humidior, nec solidæ substantiæ, sed fungosę: succi illaudabilis, & noxij, & graueolentis ac melancholici. A
lus expurgandi uim quandā obtinet, nitrosa quadā ratione, uti & lens. Corpus ipsius solidū siccitatis genuinæ ratione aluū cogit, cohibetq́, præsertim bis iterumq́ mutata aqua recoctū: insomnijs dormientem turbat. At leuiter elixū proprio succo aluū subducit. hyberna quàm æstiua brassica melior est: lotiū cit, lumbricos tollit, & quæ ex uino fit, crapulā discutit: ante omnem alium cibū prę sumpta, ebrietatē arcet: oculorū aridorū aciem hebetat, humidiorum acuit. Pinguí cum carne cocta, mitius lædit: succus eius cum melle magnificè uocem iuuat: flos genitale semen corrūpit. Beta calida est, & sicca in primo gradu: huius rursus corpus crassum est, & flatuosum, & frigidū, & difficile concoctu, uentremq́ siltit: succus abstergendi facultatē habet, & aluo ciendæ aptā: stomachum præsertim sensiliorem ipsa demordet, largius cōmansa etiam infestat. Ipsius, ut aliorū olerū, exigua est alimonia. Contrà iecoris obstructiones, cum aceto utiliter sumit. Pari pacto & lienosis bonū præbet medicamentū. Lactuca frigida est & humida tertio gradu, reliquis oleribus facilius concoquitur: calidis uentriculis prodest, sitim sedat, somnū inducit, modicè aluum irritat: si ad saturitatē edatur, uisum hebetat, corpus debilitat, Venerē imminuit. Asparagus olerū omniū maximè nutrit, quamuis ne multum quidem ipse: at ita tamen, ut mediā inter olera ac carnes esse B
putes. Vrinam & menses prouocat. Renū iecorisq́ obstructiones aperit. Colicos dolores, aut renum, è pituita natos sanat: semini genitali adijcit: celerius quàm cætera olera in sanguinē cōmutat: dentibus prodest, stomacho minus officit, si mediocriter coctus è garo oleoq́ cōditus assumatur. Quare Celso non admodum assentior, quàm brassicā, aut betam, minus alere.

At *ex fructibus surculorum.*) Ficus uuæq́ autumnaliū fructuū, quos ὀπώρας appellant, caput, honorq́ sunt. Atq́ fugacibus omnibus præclarius nutriunt, minimeq́ praui sunt succi, modò absolutā sint maturitatē adeptæ. Carnem tamen nec firmā, nec densam, sed fungosam, & cum uuiditate quadam flaccescentem generant, & uentis uentriculum distendunt, si integrè nō concoquantur. Vuæ ficubus minus alunt, & nisi maturè per aluū subeant, grauiter nocent. Ficus modò probè in uentriculo cōficiant, noxam nullā pariūt: uuæ uerò crudum humorē procreant, qui non facile in probū sanguinem conuertatur. Acinorū nuclei nō secus atq́ ficaria granula inalterata, nō mutataq́ per aluum atq́ intestina transmittuntur. Obscurè quoq́ in uentre immutat, quæ foris circundata est membranula. Caro quæ intus supereſt, cum eo succo qui in uinum exprimitur hausta, uentrem magis laxat: magisq́ etiam sine carne solus succus, quem mustū appellāt: qui flatibus uentrem, nisi citò pertranseat, nōnihil distendit. Nutrit itaque hic succus utcunq́, sed carnea substantia imbecillius. Vuæ autem quibus plurimū carnis ineſt, ge- C
nerosæ nominantur, & plurimum nutriunt. Pensiles inflandi malignitatem deponunt, ac tales fiunt, ut quòd incuses nihil omnino habeant. Verùm omnium tutissimus illarum usus est, quarum natura carneo liquore constat, cumq́ hoc maturitatem absolutam sunt adeptæ. Quas etiam ipsas, optimasq́, nedum cæteras minus bonas, intra modum ac saturitatē esse decet: ficus autem bene maturæ paulo minus omni prorsus noxa uacant, iam uel caricis exæquandæ. Quæ quamlibet multiplici utilitate cōmendentur, crebrius tamen, largiusq́ si comedantur, sentiūtur nō innoxiæ. Nam improbū inferunt sanguinem, quē pediculorū agmen comitat. Incidunt & extenuāt, Vnde & aluū ad excretionem stimulant, & renes expurgant. Iecori lieniq́ obstructis, incidentibus & tenuantibus atq́ abstergentibus iunctę, nō mediocriter auxiliantur. Inflammatis ijsdem plurimum officiunt.

Nuces.) Tam iuglādes quæ regiæ, quàm auellanæ quæ Ponticæ nominantur, utræq́ in multo sunt usu, quamuis haud multum nutriant. Valentiores sunt auellanæ, & densior strictiorq́ earum est substantia, ac minus oleosa.

Contrà

A Contrà iuglandis laxior uaniorq; natura est, cum multa pinguedine. Initiò etiam ante maturitatem astringentis qualitatis particeps, quæ tempore exo lescit, tota eius substantia postremò in pinguem & oleosam transeunte. Viridis etiamnum humida est, & aquosa, neutra qualitate iam dicta euidenter prædita. Ipsa, quàm auellana, facilius cõcoquit, & stomacho est utilior: mul toq; magis, si cum ficubus edatur. Amygdalæ neq; ad aluũ soluendam idoneæ sunt, neq; corpus ualde nutriunt. Substantia ferè cum iuglandibus con sentiunt, etsi tempore ac uetustate minus pingues euadunt. Crassa glutinosaq; è pectore ac pulmone efferendi uim possident, præsertim quæ sunt ex ipsis amariusculæ.

Palma.) Palmulæ quũ sint in multiplici differentia, omnes uel dulcedinis præcipuę, uel astrictionis quippiã resipiunt, atq; utrunq; etiã omnes. E' quibus dulciores, calidiores sunt, & magis nutriunt: austeriores, frigidiores, & plus roborant. Vtræq; crassum succum generant, maximè pinguiusculæ. Et si qua insignis dulcedo accedat, iniuriam obstructionis iecori, lieniq; haud uulgarem minitantur.

Quæ poma propriè.) Poma sunt, quæcũq; molli foris cortice, cuteq; integũtur. E' quibus quædam fugacia sunt: ut mora, persica, præcocia. Quædã conditiua, quæ prius exiccari possunt quàm corrumpi. Sunt autem uniuersa exi
B gui alimenti, sed minimi, quæ reponi nequeunt. Quorundam, non adeò cibi, atq; medicamenti, stomacho uentriq; robur, facientis gratia, usus quæritur: ut cotoneorum, punicorum, pyrorum, mespilorum. Cætera pro substantiæ suæ firmitate aut mollicie, proq; qualitatis melioris nota, plus minus ualent & officiunt, firmiora firmius, succosa dulciaq; quàm arida aut acerba ualentius nutriunt. quæ gustatus facile dijudicabit, atq; discernet.

Item ex his auibus.) In media specie posuit aues omnes, à minimis ad phœnicopterũ. Quod uti nos omni ex parte nõ probauimus, sic ne hoc quidẽ, quę in genere in hoc præsente loco dicta sunt, sine formæ ullius distinctione admodũ probare atq; recipere possumus. Non eñ continuò ualentiora sunt, quę cunq; pedibus q̃ uolatu magis nitũtur. Non enim gallinã quàm palumbũ, quàm accipitrem, quàm coruũ, quia pedibus quàm uolatu magis nititur, firmiorem esse rectè putaueris. Rursus ex ijs quæ uolatu fidunt, non protinus quicquid corporis mole præstat, idem & alimenti uiribus antecedit. Quis enim à columba quàm merula, aut ab anate quàm turdo, plus solidi cibi speret? Nec satis intelligo, quo pacto ficedulam in corporis paritate turdo adiungat: quum illam passere haud multo maiorem esse constet, turdum uerò non paulo ampliorẽ. Sed possint hæc fortasis, si quis acutius intendat, utcunque defendi. Illud, quo nomine excuses, nõ uideo, quæ in aqua degunt, leuiorem cibum præstare, quàm quæ natandi scientiã non habent. Primùm
C enim in ualetudinis cura damnatur omnibus, qui uel ingenio, uel palato, uel eruditione excelluerunt, quicquid è uolucribus non modò stagnis, paludibus, lacubus immoratur, sed etiã quicquid ab aquis escam uenatur, aut crebrius circa easdem diuersat̃. Deinde aquaticũ nihil est, etsi alijs alia sunt minus uitiosa, quòd non superuacaneo humore atq; excremento redundet, ut & parũ alimenti certè boni, & excrementitij multũ suppeditẽt. Plurimũ eñ interest, in escarũ ex animantib. censura, non modò quo pabulo ac uictu unumquodq; sustentet̃, sed etiã quo loco quãtaq; in desidia aut labore uitã degat. Nam è uictu improbo, proba cõparari caro non potest. E' frigido calor sperari non debet, nisi quantũ natura animãtis coquendo imprimere solet, & palustriũ & stagnaliũ: adde, propè aquatiliũ omniũ carnẽ, uel humidã, uel excrementitiã, uel cõcoctu difficilem, uel omnib. his modis uituperabilem reddi, in confesso est. Quę uerò in montib. ac locis siccis uagantur, siccã earũ carnem effici, & excrementis uacuam, ac facilem omnino concoctu, nisi per se aridi duriq; animalis sit, compertum est. Domi præterea, & in ocio habita, ut plus sæpè speciosæ obœsitatis ac adipis nanciscuntur: ita ferè

excremen-

excrementitiam magis, superuacaneamq; alimoniam præbent. Bos in aruo A
quàm in stabulo saginatus, præstātior est. Et suilla liberi animātis, quàm arcto porcili coerciti, melior est: si modò pasturā, si ætatem, si cætera similia faciamus. Quies siquidē mirificā ac spectatu iucundā speciem, sed quæ multis excremētis redundet, colligit. Labor probo nutricatu, & integro puroq; corpore esse facit. Quo nomine è sue sylvestri, quàm domestico etiā libero, salutarius est nutrimentū: & è grege, hœdus exemptus, quàm domi pastus, conducibilior est: nisi sit ille & macilētus strigosusq;, ac corrupto, neq; sibi cōuenienti pabulo nutritus: hic sit firmus ac uegetus, proboq; ac idoneo victu habitus. Quocirca gallinam altilem, & caponem tenebris & loco cōstricto, ciboq; bono coactoq; infarctū: quàm libero tum aere, tum loco macie confectū, potius expetiuerim. Et agnū aut porcellum domi adultum, quàm à matre in agro recens divulsum, potiorem duxerim. adeò multum refert, qua quodq; animal ætate, quo loco, quo pastu, qua ratiōe educatū assumat. Sylvestria quàm domestica minus habent superuacanei excrementi: quæ senio prærarida redduntur, ut boues, cerui, cuniculi, lepores, prima teneraq; ætate magis cōmendantur. adeò, ut exectos è matre cuniculos in primis delicijs haberi cœptū sit, uitulos autē non item. quos pariter ac hœdos, nec à partu calētes, nec corpore fluxiles, desiderari probariq; cernas: etsi plurimū istis uitij, magisq; etiā agniculis & porcellis assatione demi uideas. Verùm B
optimū unumquodq; tum est, quū neq; senectute squalet, neq; corpore nouo diffluit, sed aridi duriq;, & mollis ac fluidi iam mediū obtinet. Vnde quo longius in cōtrariā alterutrā partem abscesserit, hoc minus in probis ducendum est. Quanquā sunt, quæ omniū generū tanquam media saluberrimaq; statuas, non ætate, non pastu, nō educatione tantū. Quibus interim additis, haud minimā melioris tum notam cōsequunt. cuiusmodi sunt quæ primo libro, & hoc ipso paulo antè prima elogij laude dignati sumus. Quę, quamuis pleraq; nonnihil inter se differant, tamen mediocris rationē, quæ latè patet, omnes subeūt. Atq; ita hæc ipsa quæ iam protulimus, non paulò plus notitiæ ualetudinis suę, uiriumq; animantiū studioso sunt allatura, q; quę parū & distinctè, & ut summa breuitate fieri solet, haud satis explicatè, confuseq; sunt à Celso scripta. Quod ad ficedulam aut turdum attinet, illa à ficu dicta est: quòd ea, ut inquit Varro, ficu pinguis fiat. Martialis itaq; libro 13. Cum me ficus alat, cū pascar dulcibus uuis, Cur potius nomē nō dedit uua mihi? Plin. lib. 10. cap. 29. Ficedulas formā simul, coloremq; mutare tradidit. Nec hoc nomen nisi autumno habere, sed postea melancoryphos, & atricapillas, à summi capitis nigredine uocari. Auicula est in uinetis Italiæ frequens, grasmuscho similis, nostris regionibus inuisa. Ne quis esse putet melancoryphum, quam nostri uocant blœtuyncā: quæ ueterū est rubicilla. Gel. lib. 14. cap. 8. scribit fuisse, qui negarent ullam auem, præter ficedulam, totā cōmesse C
oportere. Superiorē partem aliarū auium atq; altiliū qui ederent, eos palatū non habere. Turdus uerò, κίχλα, germanicè eyn krammesuoghel uocāt. Aristoteles tria genera recenset. unū uiscinorū, quòd uisco resinaq; uescat, magnitudine picæ. alterum pilare, magnitudine merulæ. tertiū minimum inter hæc, quod lliacū quidam nominant. hyeme turdus colli alio colore q; æstate spectat, maximeq; in Germania. Horatius turdo nil melius esse scripsit. Cui Martialis quoq; subscribit: Inter aues turdus, si quis me iudice certet, Inter quadrupedes gloria prima lepus. Quo uerò inter aues loco medicis habeatur, suprà semel iterumq; dictum est.

Inter domesticas uerò quadrup.) Suillā ut optimi esse succi carnē fateor, si cuius modò ipsam uentriculus concoquat, & ex ea iecur bonum legitimumq; sanguinem cōficiat: sic eandem leuissimā esse, nescio an quispiam physicus, qui rerum naturas perspectas habeat, id Celso largiatur. Nam si quæ aliàs de ea protulimus, uera sunt, nec leuissima suilla, nec grauissima bubula: sed optimi succi & ualentissima suilla dici debet, & melancholici succi bubula, &

alimenti

A alimenti nec exigui, nec discussu facilis esse, quamq; illa concoctu difficilior omnino pronunciari debet. Verùm ætatem hic rursus utriusq; accuratè animaduertere opportet: quoniã suis ætate uigentis caro bene habilis iuuenibus, & robustis, & aliquo se labore fatigantibus cõuenit: ijsdemq; bouis caro competit, non quidem ætatis mediæ ac florentis, sed tantummodo non dum adulti. Est nanq; bos sue temperatione multo siccior: ut suem optimũ sub constante ætate propter natiuã humiditatẽ credas: & bouem iuuencũ, aq; uitulum etiamnũ adolescentẽ, itemq; & hœdum, cõcoctioni & cibo propter genuinam ariditatem aptissimũ existimes. Licet sit capra rursus boue multo minus sicca, quemadmodũ & homine quoq; longè minus est humida. Certè porcellorum caro tanto excrementis abundat pluribus & uuidita te, quanto est humidior, ac natiuitati suæ propinquior. Ideoq; & imbecillius alit, & citius per corpus digeritur, ac ocyus dissipatur. Agnina porrò humidissima est, & planè pituitosa. At ueterascentium animantium omniũ caro, & à concoctionis, & succi, & nutritionis laude eo remotius abscedit, quo fuerint illa prouectiora: adeò ut suis quoq; tametsi propria temperantia madidioris caro semidura, & concoctu iam pertinax efficiatur, idq; plus minus pro cuiusq; hominis uiribus, atq; temperie. Est enim bubula, quàm caprilla uetus, durior, & hæc quàm porcina: & porcina rursus quàm ueruecina: quæ
B & ipsa duritie præstat, si uetusta est, gallinaceis antiquis atq; turdis. ut ueterem etiam gallinam cum florente comparatam, duram aridamq; uerè appellemus: cum bubula qualicunq; collatam, teneram & molliculam uocamus. Quare in ætate animalium, plurima ipsorum laus & uituperatio posita est. Nec minimum confert, præter cœlũ, locũq;, pastio. Boues enim probissimè pinguescunt, & optimè habito corpore cernuntur, dum maximè uigent pascua, dum herbæ magna passim tum densitate, tum fertilitate matureſcunt, hyemeq; minus multo ualent. Oues primo medioq; uere, quòd humili herbarũ carptu gaudeãt, melius agunt. Caprę aũt ineunte æstate, et eius medio, quoniã tum fruticũ germina, quę illis in cibo gratissima esse solẽt, copiosiss. suppetũt, lętissimè, saluberrimeq; degũt. Quamobrẽ fatuũ ac stolidũ est, protinus de animantis aut rei qualiscunq; natura pronũciare, quid efficiat, quid ualeat profiteri, nisi ætatẽ, nisi habitũ, nisi pastionẽ, & cœlũ solumq; prius animaduerteris. Aut si quid unquã dicaſ, id ad hominẽ tẽperatissimũ relatũ, & de re ipsa integerrima, & pro sua natura etiã tẽperatissima intelligi debet.

Itemq; ex feris quo maius quodq; animal.) Nec in uolucribus, nec in domesticis animantibus, e corporis mole satis firmã ualentis aut imbecillis alimenti notam accipi ostendimus. Sed sunt rerũ inter se formæ & temperaturæ comparandæ: hircina siquidẽ, tum in succi probitate, tum in concoctionis munere omnium est ineptissima, mox arietina, tum taurina: non quòd corpora cum
C corporibus sic sint magnitudine constituta, sed quod temperamenta cum temperaturis collata, talia deprehendantur. Corporis magnitudine, quàm carnis facultate ouis capraq; magis conueniunt. Et est asinus boue minor, non tamen idcirco cibo aptior. Sic in feris leo ceruo minor est, non eam tamen ob rem minus carne ualet. Vulpes hinnulo corpore inferior est, non tamen est ideo eius caro uel mitior, uel esculentior. Plurimum à lepore ceruus distat, si corporis molem spectes: minimũ abest, si temperiẽ contẽpleris. Quare ferarũ formas ac temperamenta, qualia iam antè tradidimus, nõ perinde corporis molem ac uastitatẽ inspicere cõueniet. Nisi quòd grandẽ ceruum, aut leporẽ, aut hinnulũ, aut aprũ, quàm paruũ eiusdẽ generis firmiorẽ rectè credideris. nõ sanè, quia minor est, sed quia uetustior. Nec hæc aliaq; passim, ita in Celso dico, quasi carpendi eius studio ac libidine efferar: quem miror unicè, & ueneror maximè, ob summam eruditionẽ cũ eloquentia copulatã: sed quòd ita eius breuitatem extendere, & obscuritatẽ declarare, & inuoluta explicare necesse sit. Quæ incautis alioqui, atq; indoctis, magnam uel erroris, uel ignorantiæ occasionem essent datura.

Piſciumq; eorũ qui ex media.) Piſciũ laus omnis duabus omnino è rebus capi A
poteſt. Ex ſubſtantiæ & carnis ratione, & à loco educationis. Quorũ enim
caro friabilis eſt, & neq; grauiter olet, nec inſuauiter ſapit, nec mucoſa uel
pinguis, aut certè minimũ cernit: deinde quæ in puro ac libero tantũ mari,
undis flatibusq; iactato eſt enutrita, palmã ea bonitatis in omnib. ſine ulla
cõtrouerſia ſuo ſibi iure uendicat. utpote quæ & tardiſsimè cõputreſcit, &
ſucci bonitate, edendiq; uoluptate cęteras longè antecellit, ut tutiſsimũ pro
inde ſit, talẽ perpetuò aſſumere. Eiuſmodi ſunt, quos pelagios piſces, & ąs
ſaxatiles uocãt. Sunt aũt ſaxatiles, ſcarus, merula, turdus, ficedula, perca, iu
lia, quoniam ſaxoſis in locis, aut circa promontoria deliteſcunt & pariunt.
E' quibus ſcarus facile gulę principatũ tenet, tũ merula ac turdus: deinde fi-
cedula, iulia, perca. Facilè enim hi concoquuntur, & ſalutare cum primis ali
mentum præbent, ſanguinemq; optimæ notę procreãt, nec tenuẽ admodũ,
nec aquoſum, nec magnopere craſſum. Proximi his ſunt bonitate pelagij, ut
bugloſſæ, lupi, mulli, aſelli, capitati, rhombi, ſi è mari ſuo non digrediantur.
Nam impendiò hi deteriores euadũt, ſi è puro mari in id quod fluminibus,
aut aquis dulcibus commiſcetur abceſſerint: magisq; etiã, ſi mare egreſsi in
oſtia fluminũ impura cęnoſaq;, aut flumina ſimilia enatauerint. Pingueſcũt
ſiquidem tum plus æquo, & uitioſo nutricatu atque excrementitio infarci-
untur. Nã rapidis è fluuijs, & urbiũ ſordibus nondũ inquinatis piſces melio B
res cenſentur: longè tamen infra uel ſaxatiles, uel pelagios genuinos. Por-
rò ſuperioribus etiã uitioſiores ſunt paluſtres, peioremq; iſti carnẽ exhibẽt,
præſertim ſi in limo ac ſordibus uictũ quærítent: hoc em nomine nulli nõ ui
tuperari debent. Sed magis ſi in ſtagnis id ipſis uſuuenit, ijsq; & paruis, &
uel rarò, uel nunquam ſeſe exonerantib. Quando & uitioſè ferè hi omnes
tum olent, tum ſapiunt, & corrumpuntur citiſsimè, putidiſsimeq;: nec faciles
concoctu, nec alimento laudabiles. Nam partim recrementitia ſuperfluita-
te, partim maligno ſucco corpora humana imbuũt. Atq; hinc facile, qui ſint
è piſcibus cuiuſcunq; generis uituperadi, qui ſint laudãdi, clarè perſpicueq;
intellígitur: pariterq; cognoſcitur amplam eſſe ut primi poſtremiq;, ſic me-
dij ordinis, mediæq; materiæ cùm in rebus cæteris, tum in piſculentis latitu-
dinem. Firmi enim ſunt, qui ſalſurã patiũtur: ut mugil, aſellus, ſalmo, rhom-
bus. Imbecilliores, qui minus ſunt duri, ut bugloſsi, ut paſſeres, & quos ſaxa
tiles pelagiosq; ſuprà appellauimus. Scarũ ſiquidẽ extra ſaxatiles poni, non
admodum probare poſſum: qui ſicubi in ſaxis non oritur, protinus degene-
rat: nec planis ſimpliciter omnibus, quorũ pleriq; pelagij ſunt & uocantur,
lupos, mulloſq; leuiores eſſe. Quanquã lupi caro ſanguinẽ tenuiorẽ, ut ge-
nus totũ pelagiorũ, generat. Ac mullus quidẽ cõtrà, pelagijs uniuerſis alijs
duriorem eſcam, plenioremq;, ſi probè concoquatur, ſuppeditat, & eximiè
alioqui in cibo iucundus, maximeq; laudatus eſt. C

Neq; uerò in generibus rerum.) Tranſitio eſt, quæ quid dictũ ſit breuiter in me
moriam reuocat, dicendaq; proponit. Sunt ea primũ ætatis, deinde mem-
brorũ, hinc cœli ac ſoli, poſtremò habitus in animantibus eiuſdẽ formæ di-
ſcrimina. Quæ, quia nos cuiuſmodi ſint propè ſuperius doctrina abſoluí-
mus, non admodum iam ijſdem immorari libebit, niſi ſi quid breuiter, non
dictum, etiamnum adijciendum uidebitur.

Nam quadrupes animal.) Quid ſenium, quid ætas tenera, quid media noui in
quoq; animante apportet, ſuprà explicatũ eſt. Seniũ in omnibus duritiem
ariditatemq;, ac alimenti penuriam ac prauitatem eo maiorem, quo fuerit
prouectior, adfert. Tenera ætas excrementi & humiditatis ac lentoris hoc
plus confert, quo animans fuerit natura humidius, quemadmodũ de nefren
de & agniculo dictũ eſt. Nam ſi quæ ſuapte ſunt natura aridiora, ea cibo, dũ
noua ſunt, minus inepta percipiũtur: ut eſt hœdus, ut hinnulus, ut in genere
uolucrum quę duriora eſſe docuimus. Cętera enim ut mala dici nõ poſsint,
tamen ualde ſunt tenera, & imbecillia: ut pullus gallinaceus, aut attagenis,

aut

A aut perdicis. Minus etiã aliquanto posteriores, quàm primus, minusq; paulo adultior, quàm recens editus. Media ætas in humidioribus, quæq; eã pone sequitur, cæteris præstat, quæ mediam antecedit in siccioribus. Sed nihil horum in angusto admodum cõcludendum est. Est etenim cuiusq; boni ac mali uasta amplitudo, quæ plus minusq; pro rei subiectæ natura efficit. Sic adultam suem cum certa latitudine, hominibus ijs qui in constanti atq; adulta ætate sunt constituti suademus: sic increscentem in ætate uergente & inclinata: sic denicq; in lucem nuper editam senibus, sic recens natam aut senio confectam nemini consulimus.

In piscibus quoq; media ætas.) Diligenter in piscibus nõ modò quantũ quodq; genus molliciei ac humoris superuacanei, & quantum duritiei aut crassitiei contineat, spectandum est: sed etiam recens an uetus sit, probum an improbum, inuestigandum. Molles enim, ut aselli, murenæ, bugloßi, passeres, media sua ætate, aut si proximè summam magnitudinem impleuerint, laudatissimi sunt. Duri uerò, ut draco, cuculus, scorpius, congrus, paruí thynni ac pelamides, etiam ante mediam ætatẽ, & dum adolescunt uegetiores, probioresq; deprehenduntur. Qui præ tenerítudine fugiunt, aut præ duritie commandi uix queunt, in primis uitandi sunt. Quare gustatu primum atq; olfactu, tum ipso usu ac ratione quid quæq; res ualeat, perdiscendum est, &
B cum his hominum sint discrímina, accurate conferenda. Non enim quale uinũ quodq; esse scribimus ac docemus, tale in se quisq; protinus fieri sentiet. Rerum enim naturã qualis ipsa in se, & cũ optimo medioq; homine, quod sæpe iam, quia perpetuò memoria tenendum est, inculcauimus, comparata esse intelligitur, ars docet, præcipitq;, non qualis esse à quouis homine percipitur. Cholericus duriora ꝓbabit, melãcholicus ac pituitosus, cõtraría molliora q;, modò huic sicca, illi madida adhibeãtur: his ítẽ calida, calidisq; rebus probe condita, ut thymo, satureia, pulegio, hyssopo, origano, calamintha, nasturtio, saluia, ruta, apio, cinamomo, cassia, nuce moschata, cariophyllis, pipere, similibusq; congruunt. Cholericis frigida, frigidisq; emendata, ut lactuca, atriplice, malua, portulaca, aceto, caphura, santalis, si quæ huiusmodi genuina inueniantur, conueniunt. Plurimum quoq; præter hæc refert, quali quisq; à puero natura fuerit præditus, & quali uictus generi assuefactus. Nam suã unaquæq; regio diætam, suos quisq; locus ac populus omnis habet mores. Educatio consuetudinem parit, consuetudo alteram quasi naturam adfert. Quanquã ea si mala sit, malè demũ hominem mulctare solet.

Deinde ex eodem sue ungulæ.) Quantam animantiũ in totis suprà generibus ac formis ipsorum inter se differentiam esse tradidimus, tantam partiũ quoque discordiam esse existimandũ est. Quàm enim ceruus à sue, sus à boue, bos à capra, & hæc à pisce, piscis à gallinaceo differat: tã caput à capite, pes
C à pede, rostrum à rostro, auris ab aure, denicq; quodq; membrum ac uiscus à simili membro ac uiscere discrepat. Adde his ætatem, solum, cœlum, cæteraq;. Tam enim membra, partesq; cuncti animãtis per hęc dissident, quàm procul per eadem absunt integra. Quantum etenim sus uetus à sue media distat & discrepat, tantũ ueteris auris, rostrum, iecur, lien, à mediæ similibus partibus dirimitur. Quocirca quæ de partibus membrisq; hoc loco præcipiuntur, ad sui generis mediam, aut certè optimam ætatem cum homine temperato, medioq; conferre oportet. Vnde, quisquis mente ac ratione ualebit, facile eadem ad omnem ætatem ac temperaturam accommodabit. Vngulæ igitur cuiusuis animalis, & rostrum, & auris, atq; extremæ corporis partes, ut minimum pinguedinis, ita carneæ substantiæ quoq; exiguum continent. Quippe in quibus neruorum ac cutis natura prępollet, sed alia quàm in reliquo corpore: propterea ꝙ sint hic magis trita, & exercitata: ideoq; etiam si elixes aut coquas, glutinosiora. quapropter meritò & tenuiter corpus alunt, & expeditius per aluum lentoris sui nomine delabuntur. At pe-

des suilli magis quàm rostrum probandi sunt. uti hoc ipsum etiam magis A
quàm aures, quæ sola cute ac cartilagine præstant. Cutis sicca est ac tenuis,
exiguique alimenti, ac egrè concoquitur: cartilago uerò si ab adultis quidem
sit animalibus, ne confici quidem ipsa potest. Si ab etiamnum adolescenti-
bus, modò dentibus bene cõmansa sit, & in uentriculo concocta, pusillum
alimenti quippiam præbet. Cum his itaque aliorum quadrupedum extimas
partes eodem pacto comparabis. Quorum caro quanto suilla est bonitate
inferior, tanto & excarnes ipsorum partes suillis iam dictis deteriores sunt
æstimandæ. Ex agno hœdoque cum petiolis totũ caput probatur, nõ alimen
ti sanè uiribus, sed probitate quadam singulari. Cerebrum pituitosius est, &
crassi succi, tum tardè etiam commeat, atque ægrè cõcoquitur, stomacho in-
eptum, nauseamque cõcilians. Cibum idcirco auersantibus præbere non de-
cet. Cęteris si dederis, quæ calefaciant atque incidant, ut origanum ac salem, si
miliaque adiungito. Quod qui rectè conficere poterit, alimentum experietur
haud infimæ notæ, aut uirtutis. Volucriũ nulla in re est præstabilius quàm
quadrupedum, præsertim auicularum montanarum: propterea quòd ex
his sit siccissimum. Ossium medulla cerebro dulcior est, ac pinguior. Libe-
ralius assumpta nauseam item prouocat: & si probè concoquatur, benigni-
ter alit. Spinalis medulla simillima est cerebro, nisi quòd quanto à cerebro
longius distat, ac ossi sacro propinquior est, hoc fit aridior, minusque tum pin B
guis est, tũ nauseã cõcitat. Lingua laxioris & exanguioris carnis rationẽ prę
se fert. Ipsa è suibus cũ suis musculis & epiglottide ac larynge, glãduliseque exi
mi solet. Glandulæ tantũ à linguæ natura, quantũ hæc à carnis ratione, de-
generant. Iucundæ autem, & teneræ uescentibus apparent. At mammarum
quũ lac habent, maximè è suibus, dulcedine commendatur. Bene si conco
quantur, alimentum propè instar carnis largiuntur: si minus, humidũ ac pi-
tuitosum, crudumque generant humorem. Ex glanduloſis corporibus etiam
testes sunt, sed ferè ægrius concoquuntur, & malum succum ac uirosum prę
bent. Suilli tamen, si belle concoquantur, tanto alunt magis, quanto caro su
illa reliquis præstantior est. Soli gallorum omni ex parte optimi sunt, & iu-
cundissimi, præsertim lacte seroso saginatorũ. Renes mali succi sunt, & ægrè
concoquuntur. Iecur crasso succo constat, suis tamen caricis pasti suauitate
& bonitate omnib. anteponitur. Lien praui succi est, & ne gustus quidem
acerbitate caret, minus tamen malus est è sue. Pulmo quanto est iecore ac li
ene mollior, tanto est concoctu facilior, & imbecillior, pituitosumque alimen
tum sufficit. Cor durũ est & fibrosum: ideo sine magno negocio cõfici haud
facile potest, tardeque commeat. Si quis tamen id conficiat, alimentum exhi-
bet corpori nec mole, nec succo contemnendum. Ventriculus, uterus, inte-
stina, dura constant carne, & quam arduum sit conficere. Concocta tamen
succum edunt, non planè quidem sanguineum, nec omnino inculpatũ, ue- C
rùm & frigidiorem & crudiorem, ac carnibus multo inferiorem. His etiã
duriores sunt caudæ: ac pro duritie cætera in ipsis respondent, quæ
uel ad concoctionem, uel ad nutritionem pertinent, nisi quòd motio ipsas
à superuacaneis excrementis immunes fecerit. In uolucribus, his col-
la quidem sunt similia. Sed de auium partibus, iam dicendi locus se
proximè offert.

Ex auibus colla, alæ ue, rectè infirmis.) Anserinæ alæ nutritioni & concoctioni
sunt idoneæ, magisque etiam gallinarum. Cæterarum alitum non solum ex-
crementis uacant, uerùm etiam leuiter belleque nutriunt. Intestina cibo sunt
prorsus inepta: exceptis uentriculis qui edendo & alendo sunt, præsertim al
tilium gallinarum, magisque etiam anserum, sunt enim perquàm suaues. Cæ-
terum crassi durique, eoque ad concoquendum difficiles: sed quibus semel co-
ctis, multum alimenti insit. Anserum præterea iecur lacteo pabulo saginato
rum, cibum præstat iucundissimum, & seu concoctionis rationem, seu suc-

ci, seu

A ci, seu deiectionis spectes, laudatissimum. Pedes uix quisquam edit, nisi petulans, aut ebrius, si gallinaceos tantum elixos demas. Gallinaceas cristas ac palearia, non est cur laudemus magnopere, aut uituperemus. Cæteræ particulæ partim è quadrupedum membris, partim è sui animalis substãtia, suaq; cuiusmodi sint, facillimè perspici & intelligi licet.

Quod ad solum uerò pertinet.) Scio interesse haud minimum, semina, ut fructum uberiorem deteriorémq; faciant, cuiusmodi solo mandentur. Frumentũ siquidem patenti campo & soluto, & ad solem procliui, lętatur. Triticũ spissam terram, & cretosam ac humidam amat, si Palladio, quàm Columellæ, ipsum sicco solo melius coalescere, sicut adoream humido, asserenti, credere malumus: hordeum uerò solo delectatur soluto ac sicco. Verùm in prouincia frigida ager omnium optatissimus fuerit, orienti aut meridiano cœlo expositus: in calida, septentrioni obuersus. Quare facile fieri nõ potest, ut constans aliquid, & quod ubiq; sit uerum, de cerealibus seminibus præcipiatur: nisi quòd frumenta lætiora faciat omnino terra pinguis ac dulcis. Collinũ itaq; firmius esse eatenus Celso credimus, si collem pinguem dulcémq;, & molliter accliuem intelligat. Aspero enim alioqui, & macro atq; insuaui colle, quàm campo contrario, deterius infirmiusq; prouenire, consentaneũ est. Sed ut hæc meminisse, agricolationis refert: ita ei qui salutẽ uitamq; mortaB lium colere expetit, satis est didicisse, ut præcipua eius regionis quam incolit frumenta, atq; aliunde aduecta, quæ quibus sint indicijs uel peiora, uel meliora, cognoscat. Quod in omnibus propè seminibus ac fructibus quæ seruata reponi solent, duplici fit uia ac ratione: inspectione, & apparatione. Quæ enim conspicimus esse prædensa confertaq; foris pariter & intus substantia, uix ut dentibus confringi queant, ac pondere reliquas propendere, nec rugosa, nec inaniter tumida, plurimumq; farinæ reddere: deinde quæ seu maceres, seu elixes, seu frigas, ptinus & facillimè ampliss imeq; intumescãt: ea talia ut optima ac grauissima, sic firmissima saluberrimaq; esse in cõfesso est. Quæ quisquis animo memoriaq; tenuerit, is nimirum in omnibus non modò cerealibus, sed etiam qualibuscunque fructibus ac seminibus statim uidebit & intelliget, quantũ qualiaq; unumquodq; ualeat efficere, & quod ualentissimum, quod medium, quod infirmissimum sit futurum.

Leuior piscis inter saxa.) Sunt hæc tam aperta atq; dilucida, quàm uera & contestata. De quibus, quia suprà dictum est, illud tantum hoc loco attexere uisum est. In uado ac littore, quòd saxis aut arenis puris, quàm quod limo aut aliàs terra cingitur, meliores educari pisces. Id quod ad alias res etiam multas accommodari poterit.

Quo fit ut ex stagno.) E stagnis, è lacubus, è paludibus, nullus probatur piscis. E flumine uel stagnante, uel oppidi sordibus inquinato, nihilo fit meliC or. Et quisquis ambigit, puroq; mari, pariter & extra mare degere consueuit, ut mugil, ut lupus, ut gobius, ut murena, cancri, anguilla, simulatque mare deserit, protinus quoque degenerat. Ea causa est, cur mugilibus puro in mari, & in aqua uitiata degentibus, maximè contraria sit ipsis inter se carnis substantia. Estq; & gobiorum, & luporum eadem quoque ratio. Aliorum autem his etiam magis. Quin & murenæ, in malis aquis, pessimæ sunt. Auguillæ uerò ne in aqua quidem pura, nedum in ea quæ stagnat, aut palustris est, aut quæ purgamenta urbis alicuius excipit, probantur unquam.

Omne etiam ferum animal domestico.) Ferarum nomine campestres, & montanas, & syluaticas uolucres, quanq; id impropriè fit, nõ quadrupedes tantũ, quas, ppriè uox declarat, intelligas licebit. Cõtraq; domesticorũ uoce, quicquid domi atq; in ocio pascit atq; educat, cõprehẽdi poterit. Domestica animalia temperie humidiora sunt q; syluestria, tũ ob aeris in q degunt humi

ditatem, tum etiam ob uitę totius ignauiam. At syluestria non solum multis A
cursitationibus & laboribus sese fatigant, sed in aere etiam cõmorantur ari-
diore. Quapropter earum caro & durior est, & nulla prorsus, aut pauca ad-
modum pinguedine superuacanea respersa: eoq; & cibum ab excrementis
puriorem sufficiunt, ampliusq; & melius nutrit, & pluribus diebus quàm
domesticorũ à putrefactione seruatur immunis. Quare in hoc à Celso non-
nihil dissentire cogor, qui ferum animal domestico lenius pronũciat, quum
alimentum præbeat nõ modo purius benigniusq;, uerumetiam firmius at-
que durabilius, si modò paria in cæteris cum paribus conferas. Quod idem
intelligi uelim in omnib. quæ exercitata cum ociosis & desidibus cõparan-
tur. Priora siquidem feris quodãmodo, posteioraq; domesticis respondẽt.

Et quodcunq; humido cœlo.) Ex ijs quę iam diximus, facile perspici potest, quid
è cœlo humidiore, quid è sicciore sperandum sit. Illud excrementis nimijs,
madidisq; corpora grauat: hoc ijsdem subleuat, & puritate ac firmitate, atq;
alacritate quadam donat.

Deinde eadem omnia pinguia.) Animantia macra & strigosa uel morbo, uel fa-
me, uictusq; idonei penuria talia sunt. Quorum utrunq; in uitio positũ est,
bonitate corporis & laude utrobiq; cõsumpta. Pinguia ac bene habita bo-
ni succi plena sunt, maximeq; uigẽt, ne quis obœsa fortasis, & pinguetudi
ne inani, nimioq; ocio accersito distenta, laudari existimet. quę probè excre B
mentis superuacaneis tam procul à pinguium, quæ nos probamus, loco ra-
tioneq; semota sunt, quàm quæ strigosa esse diximus. Sic itaq; ferã, sic bouẽ
sic suem cõmendamus, magis quę pinguedine natiua et salutari, quã pabuli
corporisq; bonitas ac uirtus comparauit, est conspicua: quàm quæ contra
naturam cibo multo & pastu coacto, desidiaq; sit inducta. Quocirca syluę-
strem suem pinguem, pingui domestico longè anteponimus: ac paucis, ea
probamus maximè, in quibus nec superuacaneũ ad humorem nausees, nec
bonum desideres.

Recentia quàm salsa.) Salsamẽta nulla, quę uetusta sint, laudari merentur. Re
centia quoq;, & nullo sale contacta, multa sunt quæ damnentur. Cetacei ge
neris pisces, & pleroscq; alios dura & excrementosa carne constantes, adde
his sues & boues obœsulos, mediocris salsura cõmendat. At quę salem non
patiuntur, agnus, turdus, capo, lepus, ceruus, cæteraq; similia, nullo sale ob-
ruta expetuntur. Quamobrem ut Celso largior recenter salsa, aut certè plera-
q; recentia salsamentis antiquis plus alimenti habere: sic salita pleraq; re-
centibus ac insulsis quibusdam firmius alere, idem aio. Thunni, aut pelami
des, aut boues modicè salsi, quàm recentes, & quàm uetere salsura exucci,
ualentius nutriunt: ut sint hic rerum genera quæ saliri gaudeant, quæq; re-
cusent, non recentia, non salsa tantum spectanda.

Noua quàm uetusta.) Seu ad ætatem, seu ad mactationem mortemq; hæc re- C
feras, distinctione ac ratione opus habent: ut enim summa ætate cõfectum
nihil laudamus, ita noua ac recens in lucẽ edita uituperamus multa. Ex quo
prima nouissimaq; tum suis, tum ouis ætas damnatur. Estq; tẽpus quo una-
quæq; res maximè uigeat, & humanæ naturæ præcipuè conueniat, animad
uertendũ. Id quod alijs sub ætatem constantẽ, alijs sub adolescẽtem accidit:
illud in sue, hoc in capra cernitur. A' mactatione uerò recens uix quicquã
satis tenerũ inuenias, quin alia biduum, alia triduũ, aut amplius spaciũ huic
rei, prẽter piscem qui triduanus putet, deposcant, prout tenera ipsa aut dura
offendantur: nisi etiã arte hoc malũ corrigas, quomodo Flaccus dulci mer-
sare falerno Gallinam iubet, ne responset dura palato. Eademq; uetusta ni-
mis iam uel corrũpuntur, uel acescũt. Quamobrem nec nouum quicquam,
durumq;, nec uetustum aut carioſum probabimus: sed dum quodq; iam te-
nerescit, necdum tamen corrumpitur. Macra itaque & uetusta eadem im-
probamus omnia: pinguia & recentia & noua reprehendimus plurima.

Tum res

A *Tum res eadem magis alit.*) lurulẽta res, ſucculentior eſt, molliorq; quàm eadẽ aſſa, & aſſa quàm frixa. Porrò quod ſucco mollicieq; præſtat, idem magis faciliusq; alit: præterquam ſi ſit tam fluidum lentumq;, ut elixationẽ non toleret: ut agnus, aut porcellus recens natus. Nam hæc, cæteraq; eiuſmodi, quæ uiſciditate aut humore præpollent, aſſari aut frigi præſtabilius eſt: uti duriuſcula elixari, melius eſt. Quis enim caponem aſſum, uel ferinam elixã aut paſtillo incluſam, quàm alio pacto paratam, non malit? Etſi coquorum induſtria, dicam audacius, & malicia, & inſcitia, multa ſecus parari, ſępè etiã pernicioſe conſpicimus. Cum res per ſe concoctu duras, ſua illi imperitia multiplicíq; conditura multo duriores efficiunt. Quod etiã ſua fieri ætate Galenus, & hoc longè antiquior Hippocrates, animaduerterunt, & grauiter reprehenderunt: meritoq; iam in multis acerbè reprehenderetur.

Ouum durum ualentiſsimè.) Oua triplici differentia diſpeſcimus. Primũ, penes propriam ipſorum ſubſtantiam: quo nomine gallinacea & phaſianica omni genere laudis præſtant aliis, quoniam & alunt luculenter, & iucundè, & ſalubriter. de quibus ſolis omnis noſtra diſciplina nunc inſtituetur. Anſerina deteriora ſunt, & peiorem ſuccum generant. Cætera etiam his uitioſiora habentur. Deinde in tempore multũ poſitũ diſcriminis eſt. Optima quippe ſunt, quæ recentiſsima: peſsima, quæ perquam diu repoſita. Reliqua me-
B dia ſunt, & uel his, uel illis uirtute uitioue propinquiora. Poſtremò, qua ratione coquãtur ac parentur, refert plurimũ. Vel enim ῥοφητὰ ſunt, ac ſorbilia, & uix bene concalefacta, in quibus candidum minimũ quid coiuerit: quæ facile pertranſeunt, & gutturis læuigãt ſcabritiem, at cæteris minus alunt. his proxima ſunt τρομητὰ, hoc eſt tremula, ſiue mollia, quorum candidum euidenter cogi cœptum eſt: ut cortice detracto, ſummo albumine cõſiſtant quidem, ſed ita ut palpitare quodam modo, tremereq; uideantur. quæ omnium beliſsimè nutriũt. Poſt hæc ſequuntur ἑφθὰ, hoc eſt cocta nominata, in quibus iam mediocriter candidum, ſed infra adhuc duritiem manifeſtã coagmentatum eſt. Ea iam in uitio eſſe incipiunt, difficiliora concoctu, pigriora deſcenſu, & nutricatu, tum aſperiora, tum craſsiora. Vt enim duriſsima oua redduntur, ita uitiorum talium fiũt ditiſsima. Iam uerò quę ſubtus calidum cinerem adaſſantur, maiora etiam uitia ſubeunt, ſiue ſucci craſsitiẽ, ſeu deiectionem ſpectes: at uerò in ſartagine quoad craſſeſcant, fricta, τηγανιτὰ uocant Græci, deterrimi omnium ſunt alimenti. unde & nidorem fumumq; eructant, & craſſum ac malum, & ſuperuacaneum ſuccum corporibus ingerunt. Craſsitiem eam plericq; uel apio addito, uel cæpis corrigunt. Verùm uitium omne nunquã tollunt. Sunt profectò πνικτὰ, hoc eſt ſuffocata, quæ alij oleo & garo, momentoq; uini, noſtri butyro ac ſale & aceto uino ue conſperſa, ſuo quo continentur uaſe in aquæ feruentis ahenũ demiſ-
C ſo, lento igni ſubiecto, molliter ac modicè coquunt. Quibus ſimillima ſunt ἁπαλὰ, atq; in calidam aquam demerſa. Quę magnopere utraq; probantur, niſi iam conſpiſſata, duratáq; euaſerint. Tum enim ab aſsis duriſq; uiribus minimum diſcrepant. Ex quibus iam liquidè cernitur, probitatem ouorũ, quæ certè ſumma eſt, mediocri tenuiq; coctura, & nouitate partus præcipuè conſtare, uitiumq; omne uetuſtate atq; duritie maximè cõparari. Dicuntur porrò oua proprietate quadam peculiari δύφυΐαν, ac bellum ingenium pãre. Temperationẽ ſi requiris, ſymmetro frigidius eſt ouum, ne cũ uulgo maiorem in modum calefacere exiſtimes. Vitellus, ne quid hic quoq; erres, albumini facultate reſpondet, præterquàm quòd aliquanto ſit concoctu molliuſculus. Quod itaq; ad ouorum inter ſe attinet comparationem, duriſsima ualentiſsimæ materiæ ſunt: mollia & ſorbilia, imbecilliſsima. Quod non itẽ fortaſsis uerum deprehendas, ſi cum eſcarum cæterarum materijs ipſa conferas. Ouum ſiquidem nullum, ſi eius molem animaduertas, parum alere dixeris: quum par in nulla re alia pari alimentum inueniatur.

Quumq;

Quumq; panificia omnia firmißima.) Quando, niſi uocabulorum ambiguſtate atq; amphibolia ſublata, nihil dilucidè & aptè definiri atque tractari poteſt: prius mihi hoc loco uocũ quarundã polyſemia aperienda uideť, quàm quid res unaquæq; efficiat oſtendã. Panificia aliàs nominãt, undecunq; panis, uel ſumma urgente neceſsitate, ac fame, parari poteſt. Quemadmodũ prẽter triticea, & quæ tritico uirib. ſunt affinia, hordeũ, milium, panicũ, auena, fabæ, glandes, eo nomine interdum cõprehenduntur. Aliàs, quæ mite tantũ alimentũ è cerealibus præſtãt, denotat atq; declarat: ut eſt maximè ſiligo ac triticum: tum ea etiã omnia, quę huic uirib. ferè ſunt cõnexa. qualia ſunt, alica, robus, zea, olyra. Quæ certè ualẽtiſsimæ ſunt omnia materię, & dummodo concoquantur, ualenti nutrimento ueſcentiũ corporibus inſigne robur conciliant: præcipueq; ſanè triticũ, & quicquid in ipſo ineſt puriſsimũ. Sicut inter hæc è diuerſo, olyra omniũ id facit minimè. Ideoq; hęc omnia periculum cum primis graue tũ iecori, tũ lieni ab obſtructionib. tum renibus ab calculis & obſtipatione minitantur: niſi maiorẽ in modũ ſale, fermento, conſperſione, ſubactione, furno edomentur, & tanquã perficiantur. Alica uerò, quę chondrus Græcè nominatur, modò frugis ſpeciem, modò pultis deſignat. Priore ſignificatu frugis forma eſt triticei, ualentiſsimiq; generis, & glutinoſo ſucco prædita. Poſteriore, ſi è tritico puls ea eſt, aut è chondro pareť, chondrum ſeu alicã Paulus Aegineta uocat. Si ex zea, iam ipſi ſoli alix appellaťur. B alij nanq; Græci alicas utraſq; nuncupant. Celſus hoc loco ꝑ fruge uſurpat. Oriza uerò primo ordine calida eſt, et ſecũdo ſicca. Aliaq; alba, aliaq; rubra eſt. Satis quidẽ alit, minus tamen q; alica, difficulter cõcoquitur, aluũ aſtringit: uerùm rubra, quàm alba, multo magis. Cum lacte ſeu condita, ſinapi parata bonũ habitũ, bonumq; colorem adfert, & genitali ſemini adijcit. Vulgus riſum uocat, ut ferè corruptè ſolet omnia. Ptiſana modò ꝑ hordeo, modò pro hordeacea uel ſorbitione, uel pulticula capitur. Celſus hic, et alicubi quoq; Galenus, pro hordeo accipiunt. Conſtat hæc omnia, cæteraq; elota, infirmiſsima reddi, preſertim hordeũ. quod ne per ſe quidẽ ſatis ualidũ eſt. Quod ex ſolo amylo diſcas licebit: quod elotis etiã panibus tenuiorem habet facultatem: adeò, ut ne cum tritico quidem, ex quo utraq; cõcinnantur, in aqua duntaxat elixo ſint comparanda: quũ palàm id etiã excalefaciat, & eximiè, dummodo concoqui queat (quod eſt illi utiq; perquàm difficile) nutriat. Panes porrò abluti imbecillis nutrimenti cibũ, atq; eum ipſum, quantũ licet maximè, ab obſtruendi noxa immunem ſuppeditant. Cumq; elotione craſsitatis glutinisq;, quantumcunq; habuerũt uitiũ, in aereã leuemq; planè naturam commutant: hoc magis, quo ſæpius eluantur, ut poſtremò nec terreſtre, nec frumentaceum, nec falſum quicquam, nec calorem, nec robur ullum priſtinum reſipiant, retineantq;. Quibus proximæ ſunt tum pulticulæ, tum quæ pulticulis ſunt liquidiores ſorbitiunculæ, quæcunq; ex frumentaceis elotis conficiũtur, maximè ſi illa natura quoq; ſua ſunt imbecillia, ut hordeum eſſe diximus: ut eſt auena, ut milium. C

Ex potionibus.) Hactenus eſculentarũ rerum firmitas, debilitasq; expoſita eſt. Nunc eadem ſimiliter in poculentis ſuperſunt explicanda.

Quæcunq; ex frumẽto.) E' tritico, è zeia, ex olyra, potiones coquunt firmiores, calidioresq;. Ex hordeo, auena, polẽta: hoc eſt, hordeo mediocriter toſto imbecilliores, frigidioresq;: idq; plus minus, quo parcius, largiusq; injiciũtur. Sunt qui præter hæc lupum ſalictarium, ſunt qui myrtum ſylueſtrem, ſunt qui alia pro ſuo, aut regionis more incoquant. Vnde plura iam omnibus locis in noſtris prouincijs ceruiſiarũ cùm nomina, tũ genera inuenias, quàm uinorum nouerit antiquitas. Quarum uires ut intelligantur, nec omnes exponere, quippe innumeras, fas ſit, & accuratè ex quali materia & qua arte ſint comparatæ, perueſtigaſſe ſatis fuerit. Craſſas plurimũ alere, & craſſum generare ſanguinem, obſtructionesq; in confeſſo eſt, tanto magis, quanto minus habent uel furfurum, uel hordei ad mixtũ. Quorũ nomine abſtergẽt,

& per

A & per aluum leuiter ſecedunt: atq; ex hordeo ſolo hoc faciunt maximè, ſed tum minimè uel nutriunt, uel calefaciunt. Ex auena bromoq; nonnihil etiã aſtringunt, exiccantq;: hordeo alioquí ſimili. ex ægilope, ſi ea etiam miſceatur, digerunt, & quid acredinis poſsident.

Item lac.) Lactis multa diſcrimina ſumũtur, tum ex anni tẽporibus, tum paſcuis, tũ animantib. ipſis. Craſsiſsimũ ſiquidẽ, ſimul & pinguiſsimũ bubulũ eſt: unde & butyri caſeiq; plurimũ largiũ. Liquidiſsimũ, ac minimè pingue, camelinũ, ex quo ſeri plurimũ fundit: mox equinũ, tum aſininũ. Mediæ conſtitutionis eſt caprillũ: uerùm hoc ipſo craſsius eſt ouillũ. Quod ad anni tempora pertinet, uere & ſtatim à partu liquidiſsimum eſt, & copioſiſsimum, temporis progreſſu magis ſemper ac magis incraſſeſcens, ita ut media æſtate mediam naturam obtineat. Ex quo iam ſenſim uſq; adeò craſſefit, ut penitus demum deficiat. Ex animante præterea nigro, nitido, bene habito, benigniter & lætè paſto, ætate florido, quàm contrariò, ac albo fuſcóue, ſtrigoſo, macilento, malè educato, uetuſto, melius eſt. In quibus craſsiſsimum quodq; minimè aluum ciet, & alit ualentiſsimè. Tenuiſsimum deiicitur promptiſsimè, & nutrit ac nocet omniũ minimè, nec temerè in uentriculo cuiuſpiã coagulatur, nec obſtruit: quod pinguibus & craſsis euenit citiſsimè, adeoq; etiam illi, in quo uentris aſtringendi gratia, ſerum omne candentibus inie-

B ctis calculis abſumptũ eſt. Quocirca his, quo minus noceãt, neu quid intus obſtruant, mel ſaccharum' ue cum ſale, nonnunquã etiam paulũ aquæ commiſcere cautũ eſt. Illud ad lactis apprimè laudes attinet, quòd rerum omnium quas cibi cauſa expetimus, lac optimũ optimi ſit ſucci: nã uitioſum contrà prauo ſucco hominem implet. Thoraci pulmoniq; amicũ eſt. Capiti aũt non bene firmo, & hypochondriis præſertim flatulentis inimicũ: ut pauciſsimos inuenias, quibus non flatibus uentrẽ inferciat, & diſtendat. Cum edulio quopiam craſsi ſucci, ut ſiligine, alica, ſimilagine, olyra, aut pane parum aptè fermentato, abundè feruefactũ, inflat ipſum quidẽ nihil, ſed iecur iam multo magis obſtructione, & calculis renes lædit. Aſsiduus lactis uſus humẽtes ac flaccidas gingiuas, & dẽtes putrefactioni & eroſioni obnoxios facit: niſi uis iſta ipſius uino mox aſtringẽte in os aſſumpto, præſertim etiã addito melle eluat. Eſt em̃ alioquí lac omne probũ, ut modò dixi, probi ſucci, & alibile mirũ in modũ: de quo Celſum hic eſſe locutũ, præſertim ſi etiã ſit craſſum, ex iis quæ iã de lactis tota natura tradidimus, facile perſpici poteſt.

Mulſum.) ὑδρόμελι Græci uocant. plurimis id modis apparatur. Ac ſimpliciſsimũ quidem eſt, è uini partibus duabus, & mellis boni parte una, nullis additis aromatibus, confectũ. Compoſitius fit, ſi podagricis atq; arthriticis, & ſenibus, adiecto petroſelino, nephriticis etiã betonica & ſarxiphago iniecto cõparetur. Idemq; præterea fit curioſius, ſpicænardi parte aliquantula

C intrita. Aromaticum porrò euadit, ſi cinamomum, caryophyllos, zingiber, xilaloen, macim, crocum craſsiuſculè cõtrita immiſceas. Cerebri, neruorũ, uentriculi, iecoris, aliarumq; partiũ frigidis affectibus, præſertim in noſtris regionibus, item frigidis, multo accõmodatiſsimum. Ori ſuaueolentiã, cuti coloris bonitatẽ cõciliat: uinũ quod uocãt Hippocraticũ, ex ſacchari uncijs iiij. & cinamomi dimidiata, & libra uini unica, mulſo ueterũ ſimillimũ eſt.

Defrutum.) Hoc item uariè parari ſolitum eſt. Alij muſto ad dimidiũ decocto, quod quidã ſapam uocant, Celſus & doctiſsimi plerique ſcriptores à defruto non ſeparant: alij ad tertiã partẽ redacto, faciũt. Andromachus quartam ſolũ partẽ coquẽdo abſumit. Sunt qui ad melleã craſsitiem redigãt: ſed intereſt haud parum, non modò qua facultate muſtũ, uerumetiã qua conſiſtentia, ut plus minus' ue coquas, ſit præditũ, ex quo defrutũ cõficias. Quod ꝑ uini coctionis q; modo plurimũ idcirco differt. E' dulci, quale eſt Thereũ, aut Sireũ, omniũ eſt craſsiſsimũ, & uelociſsimè uiſcera obſtruit, aliasq; probiſsimè nutrit. Quanquã eſt omne defrutũ, omnisq; ſapa, harũ uirium aliàs

magis, aliàs minus particeps: doloresq; mitigat, non aũt astringit aut repellit, quod illi immeritò Dioscorides & Celsus, & plerique Arabes asscripserũt: nisi si quando ex acerbo uino parari solere existimes. A

Passum.) Vinum, id est ab uuis diu insolatis, aut in sarmento torrefactis expressum: crassũ, pingue, dulce, iucundũ. Quibus uerbis efficitur, ipsum plurimum alere, facileq; iecur ac lienẽ obstipare: quando nihil crassum, idemq; dulce, aliud facere potest.

Vinum dulce.) Nullum fermè uinũ, nisi idem crassũ, ex toto dulce est. quare cum defruto ac passo, facultate & uiribus propè cõsentit: quoniã alimentũ præbet corpori, pro crassitatis suæ modo rationeq; haud cõtemnendũ: nec uinũ profectò temerè inuenias ullũ crassum simul ac dulce, non etiã nigrũ, & alui subducendi, & ferè inflandi quoq; ui præditũ: adeò ut ne albissimorũ quidẽ uinorũ mustũ si decoquas, ut sapã defrutũq; faciat, nisi nigro colore tinctũ esse queat. Certè albũ dulce nullũ est, sed uel austerũ crassumq;, uel tenue atq; aqueũ. Ne flauũ quidem, ac fuluũ ullũ, nisi mediocri dulcedine, aut nulla præditũ est. Quæ si quãdo ad nigrius iã, dulciusq; uertunt atq; contendunt, tũ nõ perinde atq; ubi flauescerẽt, calent. Quo magis cõsentaneũ est, nec capiti, nec neruis, tũ æquè nocere ea, nec ita febres accẽdere. Rubra his etiam crassiora sunt: atq; quò propius ad nigrum colorem uergunt, eo plus dulcedinis magna ex parte præ se ferre deprehenduntur. Ac sanguini procreando, cui sunt simillima, longè sunt accommodatissima, & secundũ hæc quæ nigra sunt, & crassa, dulciaq;. Postremò autẽ austera, & rubella, fuluaq;. Quomõ ijs qui uires recolligũt, dulcia ut bibant, ipsis permittitur, maximè si neq; de iecore, neq; liene, neq; renibus conqueri consueuerunt. B

Aut uehemens.) Eiusmodi sunt fulua, flauaq;: quæ, præterquam quòd uehementer caput non feriant, ualetudini multo sunt aptissima. Nam & concoquuntur optimè, & facile distribuuntur, & utili alimento corpus sustinent. Verũ quia calent talia omnia non uulgariter, ideo nec biliosis, nec sub æstu, aut laboribus multis, aut inedia, aut mœrore, neq; tempore aut regione aut cœli statu calido utiliter dari possunt: non quòd malũ succũ procreent, sed quia capitis dolores, neruorũ incontinentiã ac debilitatẽ, & febres adferãt. Pituitosis uerò contrà, ac frigidis corporibus, & crudorum succorũ magna ui pressis, uitę inerti, loco frigido, cœli constitutione frigida humidaq;, deniq; hyeme premente fuluum illud simul & subdulce uinum, & quodcũq; potens est ac uinosum, οἰνώδεις græci uocant, maximopere profuturum est.

Aut mustum.) Mustum ac uinum nouũ, calet omniũ minimè, primoq; tantum ordine, si cum insequentib. ætatibus cõferas. Inflat, difficulter cõcoquitur, crassum gignit humorem, grauitatem capiti & dolorem infert. Nec quicquã habet boni, nisi quòd uentrẽ deijciat: quo beneficio si quando frustretur, nocet etiã plurimũ. Quando ne urinã quidẽ sæpè cieat, & grauia insomnia cõciliet, nec sanguini faciendo, nec nutriendo corpori aptũ, & quod uentrẽ diu suspensum teneat. Et si quis eius paulo plus biberit, facillimè acescit: præterquàm si tenuis ipsius sit substãtia. Vt in quibusdã offendas esse, quæ & tenuitate, & candore, & gustatu aquã propè referũt, tam imbecilla, ut longinquã nauigationẽ nõ ferãt, aqua tantũ meliora, uinisq; cæteris inferiora. C

Aut magnæ uetustatis.) Merum uinũ atq; syncerũ moderatè bibitũ, totius substantiæ peculiari quadam similitudine, alit, coquit, roborat, excalfacit, facile in membra distribuitur, stomachũ adiuuat, appetentiã inuitat, uires alit, robur auget, somnũ cõciliat, colorem commendat, putredini resistit, intemperiẽ deniq; frigidã humidãq; tutò pellit. Quæ elogia, certè magnifica, nec nouis admodũ uini generibus, nec uetustate enectis congruũt. De nouis quid efficiant, modò dictũ est. At uetere nerui læduntur, & sensus infestant: & si qua intestinę partis imbecillitas subest, grauiter infringitur. Sola in secunda ualetudine uel parcissimè, uel aqua dilutũ, innoxiè sumit. Cæterũ uinorum omnium,

A omnium, exceptis duntaxat ijs quæ ualde crassa sunt, commune est, ut longinquitate temporis flauũ postremò, ignisq; instar splendentẽ aliquo pacto colorẽ adipiscant. Nam & nigra quædã tingit uetustas, primũ rubro aut fluuo, mox etiã flauo colore. Et candida multo frequẽtius. Tam ualde uetustũ ut & amarũ iã, & potioni propterea iã propè ineptũ sit, Galenus Cecubũ appellatũ existimauit. Quũ ueteres Romani non annos ac uetustatẽ, sed genus uini ex Amyclano sinu petitũ, cuius facilè prima summaq; fuit gloria, hoc nomine significauerint. Vinũ siquidẽ omne, sua maximè cõmendat uetustas, sed ea nec summa, nec cõfecta, nec exolescens: nec uerò incautè aut largiter hauriendũ. Nam q̃d iã monuimus, tum admodũ uetustorũ, tũ ualde nouellorũ potio syncera fugiẽda est: quãdoquidẽ altera supra modũ, altera nullo modo calefaciunt. Atq; ea quæ hactenus de uinorum facultatibus exposuimus, si quis attentè contempletur, facile cognoscet, uina quidem alere uniuersa, sed crassa dulciaq; plurimum. Deinde posthæc, quæcunq; ad has uirtutes ac generositatẽ quandã ꝓximè accesserint. Nam candida sanè imbecillius alimentũ præbẽt, præcipueq; tenuia, de quib. paulo inferius agemus.

At acetum.) Plurimũ aceti uires uariant, pro uetustatis suæ, & materiæ, unde conficitur, ratione. Rubrum è uino, ferè crassius est: candidum pellucidumq; summè est tenue, si è generoso ac subcãdido uino sit natũ. Bene acre,
B intimè, longissimeq; penetrat. Austerũ acerbumq; pigrè, multũq; astringendo incumbit. Nec minus è ceruisia multiplex eius ratio existit, prout ea dulcis, crassa, tenuis, alba, potens, impotens fuerit. Nam maioribus natalibusq; suis omne acetum, materiæq; illi unde profectum est, respondet. hoc aũt nomine uniuersa congruunt & consentiunt, quòd refrigerent atq; exiccẽt, alia aliis plus minusq;. Nã si perquàm tenue & acre, generosumq; sit, primo iã gradu extento frigrefacit, siccat uerò tertio, aut eo amplius. Incidit, tenuat, digerit, reprimit, repellit, cogit, stomacho cõuenit, & appetentiã excusitat, acuitq;: per se medicamenti rationem obtinet, è calore sitim genitam aquæ mixtum, fortissimè extinguit. E' salsa pituita, aut crassa flauaq; bile ortã, etiã sine aqua. Sed neruos lædit: quoniã ualde penetrat, siccatq;, & quia illi sunt exangues. Melancholicis & frigidis aridisq; hominibus, & arthreticis, & pulmoni pectoriq; maximopere nocet. Veneris appetentiã opprimit & extinguit, & corpus attenuat. Rebus aũt dulcib. calidisq;, ut melle ac pipere, eius hæc uitia nonnihil emendanẽ. Aceti mulsi, quod oxymeli Græci appellant, quæ sint uires ac facultates, nec hoc loco commemorare libet, nec paucis referre liceret. Id satis fore arbitror, quos acetũ lædat, quid efficiat, quando siti pellendæ conueniat, ex ijs quæ dicta sunt, si quis modò meminerit.

Et uinum quod paucorum annorum.) Paucorũ annorũ uinũ dicitur, tum quod neque musteũ, neq; uetus, sed propè septennis, mediæq; ætatis est, tum quod
C longã ætatẽ multosq; annos ferre nequeat. Id quod facile agnosci potest, primũ ac maximè, quia tenuitate proximè ad aquã accedit: deinde etiã candore, tum quod gustu sit aquoso, sine uehementi astrictione, nec multum aquæ quo inspurcetur toleret. Quod appellationẽ ὀλιγοφόρον apud ueteres propterea inuenit, quòd non nisi pauxillum aquæ ferat. hoc sanè imbecillissimũ, & in uinis omnibus aquosissimũ est. Nec caput unquã lædit, & iuuat etiã interdum leuiculi cuiusdam doloris sedatione, quẽ cõprehensi in uentre humores ciere, exhalantibus illinc malis uaporibus cõsueuerunt, præsertim si quam habeat leuẽ austeritatis atq; astrictionis uim. Nam quorũ est uis omnino exoluta, qualia pleraq; inuenias, tanto ea leuiter astringentibus peiora sunt, quanto sunt aqua meliora. Celsus uel hæc in media materia, uel superiora, uel potius utraq; ponere uidetur, nec infirmis alia permittere. Id q̃d hactenus uerũ est, quia priora, nec recentiũ, nec annosorũ uitia ea quæ suprà exposui, subeũt. Posteriota uerò nec multũ, si cũ aliis cõferas, alũt: nec calidas ægritudines magnopere inflãmant aut exacerbant, quoniã refrigerant interdũ sensibiliter, si modò alba etiamnũ, & austera, & nouella, & crassa sunt.

sa sunt. Quanquam utraq; rursus alio nomine efficere interdum possunt. A
Quocirca in frigidis seu corporibus, seu ab ægritudine se confirmantibus, uel leni paucorum annorum illo, uel dulci, cuius suprà uel meminimus, uti præstabilius erit. In febribus autem, & in calidis uiscerib. aquã, illud si quod requiras, omnibus alijs uini formis meritò anteferetur, aut quod inquit Celsus, austerum quoddam paucorum annorum. Est siquidem austeritas frigiditatis & crassarum partiũ index certissima, nec alere suo duntaxat nomine apta: quando nisi dulcedinis gratia, nihil nos nutrire posse, compertum sit. Nam lene uinum, profectò satis non uideo cur infirmis aptum alioqui existimetur. Quando & falernum & sabinũ, & quæ generosa nobiliaq; dicuntur, qualia ad mare cum ueniſſet, requirebat Flaccus, & fulua pleraq;, ut alia taceã, mitia reperias. Quare in paucorum annorũ uinis fortasis quis hanc lenitatem requirat, ut & materiæ mediæ, & infirmis esse apta possint. Quas ipsis uirtutes, quia tenui crassamenti habitu, ac mediocri calefaciendi uirtute, nõ quia lenitate solum sint prędita, tribuamus. Ego facile adduci possim ut crederẽ, tum in lenibus, tum in austeris paucos annos à Celso postulari, ut ita altera calidis, altera frigidis noxis atq; hominibus, sine ullo metu, & nõnulla cum utilitate permitteret: nec temerè tamen omnibus, nec passim. Nam tria sunt omnino, quibus uinorum cuncta genera bene aut malè facere possint: sapor, uis, & certus crassaminis habitus. Quia enim dulce aut austerũ, quia tenue aut crassum, quia potens aut infirmũ, non quia hoc illo'ue colore aut odore sit prædituũ, nisi κατὰ συμβεβηκὸς, hoc est casu quodam ualens, aut infirmum existimari debet. Rubrum enim, nisi mite aut dulce sit, à sanguine longius quàm candidum aut flauum, idemq; lene abest. Odoratum, non odoris, sed caloris interni uirtute prędicatur. Et si ille huius indiciũ facere potest ac solet. Vt hoc ex illo facile perspiciatur. B

Aqua omnium imbecillima.) De aquis in uniuersum discernere, propter locorũ proprietates, & peculiares naturas, & cœlũ, & alia pleraq; difficile est. Magna tamen ex parte ea optima est, quæ dulcis est & insipida, & syncera, & pellucida, & nullius omnino qualitatis particeps, & quæ ne minimo quidẽ tempore in præcordijs cõmoratẽ: ad hęc, quę & facili uia fertur, & citra molestiam, nec inflationes parit, & minimè cõputrescit. Quas notas ut non facilè uniuersas in eadem inuenias: sic optimã, penè quam reperias uel in hypochondrijs morari, uel fluctuationes excitare, uel in flatum mutari & corrumpi, uel uentriculi robur resoluere, ac difficulter cõcoqui: nec digerendo per corpus alimento cõducere, nedum alere aut nutrire maiorem in modũ, offendas. Eaq; omnia facere, tum frigiditatis suæ ui genuina, tum multo maximè, si in uentriculum imbecillem inciderit.

Firmior ex uino, quod bono solo.) Vitiferũ maximè solum est crassum & leuiter accliue, & cœlum temperatum quod orientem solum spectet. Sed id nouisse, ut ad agriculturã plurimũ confert, sic in uinorum generibus saporẽ, uirtutem, & crassitiei rationem, imò uirtutem solam perspectã habere ualetudinis suæ amatori medicoq; suffecerit. De quibus non quidem nos quæ dici uel poterant, uel debebant fortasis omnia, sed uiã tamen, ac rationem breuem, & nostro proposito tantummodo appositam, suprà explanauimus. Id autem scire quemq; ac meminisse oportet: In ijs omnibus quę naturę humanæ cibum aliquem sufficiunt, etsi alia alio cœlo soloq; delectanẽ, tamen meliora sunt omnia claro, puro, subtili, libero, temperatõ, quàm contrarijs modis affecto cœlo, hoc est crasso, caliginoso, concluso, æstuoso, rigido, siticuloso, præhumido nata. Item solo nec præpingui, nec macro, nec uliginoso, nec arido, nec calore nec frigore perusto, sed in his medio, & salubri auræ exposito, & earum rerum feraci, quæ res sunt omnibus in eo uitam degentibus accommodatissimæ. C

Mulsum quo plus mellis habet.) Mulsum uires non à solo melle accipit, sed & à uini specie, & mellis ratione, & uetustatis nomine. E' crasso enim uino firmius

A mius efficitur, præsertim uetustiore, & maximè è melle cocto, probeq; despumato ac generoso. Cuiusmodi habetur, quòd sit dulcissimum, idemq; acerrimum, & suauiter odoriferum, & omni ex parte sic æqualiter continuum, ut longissimis filis ductis, si cõtingas, uix tandem abrumpatur. Quòd si crudum est, abstergit, incidit, & deiectionem aut nauseam uomitionemq; molitur, præsertim in aqua mulsa. Coctum autem alit firmius, & roborat, & minus acredinis ac mordacitatis retinet. Verùm ut mel cibus utilis est pituitosis naturis, & ætatibus prouectis, & morbis frigidis, calidisq; contrà corporibus ac bilosis cumprimis est infestum: sic de mulso multo magis iudicandum est, frigidis esse amicum, calidis inimicum.

De frutum, quo magis inconcoctum.) Defrutum fit crassius, eoq; firmius, quo magis percoquitur.

Passum.) Et si multis modis parari potest, tamen omne & crassius, & ualentius fit, quanto ex uuis trahitur, tum carnosioribus, tũ aridioribus: quippe tenui humiditate magis consumpta, excoctaq; solis ardore.

Aqua leuissima pluuialis.) Ab aquis & humoribus cæteris uapores in aerem subuehuntur. Vbi deinde ex his coguntur nubes, è quibus mox densatis, pluuiæ atq; imbres oriuntur. Quare tenuissimã esse hanc aquã, leuissimãq;, constat. Sed quod scribit Hippocrates, quoniã uapores illi, unde illa nascitur, è rebus diuersis colliguntur ac permiscentur, fit ut citissimè cõputrescat: & nisi decoquatur & excoletur, tetrum etiam odorem exhalat, & raucitatẽ ac uocis grauitatem bibentibus adfert, pigrè & difficulter per corpus penetrat, præsertim si frigida potetur. febri & choleræ, quę sic dicitur, itemq; morbo regio affectis minime conuenit: facile nanq; mutatur, & in bilem conuertitur. Astringit aliquanto amplius quàm fontana: cuius si fontes ad septentrionem currunt, decq; saxis extillant, & à sole auersi sunt, incoctilis est, & tardè permeat, seroq; calefit & refrigeratur. Cuius uerò fontes uersus orientẽ erumpũt, & per meatũ quendam, aut terrã purã excolãtur, calefit pariter, ac frigefit citissimè: eaq; optima est, nisi ab cloacis, aut oppidorum sordibus cõtaminetur. Porrò putealis frigida est, & terrenosa, & difficulter excernitur, ægreq; digeritur. Et propterea æstuoso stomacho, ac uentri cõmodior est, quàm fontana. At fluuialis omnis mala est: uix peragitur, aut conficitur, aut digeritur, siccat & siticulosa est, præsertim si uitiosa loca pererret: sola Nili aqua excepta, quæ omnibus uirtutibus exornata est. Quanquam cæterorũ fluuiorũ melior est ea, quæ per fontes uiuos & perennes fluũt, nec alijs permiscentur. Lacustris aũt & stagnans, grauis est, & cœnosa, & ferè emortua, ac putrefacta, propter stataria desidiã & immobilitatẽ. Quare nunquã alia præsente dari debet debilibus, aut parũ firmis hominibus. Quòd si qua etiã salsa, aut acerba, aut odorifera, aut noxijs animalibus, aut metallicis locis, aut thermis uicinis uitiata est, prorsus inutilis quæ potetur est. At quæ ex niue aut glacie colliquat, facile omniũ est pessima, si palustres putidãq; demas. Probatur summè, quæcunq; gustatu iucunda, & dulci insipiditate prædita, & quam incolarum usus idoneã, neminiq; admodũ esse grauẽ iudicauerit: maximè si citò etiam calefit ac frigefit, & citò facileq; carnes & legumina cæteraq; percoquat. Qualis competit homini feruidissimis temperamentis, siue natura, siue ætate comparatis: quibus uel uino prorsus interdicitur, uel tenue tantum & subausterum permittitur. Sunt qui leuitatẽ præterea in magna laude aquarum ponant, quam nonnulli pondere ac statera apparere uolunt, è quibus noster fuit Celsus. Sunt qui id disertè negẽt, in quibus fuit Plinius: qui uel pluuialem damnat, quod uitæ plus officiat, q̃ prosit. Sunt qui leuitatem potius expetant, eam qua & minimè hypochondria grauet, & citissimè in corpus permeet. Quæ nota non paulo certior est, quàm sit ea quæ à zygostica statera petitur.

Ferè uerò sequitur, ut quo ualentior.) Sunt hæc inter se connexa: firmũ ac ualens esse, & difficulter coqui, & tardè cùm per uentrem, tum per uenas transire:

& multum, constanter alere, & diu durare & contineri. Contraq; cohærent A
ista, esse imbelle, & facile concoqui, & celeriter permeare, & parum nutrire, & breui citoq; interire. Sicut quæ ualentissima sint, difficillimè concoquantur: sed concocta plurimum nutriant, & fixissimè ac diutissimè in corpore permaneant. Cuiusmodi est suilla caro, & panis siligineus parum fermentatus, & ostracodermorum cunctum genus, & crassa, compacta, uiscosa, grauia, succulenta uniuersa: quippe crassum glutinosumq;, & firmiter adfixum atque adhærentem, ægreq; dissipabilem succum & alimoniam largiuntur, & plurimo firmoq; corpore nos locupletant, siquidem à nostra natura nihil alienum habeant: id quod partim ab odore, partim sapore, sed magis usu percipitur. Vt enim suauissimus est cuiusq; rei odor, & iucundissimus ac dulcissimus sapor: ita in ea ferè est optimi succi plurimum, quando res ulla corpus humanũ nõ alit, quæ uoluptate omnino, & dulcedine careat. Infirmissimum porrò è contrario, facillimè concoquitur, & exili cumprimis nos cibo nutrit, & tenuitate quadã protinus diffluit & dissipat: ut est in uinis id q̃d aqueũ nominamus, ut sunt mora, ut persica, ut cucumis, & quicquid tenerum, rarum, leue, subinane, abstergens, incidens, præhumidum est. Deniq; quicquid succũ tenuem fluxilemq; largitur. Cuiusmodi penè sunt salsa, amara, acida, acria, austera, acerba, quæ quidem tenui raraq; substantia cõstant. Nam quæ crassa sunt pariter ac densa, uel superioris sunt generis, uel potius B
medicamentorũ: quia medicinæ multũ, alimenti uerò parũ possident: tantillũ utiq;, quantũ adiunctæ dulcedinis. Cæterùm quando in omni alimẽto duo spectanda cumprimis sunt: nempe rei illius quę nutrimentũ est datura, ratio naturaq;, & corporis cui est datura, uis ac facultas: facile intelligi potest, in utrisq; analogiam seu proportionẽ maximopere desiderari, ut firmũ alimentum ualenti corpori, & infirmum imbelli præbeatur: firmissmoq; ua lentissimum, ac imbecillimo summè debile. Inter quæ duo ampla est mediorum collatio, ut pro uiribus cuiusq; hominis, & singulari eius natura suum alimentum cuiq; comparetur. Quod ex suæ concoctionis modo, & nutricationis, quisq; peruestigare & cognoscere debet. Nam quo se cunq; citra molestiam cõfirmari sentit, & sustineri, id unicuiq; optimum est. Valentissimo alioqui generi periculum coniunctũ est, ne corpus supra modũ impleat, aut eius obstruat uias, unde mox grauissimi morbi oriãtur: inualido, ne corpus sub ipso cõtabescat & cõsumatur. Quapropter multo securissimũ genus est mediũ: ut sunt optimi panes, optimeq; parati: & gallinarũ, phasianorũ, perdicum, columbarũ, turdorũ, merularũ, passerculorũ, turturum, attagenũ, & omnis generis auicularũ carnes: adde his, quando haud multis hominib. in crebro uictu concessa est dictorũ felicitas, tum ueruecũ, tum hœdorũ, tũ iuuencorũ bene habitorũ carnem: adde lac, lactariaq; pleraq;: adijce deniq; pi
sces maximè saxatiles, littorales, pelagios: item gobios, murenas, buglossas, C
asellõs, & quicunq; odore tetro, ingratoue sapore, aut pinguedine carent. Homines ergo ciuilibus negocijs nõ impliciti, præcipueq; iuuenes, quibus & se multũ exercere licet, & quantũ sat esse uidebit dormire permissũ, crassi glutinosiq; succi cibos esse possunt: idq; securissimè, si nulla eorũ unquã copia fecit, ut dextrã hypochondriorũ partẽ uel grauem sentirent, uel tensam. Qui uerò per ætatẽ aut consuetudinẽ, aut uitæ occupationẽ se, quemadmodum diximus, exercere non possunt, eos ab huiusmodi cibis omnibus abstinere melius est. Sed neq; ad eos adeant, qui totã uitam in ocio uiuũt. Aut si quãdo in meliorũ penuria ijs uti cogent, eo capiãt modo, eaq; quãtitate, quã corporis uires cõficere & commodè superare queant: exercitiaq; ante cibos subeant, quãta maximè cuiusq; tum ætas, tum uitę ratio permittere uidebit. Et interdũ sumãt interdũ quæ crassitiem tenuare, lentoremq; incidere atq; abstergere posse uideant. Somnoq; plenè, donec cruditatẽ confecerint, indulgeant. Atque ediuerso, si quando solis infirmis uti licebit, is modus assumatur, qui sustinendo corpori sufficiat: & de exercitationum robore tan-

tum

A tum dematur, quantum cibi uiribus ademptum esse cernetur. Semper cauẽdo tamen, ut ne summo ocio corpus, neu desidia prorsus diffluat, aut uitietẽ.

Quæ natura ac proprietas cuiusq; rei sit, quæ uescimur. Cap. XIX.

NEcq; hæc sola discrimina sunt, sed etiam aliæ res boni succi, alię mali sunt, quas εὐχυλὰς, uel κακοχυλὰς Græci uocant. Alię lenes, aliæ acres, aliæ crassiorem pituitam in nobis faciunt, alię tenuiorẽ: aliæ idoneæ sunt stomacho, aliæ alienæ sunt. Itemq; aliæ inflant, aliæ ab hoc absunt: aliæ calefaciunt, aliæ refrigerant: aliæ facile in stomacho acescunt, aliæ non facile intus corrumpuntur: aliæ mouent aluũ, aliæ supprimunt: aliæ citant urinam, aliæ tardant. Quæ dã somnũ mouent, quædã sensus excitãt. Quę omnia ideo noscenda sunt, quoniam aliud aliter uel corpori uel ualetudini conuenit.

ENARRATIO.

Neq; hæc sola discrimina.) Hoc capite sequentium omnium summa duntaxat quædam breuibus comprehensa partitionibus proponitẽ. Quæ quare sint, tum medicis, tum ijs omnibus qui ualetudinis suæ ullo studio tenentur cognoscenda, postremò breuiter attexit. Quoniam alia res aliter uel corpori,
B uel cuiusq; hominis ualetudini competit.

Quæ res boni succi sint. Cap. XX.

BOni succi sunt, triticum, siligo, alica, oryza, amylum. Item & lenes sunt, & stomacho aptæ, & calefaciunt, tragum, ptisana, lac, caseus mollis, omnis uenatio, omnes aues, quæ ex media materia sunt. Ex maioribus quoque hæ, quas suprà nominauimus. Mediį inter teneros durosq; pisces, ut mullus, & lupus, uerna, lactuca, urtica, malua, cucumis, cucurbita, ouũ sorbile, portulaca, cochleæ, palmulæ. Ex pomis, quodcunque neque acerbum, neque acidum est. Vinum dulce uel lene, passum, defrutum, oleæ quæ ex his duobus in alterutro seruatæ sunt, uuluæ, rostra, trunculiq;. In summa, omnis pinguis caro, omnis glutinosa, omne iecur.

ENARRATIO.

Boni succi sunt.) εὐχυλὰ Græci & ὀὺχυμὰ nominant, quæcunq; salutarẽ alimoniam corpori præbent. Quorum quædam firma sunt, ut triticum, siligo, alica: quædam media, ut aues ferè omnes, ac pisces, qui uitam neq; in stagnis,
C neq; in paludibus, neq; limosis ac turbidis fluuijs degunt. Quædam imbecillia, ut lactuca, pomaq; dulcia: non quòd hæc omnibus talia permaneãt, sed quòd probè intus concocta, succum utilem corpori expediant. Alioqui & firmis & infirmis sua quædam insunt uitia neutiquam exigua, quæ supra à nobis exposita sunt. Nam certè ad bonam ualetudinẽ optimi sunt, & tutissimi cibi, in quibus neq; crassum uiscosumq; illud, neq; tenue & infirmum, aut ualde friabile maiorem in modum exuperet: sed qui mediam inter hæc naturam habeãt, & tum glutinis, tum friabilitatis quodammodo participẽ. Quæ demum ut talia permaneant, debent neq; coctura, neq; conditura, nec ullo corporis uitio contaminari.

Lac.) Lacte optimo nihil est q̃d succi bonitate sit melius, si ab matre statim ubi emulctũ fuerit, calidum hauriatur, nec corporis intus ulla labe uitietur.

Tragum, ptisana.) Ex decorticata olyra, generosissima fit tragus: ex hordeo ptisana: & similiter alica ex tritico, aut zea. Sunt enim hæc artis magis, quã naturæ opera. Sola in his ptisana, nullo uitio, nulla crassitie, nullo incõmodo, seu

do, seu succi bonitatem, seu ualetudinem tueri quis uelit, est prædita, si modo ipsa probè & accuratè instituatur. Cætera crassam & uiscosam naturam obtinent: sed plurimum & salubriter, si bene concoquantur, alentem. A

Omnis uenatio.) Ceruus, & item lepus, similiaq; melancholicum sanguinẽ, nec ita bonum faciunt, ut succi probitate magnopere suspicienda esse non existimem. Cæteræ uenationes, & hi quoq; quos modò diximus, in ætate tenera minus uitij possident. Suntq; aliàs omnino sylvestrium animantium carnes, quàm cicurum & domesticorum, magna ex parte meliores.

Omnes aues.) Si in stagnis & paludibus, aut aquis degentes excipias, & eas quoq; quæ ab usu humano sunt separatæ, uera Celsum dixisse fatebor.

Medios inter teneros durosq; pisces.) Verius generaliusq; dixeris, saxatiles & pelagios & littorales omnes, & quicunq; ijs notis ornati sunt, quas superius in gustatu & odore cerni memorauimus.

Lactuca.) Sola uituperari lactuca non debet: cæterorum olerum nihil admodum laudari. Quando & pauciss imum sanguinem, & uitiosum omnia, maximeq; sylvestria, præbeãt. Lactucæ autem proxima est malua, huic intybum: intybo deinde atriplex, atriplici portulaca & blitum.

Ex pomis quodcunq; neq; acerbum.) Sub acerbo austerũ, quod minus astringit, intelligi debet. Verùm poma, præsertim fugacia, & fructus adeò omnes, exceptis glandibus ac castaneis, nisi citò per uentrem subeant, aut bene concoquantur, uitiosissimum succum efficiunt: adeò ut fugacia si corrumpantur, in uentriculo non longè à mortifero ueneno abesse credantur. B

Vinum dulce.) Dulcedinis nomine, & suauitatis, unaquaq; res & facilius cõcoquitur, & sanguinem meliorem præstat, nisi quatenus crassitiẽs in pleriscq; citam concoctionem protrahit, ut in passo fit & defruto. Quæ, aliaq; omnia quæ cum dulcedine crassitatem coniunctam habent, iecori & lieni, & renibus ab obstructione grauissimum periculum minitari consueuerunt: nisi parcè & cautè, & à patentibus atq; amplis uenis excipiantur.

Oleæ quæ ex his.) Passi aut defruti, in quo fuerint oleæ seruatæ, nomine potius, quàm suo, boni succi laudem quandam adipiscuntur.

Vuluæ.) Adde his intestina, & uentriculũ: quę quãto sunt uera carne duriora, tãto difficilius cõcoquunt, tãtoq; alimenti minus multi ac boni cõciliant.

Rostra.) Labra, summaq; ora pedestrium animantium, & partes ijs uicinę, glutinosum, non tamen crassum succũ faciunt. Id quod earũ elixatio ostendit, sub qua talia membra plurimum intumescunt, ac lentè dissoluũtur, sunt autem ad concoctionem satis accommodata.

Trunculi.) Quanquam uariè de hac re sentiri scio, tamen extremas animantiũ partes ea significari arbitror: cuiusmodi pedes sunt, caput, aures. Truncantur enim hæc ab reliquo corpore: deinde cùm huic proposito, tum labrorum naturæ, quam nunc retulimus, præsertim suillorum, apprimè conueniunt. quippe quæ ubi elixæ sunt, uiscosæ sunt ualde, & glutinosæ. Ideoq; & alimentum tractum ex ijs simile est, nec excrementis suis, nec crassitie, nec grauitate magnopere molestum. Præstant autem pedes suilli rostro & auribus. Neq; certè ignoro, ungulas suillas alibi à trunculis separasse Celsum. Sed nihil id nostræ opinioni refragatur, quum formam generi continuò in eadem oratione, & uoces quoq; isodynamnutus, idemq; efficientes coniungi, classicis optimisq; scriptoribus sit frequentissimum. C

Omnis pinguis caro.) Verũ id esse, & in liberis tantũ animantib. ac sylvestrib. intelligendũ, suprà docuimus. Alioqui eñ neq; pinguetudine piscẽ, neq; superuacanea obœsitate quicq; in animãtiũ genere mirari magnopere decet.

Omnis glutinosa.) Non sanè quia glutinosum quicq; est, laudat is qui rerũ uirtutes contẽplat & inquirit, sed quia durabile alimentũ & probũ suppeditat. Eo enim nomine prædicat suillam, eo siliginẽ, multaq; alia. Quare neq; anguillam, quamuis glutinosam, nec maluam hoc saltem nomine probat.

Iecur.)

A Iecur.) In craſsis ſuccis ſunt & iecur, & renes, & teſtes. Sed iecoris quidem malus non eſt ſuccus, niſi animantis mali, aut iam conſeneſcentis. Renū uerò ac teſtium nō bonus, niſi teſtes è gallinaceis, præcipueq; altilibus demas. Porrò præter ea quæ dicta iam ſunt, boni ſucci rerum numero addas licebit, panem purum probè è tritico probo aut olyra paratum, oua tremula gallinacea, quadrupedum omnium ac maximè bono ſucco prædītorū carnem, ſi ſatis ea concoquatur: fabas, caſtaneas, ficus, uuas maturas, caricas moderatè ſumptas, & ſtatim in corpus diſtributas, corda, caudas, glandulas, alas, cæteraq; multa ſimilia.

Quæres mali ſucci ſint. Cap. XXI.

MAli uerò ſucci ſunt, milium, panicum, ordeum, legumina, caro domeſtica permacra, omniſq; caro ſalſa: omne ſalſamentum, garum, uetus caſeus, cicer, radicula, rapa, napi, bulbi, braſſica: magiſq; etiam cyma eius, aſparagus, beta, cucumis, porrū, eruca, naſturtium, thymum, nepeta, ſatureia, hyſſopum, ruta, anethum, fœniculum, cuminum, aniſum, lapathum, ſinapi, & allium, cepa, lienes, renes, inteſtina, pomum quodcunq; acidum uel acerbum eſt,
B acetum, omnia acria, acida, acerba, oleum: piſces quoq; ſaxatiles, omnesq; qui ex tenerrimo genere ſunt, aut hi qui rurſus nimium duri, uiroſiq; ſunt, ut ferè quos ſtagna, lacus, limoſi' ue riui ferunt, qui' ue in nimiam magnitudinem exceſſerunt.

ENARRATIO.

Mali ſucci ſunt.) Ab omnibus mali ſucci eſcis, Græci κακοχυμὰ uocant & κακοχυλὰ, nemini non, qui modò ſalutē ualentiamq; ſuam diligat, ſeu facilè ea, ſeu ægrè concoquantur, abſtinendum eſt. Vt enim ſtatim ſuum uitium non prodant, tamē longiore temporis uſura paulatim in uenis ipſum colligunt, aluntq;: atq; maxima demum cum pernicie ingenium proferunt ſuū, & leuiſsima putrefactionis occaſione data malignas febres, & peruicaces ægritudines pariunt.

Hordeum.) In mali ſucci rebus hordeum immeritò habetur, ſi modò ſit legitimum ac probum. Quod ſi non alia eius ratione, tamen ex ptiſana diſci poterat, qua nihil inuenias quod minus obſit, nihil propè quod alat innocentius. Etſi interim hanc, quia cocta ſit, & cocta affabrè, hordeo hordeiq; farina non paulo meliorem eſſe haud nego: habent enim iſta quiddam amplius excrementitium ac flatuoſum, quo à ptiſanæ ſumma uirtute diſcedunt.

Legumina.) Vt alia legumina ne laudes, tamen fabas in bonis uidelicet nu-
C meres, tum etiam piſa licebit.

Caro domeſtica.) Ne id quidem de omnibus uerè dici poteſt. Quis enim ſuillam, quis gallinaceam, quis hœdinam, quis uitulinam improbet? quis hæc domeſtica, niſi ſuillo aut uitulino ore prædītus, neget? Non quòd omnibus omnes has conuenire carnes prædicem, ſed quòd qui eas cōcoxerint, uitioſo ſucco imbutas nunquam perceperint. Caprinam, & plerunq; ouillam nō eſſe bonam, largior: peſsimam hircinam concedo, tum arietinam, mox taurinam uitioſam fateor. In quibus tamen multū caſtratio adimere poteſt, multum etiam ſenectus & uitioſa paſtura addere ſolet. Vt neq; ſine diſcrimine laudare omnes, neq; uituperare deceat.

Omniſq; caro ſalſa.) Eſt quę initiò pauca ſalſugine cōtacta ſuauior, teneriorq; reddatur. Quod in iuuencis, in aſellis piſcibus, in capitatis, in rhombis pleriſq; facile guſtatu percipias: fateor tamen interim quoq; longa ac diuturna ſalitura carnes duratas, & ueluti exhauſtas atq; peruicaces redditas, eſſe deteriores omnes, quàm quæ paulo ſint recentiores ac pinguiuſculæ.

Omne salsamentum.) Salsamentũ è duris certè & grandibus Oceani beluis nullum est, quod bonitatis elogio uerè commendemus. Est tamen cur eadem salsa insulsis ac recentibus, propter exundantem in hisce pituitosam humiditatem, meritò non referamus. A

Rapa.) Rapum, napum'ue coctum, nec bonum, nec malum egregiè, ut neque cari radicem, sed medium quiddam uerè pronunciaueris.

Cucumis.) Cucumeres, pepones, melopepones tantum à bonitate succi absunt, ut nisi celeriter transeant, in uẽtre corrupti, succum ex ea corruptione faciant mortiferis uenenis uicinum. Quibus etsi cucurbita quidem melior est, tamen ne ipsa quidem, si quando corrumpatur, mali succi omnino immunis est. Quare Celso condonandum, qui hanc in boni succi rebus posuerit, magis quàm quòd cucumeri utroque nomine boni maliq; insigniuerit: nisi quia hic de corrupta, in superiore uerò capite de integra locutus est, purgationem meretur. Sed hac lege, & hinc illuc, & huc illinc multa alia erant referenda, aut repetenda utrobiq;.

Porrum, eruca.) Sunt, quæ hic referuntur, è stirpium atque herbarum familia omnia, condimenta aut medicamenta uerius, quàm alimenta. Quæ quidem calent in ipsis ut recalefaciant, quæ frigent, ut lapathum, quo refrigerare possint. At summè mala sunt, quæcunq; in oleribus atq; herbis syluestria sunt, & appellantur. B

Apium, cepa.) Diximus de hisce, ac porro, & lienibus, suprà.

Pomum quodq; acidum.) Adde etiam immaturum omne, & fugacium in genere quoduis, ni prius subeat, quàm uitietur: Persica, corna, cerasa, pruna syluestria, mespila. Adde etiam ex oporis uuas, ficusq;, uel immaturas, uel immoderatè sumptas. Et caricas quoq;, si uentrem & iecur ac uenas tempestiuè non pertranseãt. Nam si diutius morentur, uitiosiorem succum præbent, & pediculorum uim magnam progenerant.

Omnia acria, acida.) Adde etiam salsa, amara, austera: quæ quatenus talia sunt, omnia alimento donando, nisi prauo, sunt inepta. Quamobrem condiendis escis, & concinnandis medicaminibus sunt ea destinata, non cibo aut potioni præbendæ apposita.

Oleum.) Si de omphacino, quod omotribes uocant, aut magnopere uetusto Celsus loquitur, nihil equidem ipsi repugnabo: quando alterum frigidius & acerbius est, alterum iusto tenuius, calidiusq;. At dulce purumq; non perinde contemnendum edulium, ac condimentum est. Quod quamuis in biliosis atque inflammatis uisceribus æstum noxamq; adaugeat, non tamen idcirco mali succi pronunciandum est. Quandoquidem simili argumento ac ratiocinatione, quia frigidis competit & utile est, ideo boni succi effici possit. Verùm Celsus, ac quiuis naturæ peritus medicus, quæcunq; de rerum natura ac uirtute tradit, non ea cum quouis temperamento collata, sed medio, & omnis uitij experte, talia esse pronunciat. C

Pisces saxatiles.) Id nemo, puto, Celso uerũ esse dabit. Sunt enim saxatiles pisces omnium ueterũ recentiorumq; calculis probatissimi. Scio equidem quòd teneri sunt, & in æstuante uentriculo facilè corrumpi possunt. At hoc ipsum laudi, non uitio uertendum est. Nempe quòd in temperato stomacho innoxij, cumprimisq; salutares: in improbo, ne uitio quidem satis resistere possunt. Quando nihil tam bonum est, quod non uitiosorum commercio corrumpatur. Et quicquid ex facili concoquitur, facilè item alteratur & corrumpitur. Bonum enim in escis est, non quod nunquam fit deterius, nihil siquidem tale inuenias: sed quod bene compositis ac temperatis corporibus nihil officiat. Non itaq; pisces, quia è tenerrimo genere sunt, damnare licet. Quoniam teneritudo mollicies atq; friabilitas summæ laudi, non uituperationi uertantur: sed quia putidi, quia iniucundi, quia impuri, quia superuacanei excrementi & mali succi, accusantur. Ita enim dracones, ita scorpios,

A scorpios, ita callionymos, ita anguillas, ita cetacea, ita in uitiosis ac turbulentis orta atq; educata omnia, meritò atq; uno ore reprehendimus omnes.

Quæ res lenes, quæ ue acres sint. Cap. XLII.

LEnes autem sunt, sorbitiones, pulticula, laganum, amylum, ptisana, pinguis caro, & quæcunq; glutinosa est. Quod ferè quidem in omni, quæ domestica fit, præcipuè tamen in ungulis, trunculisq; suum, in petiolis, capitulisq; hœdorũ & uitulorũ & agnorum, omnibusq; cerebellis. item si qui propriè bulbi nominantur, lac, defrutum, passum, nuclei pinei. Acria sunt omnia nimis austera, omnia acida, omnia salsa: & mel quidem, quo melius est, eo magis. Item allium, cepa, eruca, ruta, nasturtium, cucumis, beta, brassica, asparagus, sinapi, radicula, intybus, ocymum, lactuca, maximaque olerum pars.

ENARRATIO.

Lenes autem sunt.) Refert nõ paululum quæ in cibi genere sint lenia, quæq; acria: ferè enim illa, quia quadam iucunditate delectant, facilè concoquuntur, & citò digeruntur, & bono succo nutriunt: si non uel crassitie, uel insigni aliqua qualitate coniuncta hæ uirtutes obruantur. Qualia sunt maximè quæcunque nec astrictionis, nec acrimoniæ euidentem ullam significationem prę se ferunt, sed uel dulcia iucundè, uel clementer pinguia, uel uiscida, uel ἄτονα ac qualitatis explicatæ immunia, uacuaq; percipiuntur. Talia sanè sunt, quæ Celsus hoc loco recenset, modò sorbitiones ipsius ac pulticulæ quas intelligit, nulla è materia acri aut astringente, sed leni suauiq; apparentur. Non etenim quia sic appellantur, sed quia miti materia constant, lenia efficiuntur. Nam quis è uino acri aut acido, aut amaro, aut aqua salsa, aut lacte uetusto nescit lenes neque sorbitiones, neque pulticulas, adde ne è ptisana quidem, aut amylo, si piper plusculum, si calaminthen, si porrum inijcias, parari posse? Cæterùm acria sunt hoc loco, non ea tantum quæ urente caliditate palatum faucesq; inflammant, ut pyretrum, sinapi, piper: sed quic quid leni sapore præditum non est. ut sunt acida omnia, salsa omnia, astringentia omnia, siue austera ea, siue quæ sunt uehementiora, acerba sunt. Adde multo magis superioribus tum amara, tum quę acri & inflammante sapore mordent punguntq; uniuersa.

B

Laganum.) De pulticulis, de amylo, de ptisana, deq; cæteris rebus alijs quę hoc loco repetuntur, & quarũ uim naturamq; suprà explicauimus, nihil referre libet: quæ necessaria putabimus, neq; aliàs dicta sunt, pauca subijciemus. Quæ itaq; ueteres uidentur communi nomine itria nuncupasse, ea posteritas lagana, & quæ his sunt meliora, rhyemata dixerunt, pistoria nempe opera omnia ex tritico, nullo addito fermento, sed adiecto interdum caseo composita: quę sunt cuncta tum per se, tum alijs adiuncta, crassi ualde succi.

C

Item si qui propriè bulbi.) Austerum & lentum crassumq; succũ, atq; eum amaritudine quadam temperatum obtinent. Quare in hoc ordine lenientium haberi nõ merentur, præterquàm si quis amaritudinem coquendo deterat, & crassitiem quoque mox aliqua arte corrigat. Sed hac ratione similia alia quæ acribus adhærent plurima huc se recipient. Quod non uideo cur haud fieri possit, ut idem non eodem modo uarijs formis subijciatur.

Cucumis.) Non admodum fore arbitror ut quisquam, qui huius naturam humidam frigidamq; norit, patiatur ipsam in acribus poni. Certè fatuam lactucam multo minus, aut atriplicem, aut blitum. Quoniam ista nec acri astrictione, nec salsitate, nec uerò caliditate ulla sunt insignita, ut acribus ullo modo cõnumerentur. Quocirca lenibus talia melius attexueris, ut maluam

quoq;, & cucurbitã coctã, & oua tremula ſorbiliaq;, & aues piſcesq; mediũ generis, & uitulos, hœdos, & alas iunioris & ſaginatę gallinæ, & iecur anſeris albi, & teſtes lacte aliti galli. Verùm ſi quis maiore eruditione, aut ingenio excellentiore præditus, ſiue hæc quę modò reprehẽdimus, ſiue alia quę nonnulla de cauſa interdũ, nulla carpendi libidine incitati, ſed ueritatis ſolo ſtudio inducti refellimus, qualia ſcripſit eſſe Celſus, talia ipſe tueri uelit, ac uerè poſsit, in magno id nimirum lucro ſumus poſituri, ut benigniter de rebus quæ nos fugerunt, quæq; ignorauimus admoneamur, inſtituamurq;. A

Quæ res craſſiorem, quæue tenuiorem pituitam faciant. Cap. XXIII.

CRaſſiorem autem pituitam faciunt, oua ſorbilia, alica, oryza, amylum, ptiſana, lac, bulbi, omniaq; ferè glutinoſa. Extenuãt eandem omnia ſalſa atq; acria, & acida.

ENARRATIO.

Craſſiorem autem pituitam faciunt.) Ex iſs quæ craſſum ſuccũ generant, partim pituitoſum, partim melancholicũ faciunt. Nam ſub pituitoſo etiam crudum propriè nominatũ, qui craſsitie tantũ ab illo diſsidet, iam cõplectimur. *his* ex aduerſo omnibus opponuntur, primùm cuncta quæ extergunt atq; incidunt uiſciditatem, deinde quæ craſſa tenuant, tum quæ obſtructiones ab utriſq; profectas liberant. Priora quæ ſuccum craſſum aut glutinoſum gignere diximus, in cibis pleraq; cẽſentur, & quidem plurimũ alentibus: atq; adeò, dum bene modò nõ ſolum in uentriculo, uerumetiam in iecore ac uenis concoquantur, in bonũ quoq; ſanguinem producentibus. Quod iſs uſu uenit corporibus ſolum quæ optima temperatione conſtant, quæq; ſuccorũ amplas intus habent uias, & quæ ſe denicq; ante cibum ſatis exercitãt. Nam cæteris nec tuta ſunt, nec expediunt diutiuſculè uſurpata. Poſteriora uerò, quæ extergere, incidere, tenuare, obſtructa liberare memorauimus, ut multa habent quæ medicamenta uerè appellaueris: ſic longo uſu frequentata ſanguinem ſerò, aut bile amara, uel atra uitiant. Nam præterquàm attenuandi & incidendi, immoderatius quoq; calfaciendi uis ipſis ineſt. Caloris autẽ hæc uis immodica perinde ſolidas exiccat partes, atq; ſuccos ſpiſſat. Ideoq; in renibus calloſos indurat calculos: uẽtriculum mordet, faſtidia ciet, aliaq; mala creat plurima, niſi tempori ac menſurę attendatur. Solis itaq; iſs qui ex priori genere noxam perceperunt, aut refrigeratis corporibus hæc utilia ſentiuntur: ut diuturnis morbis, ut articularibus, ut difficili anhelationi, lienis tumori, iecoris ſcirrhis, epilepſiis exiguis, & etiamnum inchoantibus, cæterisq; uitiis ex prioris formæ humoribus ortis. B

Oua ſorbilia.) Si gallinacea oua ſunt, ſi recẽtia, ſi ſorbilia, præterquàm quòd gutturis aſperitudines leniunt, cõficiuntur et digeruntur, atq; alũt perquàm commodè, ne craſsitatis eximiæ nota temerè ipſa infamemus. Quare mendam penè ſubeſſe puto, præſertim quum ſuperius iſta inter res imbecilliſsimas retulerit ipſemet Celſus: quomodo è diuerſo inter ualentiſsima, eoq; craſſa alimenta, oua dura, hoc eſt, ad perfectam uſq; concretionem ſeu elixa, ſeu aſſa connumerauit. Non enim quæ infirmiſsima materia, ſed quæ ualentiſsima ſunt conſtituta, craſsiori generando humori ſunt appoſita. C

Amylum.) Succum habet illum quidem craſsiuſculum, nõ tamen malum: ſed elotis panibus, niſi paulo tenuiorẽ, facultate parem, æquandi ac leuigandi partes exaſperatas compotem. Quapropter ne iſtud quidem admodum huc referri meruit, quanquam nec nulla de cauſa potuit.

Ptiſana.) Aſpectu tenacitatem ac craſsitiem, dum penitus percocta eſt, præ ſe fert. Sed fallax hoc in ipſa argumentum uſus demonſtrauit. Eſt enim lentitia quadam ſua leuis, continua, iucunda, lubrica, modicè flaccideq; humecta: ſitim arcens, abluens, aſtrictione carens, turbationem nullam intus in cor-

A corpore concitans. Quæ non crassæ sanè, sed extergentis rei notæ sunt.

Lac.) Non certè omne, sed quod minimum in se serí habet, caseiq; plurimum. ut est bubulum, & magis ouillum, maximeq; suillum.

Bulbi.) Si sua bulbi amaritudine nō exuantur, crassi pariter ac tenuis facultatis participes sunt. Sin amarore spolientur lixando, crassum glutinosumq; humorē retinent. Cæterùm crassefacientibus addas licebit panes siligineos: sed eos purissimos, et multi fermēti uacuos, et placētas quoq;, et liba, et pulticulas oēs è triticea farina aut similа cū lacte, aut sapa, aut mulso, aut crasso uino paratas: omniaq; dulcia simul & crassa: p̄terea palmulas, castaneas, iuglādes, sed magis auellanas, cochleas, ostrea, et testacea omnia, brassicā, lentē, rapū, caseos, iecora, renes, testes, lienes, labra, rostra, partes extremas, cerebella: deniq; quæcūq; austera, acerba, insipida, aut ualēter alere, supius ostēdimus.

Extenuant.) Extenuant ptisana, ficus, uuæ passæ dulces, fabæ, cicera præsertim nigra, capparis, cepæ, allia, porri, lactis serū, carycæ, amygdalæ, mel, acetum, muria, oxymel, nasturtium, sinapi, smyrnium, pyretrum, origanum, calamintha, sysymbrium, pulegium, satureia, thymus. Quæ si uirent uniuersa, etiamnum uesca sunt: si arida, tantum medicamenta. Nam sicca uiridibus multo sunt efficaciora, quo modo sunt etiam matura fortiora immaturis. Et in arentibus, ac locis editis orta, quàm in campestribus aut hortis, aut paludi
B bus nata: seminaq; item suis herbis sunt sicciora. ut semen papaueris aut lactucæ, quàm uel succus, uel herba. Superioribus autem stirpibus proxima sunt, paulóq; tantum infirmiora, eruca, sion, apium, petroselinū, orminum, cherefolium, raphanus, brassicæ succus, beta. Paucis huc refer quæcunq; salsa, aut acria, aut acida, aut nitrosa, aut amara sunt.

Quæ res stomacho idoneæ sint. Cap. XXIIII.

STomacho aūt aptissima sunt, quæcūq; austera sunt, etiā quæ acida sunt, quę́q; cōtacta sale modico sunt. Item panis sine fermento, & elota alica, uel oryza, uel ptisana: omnis auis, omnis uenatio, atq; utraq; uel assa, uel elixa. Ex domesticis animalibus, bubula. Si quid ex cæteris sumit̄, macrū potius, cū pingue. Ex sue, ungulæ, rostra, aures, uuluæq; steriles. Ex oleribus, intubus, lactuca, pastinaca, cucurbita elixa, siser. Ex pomis, cerasiū, morū, sorbū, pirū fragile, quale Crustumiū, uel Neuianū est. Item pira, quę reponunt Tarentina atq; Signina. Malū orbiculatū, aut Scandianū, uel Amerinum, uel cotoneū, uel punicū. Vuæ ex olla, molle ouū, palmulę, nuclei pinei, oleæ albæ ex dura muria, eædē aceto intinctę, uel nigræ,
C quæ in arbore bene permaturuerunt, uel quæ in passo, defruto ue seruatæ sunt. Vinum austerum, licet iam asperum sit, item resinatum. Duri ex media materia pisces, ostrea, pectines, murices, purpurę, cochleæ, cibi, potionesq; uel frigidæ, uel feruētes, absynthiū,

ENARRATIO.

Stomacho autem aptissima.) Quæ astringunt tum acerba, tum austera, stomacho apta sentiunt̄: quia roborari is, & constringi gaudet. Acida quoq;, quia calentem refrigerant, & crassos eius humores crudosq; tenuant ac dissecāt. Longè tamen illi aptissima, in quo crassa bilis grassatur, quippe quæ tenuando refrigerandoq; eius uiolentiam reprimunt. Contacta uerò modico sale, minus ipsa humēt, minusq; corrumpunt̄, et simul à nimij humoris ac corruptelæ noxa stomachū uindicant, & nonnihil etiā ipsum cōfirmant, cogūtq;.

Panis sine fermento.) Fermentum acrimonia sua ex putredine contracta stomacho aduersatur. quamobrem panis illi elotus est amicior. Vt elota quoq;

alica, aut oryza, aut simila, quia tenerescit, & lentore abluto minus fit uisci- A
da. Siquidem nec acria, nec lenta, nec humida, nec uncta immoderatè, nec quicq; quod eximia aliqua ui ipsum sollicitet, stomacho gratum est. Sed delectant eum quæcunq; uel illatã antè iniuriam noxamq; auferunt minuũtq;, uel quæ ipsi quauis ratione confirmando opitulantur. Ex quo fit, ut pro intemperiei, & superuacaneorũ in ipso humorum ratione, aliàs rebus aliis iuuetur, & recreetur. Vt bilioſus acidis, nimium humidus astringentibus, pituitosus acribus, frigidus calidis, calidusq; frigidis.

Omnis auis, omnis uenatio.) Assa humenti, frigidoq;, elixa arido aut æstuanti magis cõueniunt stomacho: præsertim ex animantibus foris neq; præduris, neq; præaridis, neq; præuncta ualde carne prędítis. Temperata nanq; siccitate ferina caro stomacho, cq; domestica pinguisq;, maiorẽ uoluptatẽ adfert.

Ex domesticis bubula.) Sed nec uetustate, nec salsedine, nec macilentia dura. Sunt enim hæc stomacho infesta, præsertim infirmiori: sed minus quoq; cq; fastidiosa pinguetudine diffusa, quam omni penè ariditate magis repudiat: propterea quòd innatat, & nauseam ciet, & uirtutẽ uentriculi exoluit. Macilentia uerò, nisi maiorẽ in modum est dura aut multa, citra fastidium, citraq; uirium noxam subsidit. Quare dum hæc concoquuntur, quod felicissimè in imo peragitur uentriculo, illa in huius orificio cruda cohærescũt, atq; illi nauseam, uomitionem, appetentiæ perniciem, sibi uerò corruptelam cæterisq; B cibis accersunt: aut certè ut moderatissimè noceant, superfluitando molestiam inferunt. hoc itaq; nomine domestica, eademq; pinguia uniuersa respuit & auersatur: montana ferinaq;, & quæcunque hisce carnis moderatè pinguis ratione respondent, diligit, amatq;.

Ex sue ungulæ.) Quia minimè pinguescũt, & facillimè tolerantur. Verùm nescio quamobrem caro submacra hisce posthabeatur, præsertim ex etiamnum crescente animali: at firmitatem accuses fortasis nimiam, quæ in carne eiusdem animantis, cq; in trunculis, rostris, petiolis, semper est robustior.

Ex oleribus intybus.) Intybũ Latini pro seride satiua maximè usurpãt. Quanquam pro agresti quoq; capi uox eadem nonnunq; solet. Sunt autẽ duæ satiuarum species. Latifolia, quam endiuiã Hetrusci nominãt: & anguſtifolia, quam uulgus scariolã nuncupat. Siccant & refrigerant secundo gradu. Præterquàm q̃d in uirentibus satiuis humiditate nimia siccitas propè extinguit. Astringũt præterea, & stomachũ hoc nomine adiuuãt, maximeq; æstuantẽ atq; præhumidũ syluestres. Quarũ latifolia, ambubeia & cichoriũ dicit: anguſtifolia hedypnois, & officinis dens leonis uocat. Quin et iecur, ꝓprietate quadã corroborãt, & obstructiões auferẽdi, quantũ nullũ olus aliud, habẽt.

Lactuca.) Quia frigidum humidumq; succum generat, eundemq; non plane uitiosum, lactuca conuenit bilioso ac febrienti, calidoq; pariter ac sicco stomacho. Contrarioq; parum prędidq; adfert. Quamobrem æstate maximè C fastidia pellit, cibiq; appetentiam oppressa bile reuocat. Cruditatem nunq; facit, elixa magis alit. Lota stomachicis comesta prodest.

Pastinaca.) Dictum est de hac superius. Illud hic tantum adijciam, cibo esse pastinacam satiuam, quàm syluestrem, aptiorem. Eamq; stomacho suauitate quadam odoris commodare arbitror. Delectatur nanq;, & reficitur, si quod fiscus aliud, odoratis atq; aromaticis rebus, stomachus.

Cucurbita elixa.) Cruda uidelicet cibo insuauis est, ac pernicioſa, & concoctu planè inexpugnabilis. Simulatq; igitur elixa est, aut fricta in sartagine, aut assa, comedi debet. Concoctu quidem facilis, boniq; succi, sed exigui tamen. Verùm si quos humores prauos in uẽtriculo assequitur, ipsa protinus unà corrumpitur, & pernicioſum succum facit. Alioqui sitim sedat, urinam ciet, & uentrem mouet. Calidis & siccis temperaturis benefacit, pituitoſos lædit, colicosq; affectus.

Siser.) Suauis ori sisari seu siseris radix elixa est, & stomacho utilis, & urinam

A rinam proritat, & appetentiam excitat. Dioscorides, Galenus, Paulus, Aetius, Plinius in hoc consentiunt. Pastinacam uerò, aut cucurbitam simili elogio, aut iuuandi singulariter stomachi laude, nemo eorundem commendat.

Ex pomis cerasum.) Diximus suprà quæ ad hunc locum illustrandum sufficiant, tum in pomis fugacibus, tum in conditiuis. Duo siquidem maximè in his omnibus spectanda sunt, Diuturna ne sint, an fugacia, & quo sapore imbuta: hinc enim omnis pomorum uis, hinc facultas pendet. Aliter nanque affecto stomacho, quæ prius quàm arescant, corrumpuntur, fugiuntq;, & aliter quæ reponi queunt, opitulantur. Secus item quæ astringunt, secus quę acescunt, secus quę dulcia, aut insipida, aut acria sunt, subueniunt. Quare cerasum, sorbum, malum, pyrum, punicum quid resipiant, quid oleant: non quod Crustumium, quod Neuianũ, quod Tarentinum, aut Signinum, aut Scandianum, aut Amerinum nuncupes: nec uerò quod orbiculatum, quod oblongum sit, quærito, aut expendito. Non enim tam nomina, quæ nobis exotica atque exoleta propè sunt, quàm fructuum uirtus est inuestiganda: quæ non ab etymis grammaticorum, sed gustatu & olfactu rerum petitur. Si fugax est fructus, nisi probè permeet, nocet in primis: si repositus, melior est, & nouissimæ mensæ inseruit. Rursus si astringit, gelidum ac terrestrem succum habet, & ab immoderato calore aut humiditate
B uacillantem stomachum fulcit ac sustinet. Si acescit, frigidum quoque, sed eundem tenuem succum continet: qui uentriculi crassis humoribus, non perinde tamen frigidis commodè obijcitur. Si acris est, calet iam apprimè, & crassos algidosq; humores probè conficit. Si dulcis, in partem calidam pronior est: & tum distributioni, tum alimento præbendo accommodatior. Si fatuus atque insipidus est, in latus frigidum magis inclinat: nullocq; nomine utilis, nisi ut Cantabri hospitis munera facias. Hæc itaque in malis, in pyris, in fructibus denique omnibus perpendito atque inuestigato solum & accuratè, quisquis fructibus iuuari, minimumq; lædi expetis. Punica porrò à reliquis pyris malisq; hoc differunt, quòd neq; crusta pistoria, quemadmodum cætera, assentur, neque aqua aut uapore elixentur, & succum ampliorem contineant: & non solum gustu gratiorem, uerumetiam stomacho confirmando aptiorem. Parcissimè alioqui corpus nutriũt, adeò ut illis tanquam cibis nunquam, sed ut medicamentis tantum utamur. quum sit pyris, præsertimq; grandibus aliqua alendi corporis facultas insita. Sorba autem à mespilis, quod ad facultatem attinet, hoc discrepant & dissentiunt, quòd maiore cum uoluptate sorba capiantur, quippe austera tantum, quum sint mespila etiam acerba. Ambo uerò parcè, nec pro cibis, sed pro medicamentis ad roborandum stomachum æstu imbellem sunt assumenda. Illud scire oportet, uera mespila esse tricocra: quemadmo-
C dum epimelides sunt pentacocræ.

Vel cotoneum.) Eximium cotonea id præ cæteris malis habent, quòd magis astringunt, & quòd succum durabilem, qui cum melle asseruetur, suppeditent: fit igitur ex ipsis diacotoneon, quod uocat, stomacho recreando atque reparando summè utile.

Vuæ ex olla.) Vuæ uarijs modis reponi & seruari consueuerunt. Sed optimæ sunt, quæ in mustum coniectæ, aut quæ in ollas nouas abditæ asseruantur. Ventriculum scilicet hæ dissolutum confirmant, cibi auiditatẽ reparant, concoquuntur facillimè, sed per aluũ minus facilè delabuntur. Mansæq; largius capitis arcem tentant, præsertim in musto conditæ. Nam in ollas hoc pacto reponi debent. Ollæ simul nouæ, simul ex luto bene olente, & plenè percocto fictæ, uuisq; refertæ uinaceis obruuntur, operculo diligenter, ne qua parte perspirẽt, obfirmantur. Vbi operculum ollæ incumbit, spiraculis omnibus affabrè obturatis, in orbem oppicantur, atque ita in proximam æstatem atq; autumnum custodiuntur.

Ouum molle.) De ouis, palmulis, oleis, de piſcibus & teſtaceis omnibus, A oſtreisq́, nihil attinet hic multa recenſere. Quando, qua ui ſint cuncta prędita, partim antè traditum eſt, partim pòſt aliquid dicetur. De uino auſtero & reſinato, de abſinthio, de calidis ac frigidis rebus pauca tantũmodo quædam, quæ huc maximè pertineant, adĳciam. Vina itaq; auſtera uentriculi os roborãt, itemq́ uentriculum ipſum, præſertim calida intemperie affectum: magisq́ etiam acerba, quæ Celſus aſpera, ab ipſorum in lingua faucibusq́ affectu uocat. At reſinata excalfaciunt, & concoctionem adiuuant: eoq́ etiam concoctionis primariam officinam uentriculum ſuſtinent. Verùm ſanguinem excreantibus inimica ſunt. Abſinthĳ autem genera quum tria uetęribus ſint prodita, põticum, ſeriphium, ſantonicum: unicum primum, quod & Romanum uulgò nominãt, aſtrictionis nomine, quam obtinet neutiquã exiguam, ſtomacho aptum agnoſcitur. Calefacit primo gradu, ſiccat tertio. Bilem uentri & ſtomacho inhærentem expurgat: faſtidia diſcutit, crapulam præſumptum arcet. Verùm cõtentum in uentre, aut thorace, aut pulmone, pituitam nihil iuuat: propterea quòd aſtringẽs in ipſo uirtus, quàm amara, ualentior ſit. Ad hæc frigentia calentiáue ſeu poculenta, ſeu eſculenta poſcit ſtomachus, quòd ab his roboretur ac ſtringatur, à tepidis diſſoluatur & elanguęſcat: frigus ſiquidem cogit. Cogit & feruor, modò ut ne urendo lædat. B Tepor laxat, exoluit, languefacit.

Quæ res alienæ ſtomacho ſint. Cap. XXV.

ALiena uerò ſtomacho ſunt omnia tepida, omnia ſalſa, omnia iurulenta, prædulcia, omnia pinguia, ſorbitio, panis fermentatus: itemq́ uel ex milio, uel ex hordeo, oleum, radices olerum, & quodcunq́ olus ex oleo garo' ue eſtur: mel, mulſum, defrutũ, paſſum, lac: omnis caſeus, uua recens, ficus & uiridis & arida: legumina omnia, quæ'que inflare conſueuerunt: item thymum, nepeta, ſatureia, hyſſopum, naſturtiũ, lapathum, lapſana, iuglandes. Ex his autem intelligi poteſt, nõ quicquid boni ſucci eſt, protinus ſtomacho conuenire: neque quicquid ſtomacho conuenit, protinus boni ſucci eſſe.

ENARRATIO.

Aliena uerò ſtomacho ſunt.) Facilè ex præcedentis capitis enarratione colligere eſt, quæ iam ſtomacho ſint parum propitia. Si enim ĳs quæ aſtringunt roboratur, rebus nempe auſteris & acerbis, ſi calentibus aut algentibus bene ualet, ſi ſubmacilentis delectatur, ſi res acidas, aut ſale modò contactas a- C mat, quis obſecro neſcit quin contrarĳs triſtetur? quin undecũq́ exoluitur, ut rebus dulcibus, fatuis, inſipidis, tepentibus ægrè habeat, & debilitetur? quin unctis, & præpinguibus ac fluctuantib. offendatur? quin denĳq́ amara, ſalſa, acria, flatulenta, quia rodant, quia pungant, quia diſtendant, fugiat oderitq́? Quamobrem hinc quiſque protinus intelliget, non modò cur ea quæ Celſus hic exponit: ſed alia quoq́ plurima ſtomacho parum amica grataq́ ſentiantur. Tepida ſiquidem uires eius exoluunt, ſalſa pungunt: iurulenta fluctuant, prædulcia inflant & languefaciũt: fluctuat rurſus ſorbitio, pungit panis nimis fermentatus: miliaceus uerò cineris inſtar aridior eſt, hordeaceus quoq́ nihil in ſe glutinoſi, niſi aliunde accerſas, cõplectitur. Quæ ſunt omnia tam aliena à ſtomacho, quàm quę præpinguia. Macilenta ſiquidem, ſed ſucco genuino, ſed glutine ſubpingui reſperſa laudamus. Dura uehementer, aridaq́ nimis, ut pinguia quoq́, in uitio ponimus. Porrò oleũ, quia unctius, quis non aduerſum ſtomacho cernit? Quis olerũ radices, uel quia inſipidæ,

A insipidæ,uel quia acerbiores infestas non meminit? Vt olera ipsa quoq;, si quæ nisi ex oleo garoq; assumpta,minimè sapiũt. Mel etiã acredine,& dum crudius est, flatu: multum uerò,defrutum, passum nimia dulcedine ac uento nocent. Lac item quia inflat,tum etiam quia in frigidiore uentriculo acescit,in calidiore fuligine et nidore inficitur,improbatur. Iam caseus si recens est,lacti persimilis est: uetus acrior. Vua recens flatibus distendit, itemq; ficus,& ambo facilè corrumpuntur. Inflant quoq; præcipuè legumina. Thymum,nepeta, satureia,cæteraq; quæ sequunt omnia, acrimonia aut amaritudine lædunt. Iuglandes præterea etiam unguine: quod in ipsis magis redundat,quanto magis ueterascunt. Ex his itaq; perspicitur,quæcũq; stomacho infesta sunt: non enim Celsus omnia percensendo complexus est,ad ea capita,quæ initiò proposuimus,posse referri. Non q; his omnibus,quandocunq; sumunt,stomachus omnis offensionẽ experiatur. Acria enim,& amara,& salsa, crassis aclentis frigidisq; humoribus uentriculo grauato maximo pere conueniunt. Iuscula & dulces sorbitiunculæ arido ac senescenti stomacho mirum in modum congruunt. Nec quicquam est,quod non alicubi optimum esse queat. Sed de bene ualente atq; integro dicta sunt, quæcũq; à stomacho aliena,aut eidẽ fausta felicia q; esse prædicauimus. Nam sunt præterea occultæ quædam naturæ,quæ à rebus bonis peius,quæq; à malis me-
B lius se habeant. Quæ quidem sub artis præcepta non cadunt: debet autem ea unusquisq; in se usu atque experientia nosse, iuxta illud Hippocraticum: Deteriora paulo licet, si sunt iucundiora,melioribus sunt potiora. Nec id sanè,quod bene admonet Celsus,obscurum est: non quicquid boni succi est, protinus stomacho cõuenire. Lacte enim ac melle, oleoq;,aut pane fermentato cæteraq; bene confecto, aut dulci sorbitione, nihil melius est: non tamen hæc ipsa stomacho omni bona sunt. Contraq; uinum austerum,bubula, intybi, sorba, mala sunt. Stomacho uerò plerunque non mala. quoniam alia lege bono succo generando, alia stomacho erigendo tuendoq; conueniunt: hic citra molestiam sibi robur addi poscit,in illo naturæ substantiæq; tantum bonitas quæritur.

Quæ res inflent,aut inflationem leuent. Cap. XXVI.

INflant autem omnia ferè legumina, omnia pinguia, omnia dulcia, omnia iurulenta, mustum, atque etiam id uinum, cui nihil adhuc ætatis accessit. Ex oleribus allium, cepa, brassica, omnesq; radices, excepto sisere & pastinaca, bulbi, ficus etiam aridæ, sed magis uirides,uuæ recentes,nuces omnes, exceptis nucleis pineis, lac, omnisq; caseus, quicquid deinde subcrudum aliquis as-
C sumpsit. Minima inflatio fit ex uenatione, aucupio, piscibus, pomis,oleis,conchilijs,ouis uel mollibus,uel sorbilibus,uino uetere. Fœniculum uerò & anethum inflationes etiam leuant.

ENARRATIO.

Omnia ferè legumina.) Inflant cicera,lupini,fabæ,dolichi,sed minus fabis: adde his panicum,milium,hordeum non satis nec plenè percoctum.

Omnia pinguia.) Turgescunt coquendo atq; intumescũt pinguia,siue id flatibus inde per imbecillem calorẽ excitatis, siue pinguis materia rarefacta & tanq; exundante fiat. Certè distentionem tumidam & molestam semper eo in loco,quo ista cõtingunt, efficiũt, eo magis,quo locus inturgescit magis, teneriusq; sentit. Quæ sunt in omni tensione perpetuò spectanda. Nam ubi calor satis uehemens est, is flatuũ materiam superare atq; absorbere potest: molestiaq; nulla sequitur. Nihilo sanè magis,quàm ubi frigore uincente flatus item nullus oritur. Vbi uerò locus,quo includitur flatio, non sentit,neis

quidem, quantumuis multum excitetur, dolere potest. Quoniam inflatibus A
percipiendis duo insint oportet, calor infirmior debito, & locus sensu aliquo præditus. Quibus si materiam accommodam adijcias, iam rem quoq; propius conspexeris. Nam ex arida uentus nullus nascitur. Ego enim ne exhalationem quidem, unde uentos fieri author est Aristoteles, omnino aridã esse debere iudico, sed uaporibus nuncupatis, & rebus unde isti existunt, solum ficciorẽ. Vtcunq; tamen sit: nam physicus, quàm medicus, limatius talia, subtiliusq; perquirit, unde ea exhalatio ducitur, id humore aliquo imbutum sit oportet: sic ut in alijs hoc fiat nimia prorsus ipsorũ humiditate, quã calor uniuersam absumere non potest. Vt in ijs qui nimia se potione uel uini inuitarint, uel ceruisiæ impleuerint, uel iurulentis distenderint, uel ullius alterius rei lentore ac crassitie maiore se inferserint, quàm calor peruincere queat: uti fit in ijs qui suilla se, aut musto uinoq; nouo, aut dulci ac crasso, aut ostracodermorum carne, se plurimũ oppleuerint. Vel tacita quadam ui ac natura ad generandos flatus apposita, ut fit in leguminibus, rapis crudis, pal mulis uiridibus, bulbis, cepis, similibusq; quæ scribit Celsus. Nisi fortasis secundi ordinis aliquid, nempe quod lentum sit, ac uiscidum, in his quoq; delitescere existimes. Certè ad tres hos rerum ordines, tanquam materiam unde uenti producantur, omnem inflationem reducas licebit. Cui deinde imbecillis calor, qui illam excitet, incumbit. Et locus ut molestiam experiatur, B
subest sensilis.

Omnia dulcia.) Præsertim si crassa simul, ac lenta sint: ut uina nigra ac dulcia, ut defrutum, imò & uinum dulce pariter & austerum.

Ficus.) At citò è ficubus flatus orti intereunt, quia ex facili per aluum subeant. Permaturæ nihil propè damni continent.

Vuæ recentes.) Appensæ, aut quemadmodum antè diximus, conditæ, inflandi uitium excutiunt.

Nuces omnes.) Sed auellanæ minus iuglandibus, propterea quòd hæ sint laxiores, & multa cum pinguedine uaniores, magis castaneæ, amygdalæ rursus minus paulo iuglandibus. Nempe pro pinguis oleosæq; qualitatis, quæ uetustate in omnibus augescit, ratione.

Nucleis pineis.) Pinea nux bonum crassumq; succum gignit, & alibilis est, haud facilè tamen concoquitur: astrictoriam uim habet, et aliquantũ acrem, tussi & pectoris uitijs auxiliatur per se, aut cum melle. Aqua macerata acrimoniam exuit, & calido frigidoq; temperata euadit.

Lac.) Quia flatulentum, idcirco ijs qui capite laborant, & quibus hypochondria turgescunt, dari uetitum est.

Quicquid subcrudum.) Cruda humore excrementitio & inutili scatent, magisq; etiam quæ nunquam maturuerunt.

Minima inflatio fit.) Venationem & aucupium figuratè per intellectionem, C
quam uocant rhetores, pro feris & auibus dixit: ferina itaq; caro, & auium, præsertim in aquis non degentium, minimum excrementitij humoris atque pinguedinis habet. Quare uentis generandis multam materiam præbere non potest.

Piscibus.) Id nescio an largiri Celso possim. Nam pituitosos omnes esse pisces, ac flatulentos, præsertim qui uiscida carne onerantur, in confesso est omnibus, etiam lippis atq; tonsoribus. Assi uerò minus inflant, minusq; etiam illi, qui friabili ac molli carne constant.

Pomis.) Cocta minus quidem crudis inflant, sed inflant ipsa quoque magna ex parte tamen.

Conchilijs.) Ostreis minus, ac cæteris id testaceis euenit.

Ouis uel mollibus.) Neutris inflationem magnopere fieri, nisi imbecilli admodum tractentur corporis calore, existimauerim.

Vino ueteri.) Si nec dulce, nec crassum est, nisi largius hauriat, aut pituitosum

ualde in

A ualde in uentriculū frigidum' ue infundaē, diſcutere magis quàm colligere uentos crediderim. Nam illis nominibus nihil eſt alioqui, quod nō flatibus excitandis materiā præbere poſsit: nedum ſi quæ res per ſe eò etiam ſit procliuior. Quare piſa, phaſelos, cicerculas pro uino ueteri, proq; ouis libēs hic ſubſtituerim. Nam certè piper quoq; & acria alioqui omnia, ſi in dēſam atq; uiſcidam pituitam incidant, flatus, non de ſe, ſed è tali pituita ſuſcitant. Ita uinum quoq; uel optimum, & quicquid demum eſt liquidum, ſi non ſua ui, certè ſua copia calorem opprimente, aut eius rei cui miſcetur, natura, inflationem producere poteſt.

Fermentum uerò.) Adde his cuminū, liguſticum, urticis ſemen, aut cannabis, aut carui, lauri baccas, mel quod coquendo omnem ſpumam euomuerit, panes hordeaceos, bulbos identidem recoctos, deinde ex aceto atq; oleo ſumptos, grana paradiſi quæ uocāt, ſimiliaq; alia multa acri uirtute prædita.

Quæ res aut calefaciant, aut refrigerent. Cap. XXVII.

AT calefaciunt piper, ſal, caro omnis iurulenta, allium, cepa, ficus arida, ſalſamentū, uinum, & quo meracius eſt, eo magis. Refrigerant olera, quorum crudi caules aſſumuntur, ut intubus, & lactuca. Item coriandrum, cucumis, elixa cucurbita, beta, mora,
B ceraſa, mala auſtera, pira fragilia, caro elixa, præcipueq; acetum, ſiue cibus ex eo, ſiue potio aſſumitur.

ENARRATIO.

At calefaciunt.) Piper & ſal tantū cōdimenta: cætera etiā alimenta eſſe poſſunt. Nam alliū ac cepas, ſi quoad acredinē ponāt recoquas, alere quoq; nōnihil inuenias. Verū ſi cōdimenta huc recipis, ſylua omnis illa aromatū atq; odoratarū ſtirpiū, & quicquid penè in tenuante uictus genere cōgruere poteſt, eodem iure huc accōmodari poterit: cinamomū, zingiber, garyophylli, moſchocaryon, macis, mel, ſacharum, thymus, origanum, naſturtium, ſinapi, ruta. Sed quid his immoror recēſendis? Quicquid dulce, pingue, amarum, acre, ſalſum linguæ percipitur: quicquid incidere, tenuare, tergere & calfacere compertum eſt, ad hunc nidum pertinet.

Caro omnis iurulenta.) Si nec caro piſculenta frigidaq;, nec cōditura frigefaciente ſit perfuſa. Aliàs enim carnis forma, aliàs parādi genus, calorē addere, uel demere, uel tueri poteſt. Quādo ne ius quidē albū illud, Græcis olim tātopere cāratū atq; expetitū, magnopere calere dicas: ex copioſa nēpe aqua, & olei quod ſatis ſit, & anethi porriq; pauxillo, ſaliſq; momento cōpoſitū.

Vinum.) Flauum ſummè calidum eſt, tum fuluum, mox rufum, deinde dulce, poſtremò album. nam id minimè omnium calefacit. Quin ſi nouellum
C hoc eſt, atq; aqueum, refrigerat euidenter. Nullum autem eſt, quod non uetuſtate fiat calidius, donec iam exoleſcat atq; aceſcat.

Refrigerant olera.) Talia ſūt portulaca, atriplex, ſpinacia, rumex, blitū, malua.

Coriandrum.) Dioſcorides item uim huic tribuit refrigeratoriam. Galenus & Auerroes calidum eſſe diſertè ſcribūt. Neutri, quantum equidem ſentio, prorſus uanè. Ex contrarijs mancq; uiribus cōpoſitum eſt, partim tenuis ſubſtantiæ, terrenæ, amaræ, & aquoſæ tepidæq; humiditatis exiguæ particeps: Quibus efficitur, ut tergeat, ut digerat, ut calefaciat. partim uirtute quadam modica aſtringendi prędituum. qua fit, ut cogat, ut denſet, ut refrigeret: at ita, ut à præſtantiore caliditate, inter calida uerius numeretur.

Beta.) Pro blito betū, uulgari & pernicioſo multorū errore, ponere uideē. Blitum ſiquidem frigidū humidumq;, & inſipidū olus eſt. Beta uerò nitroſę qualitatis particeps, quatum digerit, tum exterget, tum ſenſiliorem ſtomachum uellicat, et iecoris obſtructioni ſubuenit, & lienoſos cōmanducata mirificè iuuat, ſed alba potentius. Nigra etenim quippiam aſtrictionis annexū

habet, præsertim in radice. Sunt autem, excepta leui hac astrictione, cætera A
non pœnitendæ caliditatis testimonia, adeò ut Simeon Zethi calidam betam aridamq; in tertio ordine pronũciare non dubitauerit. Scio, elixa nitrosam uim excutit digerendi tamen uirtutem omnem, præsertim suo iusculo cui inconquetur, non abijcit.

Cerasa, mala.) Sunt sanè, qualia depingit, ista, si acida modò, si acerba, si austera percipiantur. At dulcia, aut acria, aut amara si qua reperiantur, ab hoc albo eximi omnino debent. quippe quæ iam calefaciant euidenter.

Caro elixa.) Vt carnẽ uel calidissimã, nedũ frigidã, cõditura refrigerari posse docui, sic uel frigidissimã pari arte calefacere licet. Quocirca nec iuri acceptũ calorẽ semper fero: nec elixationi perpetuò frigus, nisi ius itẽ calidũ, & aquæ elixatione carnis calorẽ diminutũ intelligas, quod nimirũ uerum est. In quo enim quæq; res elixat aut coquitur, aliquid illi suæ uirtutis dat, & ab ipso uicissim accipit. Nam & aqua quiddã carneæ uirtutis à carne capit, & aqueæ facultatis inuicẽ nõnihil illi ingerit. Vires siquidem mutuas donandi capiendiq;, quæ coquas atq; elixes, & in quibuscunq; id facias, tradunt.

Quæ res intus facilè uitientur, uel minimè corrumpantur. Cap. XXVIII.

FAcilè autem intus corrumpuntur, panis fermentatus, & quisquis alius quàm ex tritico est, lac, mel: ideoq; lactaria, atq; omne B
pistoriũ opus: teneri pisces, ostrea, olera, caseus, & recẽs & uetus, crassa uel tenera caro, uinum dulce, mulsum, defrutum, passum, quicquid deinde uel iurulentum est, uel nimis dulce, uel nimis tenue. At minimè intus uitiantur, panis sine fermento, aues, & eę potius duriores, aurati pisces: neque solum aurata pura, aut scarus, sed etiam lolligo, locusta, polypus. Item bubula, omnisq; dura caro: eademq; aptior est, si macra, si salsa est: omniaq; salsamenta, cochleæ, murices, purpuræ, uinum austerum, uel resinatum.

ENARRATIO.

Facilè aũt intus corrumpuntur.) Corrumpi dicitur hoc loco nõ solum q̃d uitium noxamq; possidet, sed etiã quicquid uitij putredinisq; cuiuspiã causam præbet. Quod quatuor maximè rationibus fieri uidetur. Primùm, si suapte natura in id pronũ sit ut corrũpatur: ut lac, pepo, cucumis, persicum, anguilla, & quicquid in horæis, alijsq; rebus, putidũ iam, aut putrefactioni uicinum est. Deinde q̃d intemperiẽ uentriculi uiscerumq; auget: sic mel bilio sis, sic flaua uina, sic cepa, sic allium facilè corrumpitur. Adde his quæ molliora infirmioraq; sunt, q̃ ut cõfici, nec aduri possint, ut pisces saxatiles. Ad eũdem modũ, C
lactucã, atriplicẽ, acerbũ pomũ, piscẽ in pituitoso uentriculo facilè putredine tentari uideas. Præterea quia uel lentius, uel crassius est, q̃ ut per uenarũ iecoris q; angustias, quin impingat, cõmeare possit: ut suilla, ut alica, ut placentæ, ut lagana, lens, brassica. Postremò, quia mali succi est, & ne in felici quidem, optimoq; corpore bonum unquam sanguinẽ creare solet: sed uel crassiorem iusto, uel tenuiorem. De quibus peculiari capite, quemadmodum de uiscidis etiã, crassisq;, proditũ est. Ad hos itaq; tanq; fontes referenda erunt, quæcunq; in eorũ, quæ de facili corrũpuntur, numero cẽsebantur.

Panis fermentatus.) Fermento ac sale moderatè imbutus panis, beneq; & elaboratus, & percoctus, si proba quoq; & eximia materia cõstat, ad cõcoctionem facilè omniũ est appositissimus. Contraq; deterrimus cẽsendus est, cui superiorũ nihil inhęret. Quibus extremis, quo quisq; iam panis alius est propinquior, hoc melior peior ue existimandus est. Quare Celsus, si panes athletis aut fossoribus iuuenibus parat, nec accuratè coctos, nec admodum fermentatos concessero. Vrbano homini, aut seni, aut ocioso, aut optimę ualetudinis

A tudinis ſtudioſo, probè peractos, & egregiè fermentatos popoſcero. Omnis aũt fermẽti uacuũ nemini, nec meſſori, nec foſſori, nec uenatori quidem ualde permiſcro: præterquàm in quo crudum gelidumq; ſuccũ non uereri, haud erubeſcã. Quamobrem fermentũ nihil eſt cur tãtopere uituperemus, aut ne corruptelam accerſat pertimeſcamus. Quanq; in uitiato certè maiorẽ in modum ſtomacho, q; non fermentatus, celerius unà corrumpitur. Non q hanc noxã ipſi ucrè imputes, ſed illi unde fouetur uentriculo: fermẽto ſiquidem tenereſcit, ſine quo pertinacius ac diutius uitio capiẽdo reſiſteret. Idq; ita tamen, ut, ſi demum non ſatis accuratè perficiatur, grauiorem, aut certè parẽ ſit iniuriã poſtea, uel ſua craſsitie, uel lentore, corpori allaturus. Quorũ in omnib. duris, quæ paulo pòſt ægrè corrũpi dicent, bene meminiſſe decet.

Et quiſquis alius quàm ex tritico.) Panũ quot genera è tritico parari ſoleãt, ſuprà tradidimus: & modò quæ ſit eius concinnandi optima forma, oſtendimus. Vnde, qui quid efficiant, quamq; laudem aut uituperationẽ mereantur, facilè eſt conſequi. Ex olyra optima minus profectò quàm ſimilaginei laudabiles ſunt: ſed utiles tamen parari poſſunt, citraq; corruptelam gentes multæ ipſis ueſci deprehenduntur. hordeaceos, miliaceos, panicaceos, cæteroſq; quo potiſsimum nomine damnemus, ex antè dictis repetere licebit. In quibus corruptelæ metum magis omnino recipimus.

B *Lac.*) Suapte natura tum in frigido, tum in calido uentriculo citò corrumpitur. Optimum alioqui ſi eſt, in puro & præpurgato homine optimum alimentum ſuppeditat.

Mel.) Seu calidis uentriculis, ſeu ſiccis, ſeu utraq; intẽperie affectis mel inimiciſsimũ eſt, ſed maximè bilioſis, facillimeq; in ijs corruptionem percipit. Contraq; uel frigidis, uel humidis, uel ſimul utriſq; res eſt multo utiliſsima.

Lactaria.) Placentæ & lactaria omnia, quæ ex lacte & ſimila triticea conficiuntur, atq; adeò piſtoria opera omnia, libaq;, ſine fermento coacta, crudũ, craſſum, frigidum ſuccum, primùm obſtructionũ, mox etiam putredinum & peſsimarum ægrotationum parentem progenerare conſueuerunt.

Teneri piſces.) Diximus antè, teneritudinem haud meritò accuſari. Non enim ab illa, ſed ab intemperie nimis calida, quę citius eam perurit ac corrumpit, quàm concoquat, damnum proficiſcitur.

Oſtrea.) Quo nomine lactaria & piſtoria opera damnauimus, eodem prope oſtracoderma atq; teſtacea taxare licet. In quibus tamen oſtrea omnium ſunt moderatiſsima.

Olera.) Frigida in frigidis uentriculis, inq; calidis calida conſequentẽ corruptionem, niſi occurratur, non effugiunt.

Caſeus.) Recens ſimili ratione, ac de lacte modò dictum eſt, ſe habet. Vetus ſucci malicia putredinem, ſi pluſculo utaris, minitatur.

C *Craſſa uel tenera.*) Tenera in homine intra uiſcera æſtuante, craſſa in algente, uitium procreat.

Vinum dulce.) Vinum dulce ſimul ac craſſum, & defrutum, & paſſum, quia promptè obſtruunt, corruptelæ formidinem non uulgarem obijciunt.

Iurulentum.) Quia liquidum facilè perfluit, maximè ſi intempeſtiuè quiſquam, aut nimium dimoueatur. Quinetiam ſi diutius aliquando in uentriculo contineatur, fluctuationem parit, concoctionemq; uitiat. Quas res corruptela mox excipit.

Nimis dulce.) Quia ſingulari dulcedinis uoluptate iecur, quæ dulcia ſunt, etiamnum cruda & incocta uentriculo eripit. Quæ ſi ſimul craſſa ſunt, duplici nomine iam lædunt, tum cruditatis, tum obſtipationis.

Nimis tenue.) Simile in his periculum eſt, quale in iurulentis ineſſe monſtrauimus.

At minimè intus uitiantur.) Minimè ſanè uitiari, uitiũq; creare poſſunt, quę facilè ſuapte natura cõcoquunt, & probè in omne corpus diſsipãtur: quæq; me-

diocrẽ sanguinẽ ac benignũ alimentũ cuicꝫ mẽbro suppeditãt. Deinde quæ A
tam etsi per se optima nõ sunt, ea sunt duritie prædita, ut ne à uitioso, feruen-
teꝙ stomacho facilè in perniciei cõsortiũ pertrahi possint. Priora quia beni-
gniter faciũt, nec per se nocẽt, haud facilè corrũpi dicuntur: quãuis ipsa uitio
alioqui uẽtriculi aut uisceris alterius citò nonnunꝙ corrumpãtur. Quo dun
taxat nomine inter ea quæ facilè intus corrũpant, recẽseri possũt. Posteriora
nõ ꝙd per se magnopere sint laudabilia, sed ꝙ fortiter sua duritie ijs unde cæ
tera ex facili uitiantur, resistãt. Quæ quia pluribus obesse, ꝙꝫ prodesse solent,
prioris quoꝙ generis haberi cõmerentur. Quare quæ facilè corrumpi, aut
minus dicuntur, ad aliud atꝙ aliud relata, in utroꝙ genere censeri possunt.

Panis sine fermento.) Felix ac fortis sit is oportet, qui hoc sine offensa diu frui
poterit. Sed ecquid boni aut mali apportet, aliàs traditum est.

Aues.) Si eas intelligit, quas in medio genere superius enumerauimus, ni-
hil est in sententia ambigui. Sed etiam aliàs magna cautione ac distinctione
eget, ut quid unaquęꝙ res ualeat atꝙ efficiat, intelligatur. Quod ita demum
futurum est, si cuiusꝙ naturã ac facultatem, cum cuiusꝙ hominis corpore ac
uentriculo comparauerimus. ut duriora robustis aut calidis, infirmora debi
libus ac frigidis & salubriter degentibus congruere meminerimus.

Aurati pisces.) Est scarus ex saxatiliũ genere piscis, nec admodũ diuersus est B
aurata. ut omne punctũ hi propria uirtute facilè ferre mereantur, si in intem
periem æstuantẽ non incidãt. At lolliginẽ ac polypum quum audis, molles
omnes pisces, & qui neꝙ squamas, neꝙ asperã aut testaceã, sed ueluti huma
nam habent cutẽ, concipe: qui duræ certè carnis sunt, & difficilis cõcoctio-
nis. Si tamen aliquando cõcoquantur, non contemnendũ corpori exhibent
alimentum. aliàs uerò crudi humoris magnam copiam gignunt. Locustas
porrò quũ legis, tenui testa totũ genus contectum cõprehende: ut gamaros,
cancros, astacos. quæ duritie carnis quadam, similiter ac testacea, constant.
Quanquam minus salsi humoris continent, & uix ægrè tandem cõcoquun
tur. uerùm concocta firmum item præbent alimentũ. Secus aũt, crudum hu
morem mirum in modum accumulant. Hæc itaque, quia dura ac pertinacia
sunt, non facilè, nec citò corrumpuntur. Maximeꝙ si testacea illa, quæ dixi-
mus, mutata crebrò aqua, recoquantur: & uentriculum ualidum aut feruí-
dum nanciscantur. Alioqui è crudo humore demum (quem ista, ut mollia
præcipuè pituitã, progenerant) par metus atꝙ aliorum esse solet, ne uel cor
rumpantur, uel obstructione putredinem creent. Præbentur itaꝙ hæc dura
carne prædita ijs, qui facilè quicquid assumant, corrumpere solent, seu uitio
humorum ex iecore fluentium, seu uentriculo adhærentium id patiantur.

Bubula.) Crassi & melancholici succi est. Alioqui duritiei nomine cum te-
staceis cõuenit. Conuenit & caro omnis dura, & salsa, & macra, & cochleę,
& purpurę, & murices, & deniꝙ uniuersum ostracodermorum, duraꝙ testa C
contectorum genus. Quæ recoctione feruidæ recentisꝙ aquę, item ac mol
li testa contecta, similem naturæ rationem concipiunt.

Quæ res aluum moueant. Cap. XXIX.

VT aluum mouent, panis fermentatus, magisꝙ si cibarius uel
hordeaceus est, brassica, si subcruda est, lactuca, anethum, na-
sturtium, ocymum, urtica, portulaca, radicula, capparis, allium, ce-
pa, malua, lapathum, beta, asparagus, cucurbita, cerasia, mora, uua,
omnia mitia: ficus etiam arida, sed magis uiridis, uuæ recentes, pin
gues, minutæ aues, cochleæ, garum, salsamenta, ostrea, pelorides,
echini, musculi, & omnes ferè conchulæ, maximeꝙ ius earum, sa-
xatiles, & omnes teneri pisces, sepiarum atramentum, si qua caro
assumitur pinguis eadem, uel iurulenta, uel elixa, aues quæ natant,

mel

A mel crudũ, lac, lactaria omnia, mullum, uinũ dulce, uel salsum, aqua tenera, omnia tepida, dulcia, pinguia, elixa, iurulenta, salsa, diluta.

ENARRATIO.

At aluum mouent.) Sunt maximè cathartica pharmaca, purgatoriaq; medicamenta, quę abdita & peculiari uirtute unum alterum ue genus humorum deijciunt. quo modo cnicus pituitam, scammonium flauam bilem, epithymum atram euerrit. Aloe, agaricus, colocynthis, rhabarbarum bilem pariter & pituitam. Polypodium, & ius galli ueteris, cum pituita bilem nigrũ. Veratrum & senna, bilem utranq; detrahunt. Veratra uerò nonnunquã etiam & pituitam. At de his nulla hoc loco instituetur disciplina: quippe quæ sint à ciborum condimentorumq; ratione alienissima: de quibus omnis hic sermo futurus est, ut uidelicet cognoscatur, quæ esculenta, quæq; poculenta uel aluum præcipitent, uel eundem astringant. Mouent autem nec in omnibus corporibus uniuersa, nec simili modo cuncta. Sunt enim quæ compungente quadam ui, uiscera intestinaq; sollicitent atq; iritent. ut urtica, ut radicula, ut brassicæ iuscula. Et quæcunq; uel salis, uel nitri facultatẽ, uel acrem alioqui obtinẽt. Sunt quæ ui quadam absterſoria uirtutẽ excernendi potentem stimulent atq; instigent: ut furfuracei panes, aut cibarij sunt. Sunt quæ
B aquea & humida, aut lubrica fluxilisq; sua substantia citò permeent: ut mora, persica, cerasa. Sunt denicq; quæ tenuatis & dissectis, extersisq; crassis ac uiscidis humoribus, aluum subducant: ut acetum, cepa, allium. Atque horum rursus quædam humoribus frigidis conueniunt exturbandis, ut quæcunq; acrimonia calidaq; uirtute sunt prædita, ut fermentata, nitrosaq;, & quæ secare & extergere dixi. Sunt quæ calidis pellendis sint aptiora, ut lactis serũ, & quæ aquea lubricaq; modò appellaui. Sunt postremò, quæ integro corpori id maximè præstant, ut pinguia, dulcia, iurulenta. Non itaque mirum est, esse quibus aluus facilè impellatur, ijsdemq; ab alijs uel fortioribus non cedat, aut propè etiam astringatur. Non enim à dulcibus rebus, aut piscibus teneris, omnes aluum propitiam experiuntur: sed segnem alij, & uitiũ atq; corruptelam alij. Acida crasis humoribus grauatam aluum exonerant, puram firmant. Taceo esse natura singulari & occulta præditos, qui inde salutem, unde cæteri noxam, contraq; percipiũt. Itaq; ob oculos hæc semper ponẽda sunt, ut cuiq; corpori quo adiuuet̃ donemus, quo lædat̃ detrahamus.

Panis fermentatus.) Aluũ, ea acrimonia, quã è fermẽto fuerit adeptus, mouet.

Cibarius, uel hordeaceus.) Vi illa absterſoria, quæ furfuribus & hordeo, præsertim in quo corticem non deglubueris, ineſt. nam iritant & detergunt nonnihil talia.

Brassica.) Vel leuiter in simplici aqua decocta, uel ius illud ipsius primùm,
C cui nitrosam suam facultatem impresserit, oleo præsertim & pipere, garoq; additis. Quod item in lente respondet, præterquàm quòd brassicam minus decoquere decet. Id quod notat Celsus, dum subcrudam esse iubet.

Lactuca.) Aquea & humida, tenuiq; substantia perfluit.

Anethum.) Anethum, nasturtium, ocymum, calida & tenuante ac dissecante ui, in humoribus crasis ac lentis dimouendis opem ferunt.

Vrtica.) Dissecat, & pungendo quasi urit, atq; sollicitat intestina.

Portulaca.) Virtute simili, modoq;, ac lactuca subit. Atq; item blitum, spinachiaq;.

Radicula.) Sic fermè, ut de nasturtio atq; anetho fieri docui. Nec admodum discrepant, capparis, cepa, allium.

Malua.) Sua quadam uiscida lubricitate facilè pessumit.

Lapathum.) Rumicũ, quæ lapatha dicuntur, decocto olere aluus emollitur: his beta facultate propemodum par est. Discutiunt siquidem, ac tergent. Oxylapathum paulum etiam astringit, sed semine multo potentius.

Asparagi

Asparagus.) Olerũ asparagi, seu teneri illi coliculi, qui ad fructus seminisq; A
eruptionem iam propè increuerũt, suis sunt plantis sicciores, brassicæ cyma
si duntaxat excipias. Eiusmodi sunt lactucæ, atriplicis, bliti, betæ, maluæ. A-
crium uerò stirpium cõtrà est humidior asparagus, raphani, rapi, sinapis, na-
sturtij. Quæ sanè omnia in aqua feruefacta cum oleo garoq; & exigua aceti
addita portiuncula, quo sint suauiora, & stomacho gratiora, esitantur: quæ
tum quemadmodum capparim, oliuas, allium, aluum tergendi quadam fa-
cultate mouere, & appetentiam creare manifestum est. At asparagus pro-
priè dictus, in fruticosis plantis est: stomacho acceptus, & urinalis. Ac pau-
ci quidem alimenti, uerùm pluris tamen, quam ex olerum herbarumq; aspa
ragis percipi solet.

Cucurbita.) Lactucæ & portulacæ temperatione propè similis est: quomo
do & pepo, & cucumis, & cerasa, & mora, & persica, & pruna recentia. Quę
idcirco æstate tantum, & calidioribus uentriculis primæq; mensæ conueni-
unt, ut refrigerent, & minimo relicto uitio aluo discedant.

Ficus.) Recentes, maturæq; abstergendi ui minimè obscura pollẽt. Cuius
gratia è calculosis renibus arenulas plurimas propellunt, prætereaq; facilè
commeant, & corpus totum peruadunt. Arida uerò, quam caricam uocant,
incidendi extenuandiq; uim habet. Quo nomine & aluum stimulat ad ex-
cretionem, & renes expurgat. B

Vuæ recentes.) Facilè hæ quoq; descendunt, præcipueq; succulentæ ac dul
ces: & ni faciant, grauiter etiam lædunt.

Pingues.) Siue uuis, siue auibus connectis, lubrica sua molliciei pinguedo
in omnibus descensum iuuat: nisi si quando in summo stomachi orificio co
hæresca & innatet. Tum enim nauseam, fastidiumq; potius infert.

Minutæ aues.) Si quæ sunt minutæ pariter, teneræ que. Duriores enim fi-
xius hærent.

Cochleæ.) Habent hæ, atq; item omnes conchulæ, & ex marinis quæcũq;
testa seu mollicula, seu dura contecta sunt: non secus ac lenticula aut brassi-
ca, geminam naturam. Alteram succosam ac salsam, quæ in aquam qua co-
quuntur deponitur, eaq; est aluo citandæ appositissima. Alteram corpulen
tam & crassam, concretamq;, quæ tardè è diuerso permeat, & uentrẽ astrin-
git. Eoq; Celsus inquit, maximè ius earum: satis hoc ipso significans, uel so-
li iuri, uel carni, iuris natiui gratia eam uim insitam esse, hoc maiorem, quo
fuerit illud copiosius ac salsius.

Omnes teneri.) Teneritudinis & molliciei gratia, nec duriter hærent, nec
subsistunt.

Sepiarum atramentum.) nempe incidendi atq; detergendi sua potestate.

Caro pinguis.) Pinguia, nisi innatant ac fluctuant in summo uentriculo, fa-
cilè perlabuntur, quia lubrica: ita ut iurulẽta, quia liquida: elixa, quia humi- C
da: quinetiam aues quæ natant, ab aquis, in quibus degunt, aqueæ nonni-
hil naturæ induunt.

Mel crudum.) Quoniam sic acrius ac mordacius est.

Lac.) Concoctionis facilitate, & cum corpore humano molli congruen-
tia, & seri nomine. Quo quanto magis affluit, hoc perfluit citius.

Lactaria.) Simili propè ratione, atq; lac ipsum. Quare crassò è lacte crassio
ra lactaria esse, fixiusq; subsistere necesse est.

Mulsum.) Par huius ratio, ac uinorum omnium dulcium.

Aqua tenera.) Ipsa suo epitheto causam facilis descensus ostendit. Cætera
cur item faciant, non est obscurum ex superioribus intelligere. At tepida
non modò uentriculi uires exoluunt, sed etiam pinguium in morem in ipso
plerunq; fluctuant. Quamobrem dum pessum non eunt, nauseam ciere, &
uomitionem prouocare sunt magis idonea.

Quæres

Quæ res aluum astringant. Cap. XXX.

A CONtrà astringunt, panis ex siligine, uel ex simila, magis si sine fermento est, magis etiam si ustus est, intenditurq; uis eius etiã si bis coquitur. Pulticula uel ex alica, uel ex panico, uel ex milio: itemq; ex ijsdem sorbitio, & magis si hæc antè fricta sunt. Lenticula, cui uel beta, uel intubus, uel ambubeia, uel plantago adiecta est: magisq; etiã, si illa antè fricta est: per se etiam intubus, uel ex plantagine, uel ambubeia fricta, minuta olera, brassica bis decocta, dura oua, magisq; si assa sunt, minutæ aues, merula, palumbus, magisq; si in posca decoctus est, graues oẽs aues, quæ magis currunt quàm uolant, lepus, caprea, iecur ex his quæ sæuum habent, maximeq; bubulum, ac sæuum ipsum: caseus, qui uehementior uetustate fit, uel ea mutatione quam in caseo transmarino uidemus, aut si recẽs est ex melle, mulsó ue decoctus. Item mel coctum, pira immatura, sorba, magisq; ea quæ torminalia uocantur, mala cydonia, & puni
B ca, oleæ uel albæ, uel præmaturæ, myrta, palmulæ, purpuræ, murices, uinum resinatum uel asperum, item meracum, acetum, mulsum quod inferbuit, item defrutũ, passum, aqua uel tepida, uel præfrigida, dura, id est, ea quæ tardè putrescit, ideoq; pluuia potissimum: omnia dura, macra, austera, aspera, tosta: & in eadem carne, assa potius quàm elixa.

ENARRATIO.

Contrà astringunt.) Fortissimè ea astringunt, quæ sunt acerbissima: deinde austera, tum arida duraq;, posthæc uiscida, postremò crassa: quorũ quo plura in eandem rem incidunt, hoc ea res firmius aluum continet. Non quòd propriè hæc astringant omnia: id enim acerbis atq; austeris tantum imponi potest: sed quòd fluxioni repugnent. Quippe quæ uel ariditate, duritiaq;, uel lentore aut crassitie, lenta, pigra, fixaq; reddantur.

Panis ex siligine.) Crassitie & lentore siligo similaq; subsistunt, præsertim si fermenti acrimonia nulla incitẽtur: magisq; etiam si ustione, aut repetita coctione sicciora sint reddita.

Pulticula ex alica.) Alica siligini facultate respondet: panicum & milium ab ariditate quadam penè arenosa pigritiem sunt consecuta. Quam, si ipsa frigas, etiam intenderis.

C *Lenticula.*) Toto quidem corpore, sed cortice præcipuè, magis'que etiam fricta, astringit atque exiccat. Maximè uerò, si bis etiam, pluries'ue, priore aqua diffusa, recoquas. Cui si betam, aut salis parum, aut gari addas, moderatior efficitur, & pharmacum pariter & edulium fit longè iucundissimũ, idemq; utilissimum, præcipuè si quippiam præterea ex firmantibus leuiter aluum adijcias: ut plantaginem, intubum, ambubeiam, quod cichorium nominamus. Pugnantibus siquidem, ac contrarijs uiribus hæc constant: beta, garo, intybo pessum euntibus, & incidendi ui præditis: lente & plantagine aluum prementibus. Quanquã & intubis, & ambubeis exigua quędam, & maior ijsdem frictis astringendi uirtus est addita. Lentem cum beta Heraclides Tarentinus teutlophacẽ nominauit, & in omni ualetudine frequenter usurpauit, propter mediocritatem quæ ex contrarijs hisce nascitur. Simili autem artificio modoq; lenti ptisanam commiscueris.

Minuta olera.) Non magnopere olerum humilitatem ac formam huc pertinere puto: sed quo sapore, qua'que ui sint prædita, multum solumq; refer-

re arbitror. Nam si astringunt, huc conferunt: sin minus, aliena sunt. A

Brassica.) Simili artificio & coquēdi ratione, atq; lēticula, fit astringentior.

Dura omnia.) Crassitie & duritia, quam uel firmius cocta, uel assa induunt, stringendi ui locupletantur.

Minutæ aues.) Duritie quadam atque siccitate tardè redduntur. Quod an item in merula culpes, nescio: quam secundum turdum, summè dulcem deli catamq; plerisq; existimāt. Palumbi caro magis astringit, magisq; etiam si in posca decoquas. Quę eodem pacto, oua, panē, multaq; alia reddit arentiora.

Grus.) Fibrosa & dura carne immoratur. Id quod in grauibus plerisq; aui bus item offendas. Quo sanè nomine, non quia currunt, magis quàm uolāt, uentrem potissimum refrenant.

Lepus, caprea.) Adde etiam similem omnem, non modò uenationē, sed etiā carnem, quæ ariditate duritieq; sua pressiorē hebetioremq; aluum faciunt.

Iecur.) Crassitiem hic quoq; accuses licet, præsertim in bubulo, & seuum habentibus animantibus: propterea quòd sit in his etiam crassius sicciusq; temperamentum. Sunt autem talia, quæ altera tantum parte dentata sunt, ut ouis, capra: si quæ est in hisce Aristoteli habenda fides. Nam adipe pinguescunt, quæ utrinq; sunt dentata, ut sus, equus: ab adipe autem seuum differt, primùm quòd hoc frigore concrescat ac durēt, adipe manente liquida: tum quòd adeps inter carnem cutemq; adolescat, in fine uerò carnis seuum. O- B mentum præterea in adipe pinguentibus adiposum atq; humidius, in seuo præditis seuosum est, & siccius. Quamobrem ut seuum adipe firmius est, & crassius: ita iecur quoque, & cor, & renes, & cerebrum, & lien, in seuosis animantibus, quàm adiposis, crassiora sunt, aridioraq;.

Caseus.) Ariditatem & crassitiem uetustate maiorē caseus omnis accipit, æquè ac transmarinus. Quibus efficitur, ut tum placentæ, tum lagana, tum denique alia omnia quæ ex caseo & lacte similaq; parantur, ingēte crassitie & uisciditate uentrem cōstipent. Melleq;, si quod addatur, aut mulso, nisi è crasso & astringente uino, nihil huc conferente, contrarium prorsus operentur, præsertim si mel quoq; crudius sit: ut aliàs tradidimus.

Mel coctum.) Coquendo melli acrimonia detrahitur: quæ aluum citare, & alimenti uirtutem minuere est solita.

Pyra immatura.) Quia sunt uel austeriora, uel acerbiora, maturis paulatim dulcescentibus.

Sorba.) Astringendi uim obtinēt, sed mespilis inferiorem. Quæ colorem luteum prius referunt, quàm matureſcant, dissecta, & sole siccata manduntur, ut aluum sistant: ea ego puto torminalia nuncupata esse, quoniam torminibus ac dysenteriis premendis conueniant.

Mala cidonia.) Quia astringunt præcipua quadam ui: iis proxima sunt punica, sed austera maximè. Nam dulcia minus huc opitulantur. Acidaq; his C magis: mesa, mediaq;, mediam naturam possident.

Oleæ.) Quæ plus astrictionis præ se ferunt, huc sunt conuenientiores.

Myrta.) Ita myrti fructum nominat, rem nullius alimenti, sed abundè uentrem coercentem: at ita, ut acrimoniā quandam permistam includat. Quam si coquendo, assando, aut macerando detrahas, paululum corpus alere incipiunt: ut in cepis & porro, aliisq; plurimis usuuenit.

Palmulæ.) Astringendi uirtute quadam palmulas omnes præstare, alibi docuimus.

Purpuræ.) Corpora eorum omnium quæ testa, seu tenui, seu dura crassaq; cōteguntur, præsertim si aliquoties mutata aqua decoquantur, quemadmodum de lenticula & brassica diximus, aluum crassa quadam & terrestri facultate supprimunt.

Vinum.) Vinum uel austerū, uel acerbū, quæ Celso aspera dicuntur, & nigrum item citra dulcedinem, aut album pariter & austerum, aut simul fuluū,

simul

A simul austerum, communi omnium austerorum lege ac ratione uentrē sub-
stringunt. Meracum uerò nō item omne. Nec enim dulce, nec acre, nec ama
rum, quatenus certè sit tale, aluum supprimit.

Acetum.) Ventrē purū sistit: crasso humore aut bile crassa oppressū, deijcit.

Mulsum quod inferbuit.) Sapā à defruto hac periphrasi separare uidetur, etsi è
mulso quod inferbuit, fiūt utraq;. Quæ crassitie quadam lentiora tardioraq;
reddi, non eo inficias, & astringentiora quoq;, si è uino duntaxat astringente
comparentur. E' dulci nanq; minus idem præstare sunt apta. Passum quoq;
crassitiei potissimū nomine, si quo posim ipsū alio, huc repono. Nā & Dio
scorides hæc omnia astringere, & pulsus reuocare profitetur. Ne nouus hic
error aut solius nostri Celsi, qui & Mauros pleroscp decepit, fuisse credatur.

Aqua uel tepida.) Tepore magis languefacit & dissoluit, quàm uel roboret,
uel astringat: feruore itaq; potius firmari uentrem crediderim, aut frigore,
utraque re manifestè astringente, modò ut ne intemperiem etiam magnam
accersant: unde uires mox præcipitentur ac resoluantur.

Dura.) Duram aquam, tardeq; putrescentem facilè recipio. Pluuiam non
perinde admitto. Non quin astringat cęteris dulcibus atq; insipidis fortasis
magis, sed quia biliosa, minimeq; dura, & putredini nimis cp; est obnoxia:
ex qua tamē, posteaquā ad genuinam integritatem redierit, duriorem eam
B reddi non eo inficias. Prudenter idcirco huius astrictione utendum est, ut
ne quęsita uirtute, uitium multo maius accersamus.

Omnia dura, macra.) Nihil est necesse his causam ac rationē attexere. Quan-
do eam ipsa uel per se ostendant, uel ex superioribus clarissimè recipiant.

Quæ res urinam mouent. Cap. XXXI.

VRinam aūt mouent, quæcunq; in horto nascētia boni odoris
sunt: ut apiū, ruta, anethū, ocymū, menta, hyssopum, anesum,
coriandrum, nasturtiū, eruca, fœniculum. Præter hæc asparagus,
capparis, nepeta, thymū, satureia, lapsana, pastinaca, magisq; agre-
stis, radicula, siser, cepa. Ex uenatione maximè lepus, uinum tenue,
piper & rotundum & longum, sinapi, absynthium, nuclei pinei.

ENARRATIO.

Vrinam autem mouent.) Diuretica, urinamq; citantia propriè dicuntur, quæ-
cunq; ualidè resiccando calfaciunt, quæq; acria sunt & nominantur: ut cala
minta, pulegium, sabina, rubia, abrotanum, semen apij, petroselini, fœnicu-
li, dauci, smyrnij, meon, asaron, phu, acorus, seseli, ammi, cæteraq; similia om
nia. Minus autem propriè diuretica appellantur, partim ea quæ moderatè
C tantummodo calfaciunt citra desiccationem, cuiusmodi et lac generare sunt
apta: ut fœniculum, anethum, anisum, lini semen, cuminum, eruca uiridis,
cucumeris semen: partim quæ menses prouocare sunt solita, quæq; efficaci-
ter calefaciunt, non tamen ualenter unà exiccant: qualia sunt costus, casia,
cinamomum, aristolochia, bunium, & quæcunq; in diureticis exiccata, aut
suo semine reperiuntur, ea uirentia huc pertinere possunt. Nihil præter hæc
addi à nobis in hoc capite magnopere necesse est: quando ex his quamli-
bet paucis, non modò quæ Celsus memorat, sed quæcunq; quispiam adijce
re possit, cur talia sint, aut habeantur, cognosci ac perspici potest. Nam bo-
ni odoris platas omnes, easdem esse calidas, ne meminisse quidem ualde in
terest. Atq; id quidem multo minus, satiuis agrestia semper esse & sicciora,
& ualentiora: ut pastinacam agrestem hortensi, & apio hortensi agreste, &
rutam item ruta, erucamq; eruca. Quin & semina suis esse stirpibus in istis
siccantiora. Quæ quisquis animaduerterit, facilè diuretica omnia propriè
improprieq; dicta dignoscet.

Quæ res somnum moueant, aut sensus excitent. Cap. XXXII.

SOmno uerò aptũ est papauer, lactuca, maximéq; æstiua, cuius A
cauliculus iam lacte repletus est, morũ, porrũ. Sensus excitant nepeta, thymũ, satureia, hyssopũ, præcipueq; pulegiũ, ruta & cepa.

ENARRATIO.

Somno uerò aptum est.) Somnus cõciliatur uel cerebri frigore, uel humiditate, uel utriscp: frigore, ut à semine papaueris: humiditate, ut in uino sepultis: utriscp, ut à lactucis. Talia itaq; sint oportet, quibus somnum accersas, ut uel frigore, uel humore, uel ambobus antecellant. In quibus si modus nõ seruetur, tam propè est ut mortẽ inferant, quàm est somnus morti uicinitate coniunctus. Heliodus fratrẽ germanum appellare nõ dubitauit. Cautè eam ob rem, ac prudenter his rebus utendum est, ut ne pro quiete uitaq; petita, mortem ac interitũ inducamus. Sunt nanq; non omnia paribus uiribus prædita, sed pro uincẽtibus, quas diximus modò, qualitatibus, plus minus formidanda. Nec enim in lactuca tantum metus, quantũ in papaueris semine subest. Nec huic, quantũ eiusdem suæ stirpis cortici: nec cortici huius, quantũ hyoscyami inhęret. Plus quoq; in papaueris, præsertim nigri succo, q̃d meconiũ uocant, formidinis inest: amplius quoq; in cicuta atq; opio. Sed de his iam B
nõ est dicendi locus, quãdoquidem in esculentis rebus ac poculentis tantũ, Celsi hæc omnis doctrina consumitur. qualia sunt, quæ sub iusta quantitate corpus dulci quiete imbuunt: non graui frigore aut humore hominẽ quasi sepeliunt. Nam immoderatè quoq; si ista assumerentur, uitæ manus iniice re possint. Sic papaueris candidi semen, quia cum sua frigiditate siccius moderatiusq; percipitur, sæpe panibus, sæpe melli, sæpe bellariis, aliisq; rebus misceri solitũ est. Sic lactuca calorẽ ac bilem reprimere, & quietem suauẽ corpori cõparare, diebus æstiuis inter primas epulas omnibus seculis percepta est: frigore & humore fermè pariter atque lactuca, mora, & dulcia cerasa, & persica, & cucumeres, & cucurbitæ, similiaq; facere cõsueuerunt. Quod aũt porrum his, quasi somno aptũ, attexitur, ab usu & ratione alienũ est. Quietẽ siquidẽ magis turbat, & somniũ tumultuosũ parit. Quod nihilo magis somnum cõciliare est, quam si Antoniũ reip. turbatorẽ, remp. constituere dicas. Est certè porrum caloris & acrimoniæ uehementis particeps: quo nomine tam extenuandi incidendiq; ui pollet, quàm somno inuitando ineptum est.

Sensus excitant nepeta.) Somno uigilia contraria est. Quare quod sensus excitet, quietem creanti repugnet necesse est. Si itaq; somnus in frigore est, & humore positus: uigilia in calore & siccitate consistet. Calfaciunt porrò, & exiccant, nepeta, thymum, satureia, hyssopum, præcipueq; pulegiũ, ruta, cepa, castorium, sinapi, piper, pyrethrum, & eius generis omnia alia. Acetum quoq; magna ui in hoc incumbit, non frigore quidem, quo secundum est: C
sed siccitate singulari, & acrimonia, partiumq; tenuitate. Cepa uerò, si quis plus æquo in ualetudine aduersa ipsa uescatur, uel cocta, lethargicum facit.

Quæ res corpus aut erodant, aut reprimant, aut refrigerent, aut calefaciant, aut durent, aut emolliant. Cap. XXXIII.

EVocare uerò materiam multa admodũ possunt: sed ea quæ ex peregrinis medicamentis maximè cõstant, aliisq; magis, cẽ quibus ratione uictus succurritur, opitulant, in præsentia differã. Ponam ea uerò, quæ prompta, & his morbis (de quibus protinus dicturus sum) apta corpus erodunt, & sic ex eo quod mali est extrahunt. Habent aũt hanc facultatẽ semina erucæ, nasturtij, radiculæ, præcipuè tamen omniũ sinapi. Salis quoq; & fici eadẽ uis est. Leniter uerò simul & reprimunt & molliunt, lana succida, ex aceto uel

uino,

uino, cui oleū adiectū est, cōtritæ palmulæ, furfures in salsa aqua, uel aceto decocti. At simul reprimūt, & refrigerāt, herba muralis,
A partheniū uel perdicium appellāt, serpillū, pulegiū, ocymū, herba sanguinalis, quā Græci πολύγονον uocant, portulaca, papaueris folia, capreoliq; uitiū, coriādri folia, hyoscyamū, muscus, siser, apiū, solanū, quam σρύχνον Græci uocāt, brassicæ folia, intubus, plātago, fœni culi semē, cōtrita pyra uel mala, p̄cipueq; cydonia, lenticula, aqua frigida, maximeq; pluuialis, uinum, acetū: et ex horū aliquo magis, madens uel panis, uel farina, uel spongia, uel cinis, uel lana succida, uel etiā linteolū, creta cimolia, gypsum, melinū, myrteū, rosa, acerbum oleū, uerbenarū contusa cū teneris caulibus folia: cuius generis sunt olea, cupressus, myrtus, lentiscus, tamaris, ligustrū, rosa, rubus, laurus, hedera, punicū malū. Sine frigore aūt reprimūt cocta cydonia, malicoriū, aqua calida, in qua uerbenæ coctæ sunt, quas suprà proposui, puluis uel ex fece uini, uel ex myrti folijs, amarę nuces. Calefacit uerò ex qualibet farina cataplasma, siue ex tritici, siue
B ex farris, siue hordei, siue erui, uel lolij, uel milij, uel panici, uel lenticulæ, uel fabæ, uel lupini, uel lini, uel fœnigræci, ubi ea deferbuit, calidaq; imposita est. Valentior tamē ad id omnis farina est ex mulso, quàm ex aqua, cocta. Præterea cyprinū, irinū, medulla, adeps ex felle iūcta oleo, magisq; si uetus est, sal, nitrū, git, piper, quinquefolium, fereq; quæ uehementer & reprimūt, & refrigerāt. Durant quæ calefaciunt, & digerūt, & emolliunt. Præcipueq; ad emolliendum potest cataplasma ex lini, uel fœni græci semine. His autem omnibus & simplicibus & permixtis uariè medici utunt, ut magis quid quisq; persuaserit, sibi appareat, quàm quid euidenter cōpererit.

ENARRATIO.

Habent aūt hanc facultatē.) Dicta traditaq; sunt hactenus ea ferè omnia auxilia, quib. generatim uel demitur aliquid corpori, uel adijcitur. Nunc uno, nouissimoq; hoc capite breuiter exponent reliqua omnia, quæ capite octauo ad morborū curationes cōmunes necessaria esse Celsus ꝓposuit. Ea aūt fuerūt quæ euocāt aut reprimūt, quæ refrigerāt aut calefaciūt, quæ durāt aut emolliūt. Verùm nescio quo pacto factū sit, ut nusq; breuius res tractatę, nusquam cōfusius perturbatæ, nusq; denique uanius, pluribusq; erroribus perfu
C sæ inueniant. Id q̄d nos in transcursu & obiter paucisq; delignasse, satis fore putabimus: fontes enim unde quæq; dimanarūt, quoad memoria suppeteret, indicare, & obscura addita pauca luce aperire atq; illustrare, & uana falsaq; ob oculos ponere, hoc opere tantū suscepimus. Quæ itaq; acria sunt, extremoq; ordine calent, quæq; tenuitate quadam partiū sunt prędita, ea foris corpori imposita, calefaciunt, erodunt, ulcerant, ruborē tumoremq; euocato sanguine excitant. Cuiusmodi sunt eruca, nasturtium, cepa, sinapi, ruta, sal, ficus. Ea ὠμοπασικὰ, aut ἑλκτικὰ Græci uocant. Etsi euocant minus quàm uel pleraq; peregrina sponte sua nata, uel è putrefactione quædam genita.

Leniter uerò simul & reprimunt.) Quę reprimūt, facultate cum euocantibus ex aduerso pugnant. Eaq; frigore, aut astringendi ui præstant: ac partium crassitie accedente fiunt fortiora. Quæ solo reprimunt frigore, & molli tantum, aqueaq; natura præpollent, Græcè πυκνοτικὰ, Latineq; densantia medici uocant, sunt, aqua frigida, semperuiuū, portulaca, tribulus uiridis, psyllium, herba quā muris aurē nomināt, lenticula palustris: etsi, quàm sunt alia frigida, citra

astrictionem. Adde his mandragorã, cicutam, altercã, papauer, dummodo A
quis herbis istis modicè utatur. Aliàs enim stupefaciũt, aut si quis illis plurimum utatur, etiã enecant. At ea quæ nõ modò cõtrahunt atq; cõdensant uti illa quæ modò scripsimus: uerumetiã astringũt, cogunt, roborant, exiccãt, & partium denicq; quandam habent crassitiẽ, στυπτικὰ uocant Græci: qualia sunt acerba auſteraq; omnia, ut sorba, mespila, corna, pyra syluestria.

Molliunt.) Mollia duris aduersantur. Durescũt porrò res oẽs uel siccitate, quas humectando molliueris: uel cõgelatione ac frigore, quas calore solueris: uèl plenitate ac tensione, quas inaniendo exhauseris: uel denicq; copulatis hisce binis, quas uiribus geminis contrarijs liberaueris. Durities magna, aut ualde tumida, uix è bile fieri potest: certè nisi è crassa, aut neutiquam simplici. E' sanguine phlegmone, è pituita aut flatu œdema: ex crasso aut lento humore, frigidoq;, scirrhus. Quorum suũ cuicq; quo detumescat et exhauriatur, cõtrarium adaptatũ est. Phlegmone siue inflammatio primùm subnascens, repellentibus, augescẽs mixtis, cum ijs quæ reprimũt paucis digerentibus. Consistẽs, paribus ambobus. Desinens, solis digerentibus. Oedema premitur initiò: deinde plusculum paulatim calefacientibus & exiccantibus exoluitur. Scirrhus magis moderatè idem efficientibus eximitur. Quæ sunt accuratè animaduertenda, ut unicuicq; uitio pro ipsius ingenio curationem ex re oppositа adhibeamus. Quæ itaq; Celsus reprimere leniter, atq; mollire dicit, neq; per initia, neq; per exitus morborũ conueniũt, nec per augmentum uigorem ne similiter, nec uitijs æqualiter omnibus accõmodantur. Vigor utraq; paria poscit, pellentiũ plus incrementũ. Sicca durities humorem, frigida calorem: plena quod dissipet, crassa quod emolliat, requirit. Celsus maiore ne temporum, an sua propè dixerim ignorantia haud scio, sic tamen hæc omnia inuoluit, ut nõ facilè alibi plus perplexitatis, & intricatæ obscuritatis in ipso inuenias: siue id temporũ interuallis barbarissimis, siue priscorum medicorũ ruditati, siue Celsi ad alia properantis, aut ab alijs qualiacũq; transscribentis errori, atq; credulitati imputare malumus. Nos, quando res est quæ paucis uerbis tota explicari nequeat, magnã operam in ea cõsumere, ut paulo antè monui, in animũ non induximus. Paucissimis, quoad fieri poterit, summa quæq; tantum delibabimus. Lana itaq; succida ex aceto aut uino tenui, & subaustero, cui oleum adiectum est, digerit, roborat, & dolores lenit: tumori phlegmatis participi, aut œdematoso congruit, si quidem oleum sit calorificum. Nam omphacinum aut refrigerans seu bili, seu sanguini tumefacienti magis est opportunũ: præterquàm post principium, quum moderatè leniens & emolliens, cum repellentibus competit. Contritæ uerò palmulæ pro dulcedinis & acerbitatis modo, plus minus, quamuis faciant oẽs utrunq;, digerunt, reprimũt ue. Et habent quiddã emplasticũ, puri mouendo accõmodatũ. Cęterùm furfures in aqua salsa aut aceto decocti, bilio- C
sis tumoribus, & œdematibus quibusdã ex tenui pituita natis conueniunt.

At simul reprimunt & refrigerant.) Quæ reprimunt, duùm sunt generum. Alia nanque calent, alia frigent: calent autem, nardi spica, cinamomum, absinthium, garyophylli, calamus aromaticus, xilaloe, thus, mastiche, mãna, aloe, myrrha, iris, gentiana, aristolochia, helenium, saluia, thymum, origanum, rosmarinus, peonia, anisum, ammi, cuminum, nasturtium, hœdi aut leporis coagulum. At frigent hyoscyamus, portulaca, lenticula palustris, psyllium, semperuiuũ, cichorium, polygonũ, lactuca, Veneris umbilicus, oxalis, uiolaria, cucurbita, atriplex, solanũ. Sed hæc nõ ita astringunt, propterea quòd sint humidiora. Astringũt aũt efficacius, uitis capreoli, arnogloſſum, rubus, myrthus, balaustium, malicoriũ, rosa sicca, corna, sorba, mespila, galla, rhus, berberis, acacia, hypocystis, terra sigillata, hæmatites, salix, coriandrum in aceto maceratum, carabe, caphura, corallus, margarita, cornu ceruinum, cæteraq; similia, quæ initiò phlegmones & erisypelatibus sunt idonea, & quoties

A ties uitij ratio robur aut astrictionem, repulsionem'ue fortiorem requirit.

Herba muralis.) Vulgò à parietibus, quibus accrescere gaudet, parietaria dicitur. folia refrigerādi, spissandiq́, cum astrictione atq́ humiditate quadā copulatā habent, qua phlegmonas & herpetes inchoantes crescentesq́ sanāt.

Serpillum.) Nihil penè perdicio dissimilius, quippe quod usqueadeò calefacit, ut & menses & urinas moueat, gustatu multum acre.

Pulegium.) Serpillo non absimile est. acre nanq́ est, & subamarum, & tam excalfacit, ut rubrificet: & si quis diutius toleret, exulceret quoq́. Tam porrò extenuat, ut humida & crassa lentaq́ è thorace & pulmone excreatu facilia faciat, mensesq́ moueat. Nihil refrigerantibus & reprimentibus magis aduersari potest.

Ocymum.) Calidum est ordine secundo, & humiditatem quandam habet excrementitiam, cuius gratia inimicum est stomacho, & ægrè conficitur, & praui est succi. Extrinsecus illitum discutit & concoquit. Quare ne huc quidem aptè appositum est.

Herba sanguinalis.) Duo eius traduntur genera. Vtrunq́ astringẽdi & spissandi refrigerandiq́ natura est præditum, sed humiditas in secundo ordine frigori præpollet: herpetum, erisypelatum, ulcerum, phlegmonarum, cruentorum uulnerum, aptum remedium.

B *Portulaca.*) Humida secundo est ordine, & frigida tertio, glutinosaq́, paucæ particeps austeritatis: fluxiones idcirco repellit, & maximè bilioſas, calidasq́: æstum foris intusq́ temperat.

Papauer.) Refrigerantem habet facultatem, sed syluestre satiuo candidoq́ maiorem, & præcipuè quod oblongiorem calicem habet, ac procerius squalidiusq́ cæteris crescit.

Vitium capreoli.) Frigefaciunt non ignauiter.

Coriandri folia.) Refrigerare etiam Dioscorides tradit: ideoq́ cum polenta aut pane ignibus sacris, & ulceribus quæ serpunt mederi, additisq́ alijs inflammationes emendare. At Galenus ea omnia doctè refellit, amaræ & incidẽtis, humidæq́ facultatis, cum pauca astrictione, coriandrum particeps esse ostendens.

Hyoscyamum.) Cui semen atrum est, id insaniam ac soporẽ adfert. Cui flauum, propinquam illi facultatem obtinet. Neutro utendum, quippe deleterio ac uenenoso. At cui semen ac flos candidus est, ex tertio refrigerantium ordine, & medicis utilis est.

Muscus.) Vim habet astringendi inualidam, utpote medijs uicinus, & digerendi molliendiq́ uirtutis particeps.

Siser.) De eo dictũ est suprà. Calefacit emi secũdo gradu, et amaritudinẽ quãdam cum leuicula astrictione possidet. Parũ aptũ ad refrigerantiũ catalogũ.

C *Apium.*) Ita calet, ut urinas & menses prouocet, & flatus discutiat, sed semine magis. Ineptum itaq́ hoc loco etiam, quàm siser, magis.

Solanum.) Hortense astringit & refrigerat ordine secundo: halicacabum foliorum facultate huic simile est, quæ huic loco congruunt. Nam hypnoticum ac manicum solum frigidiora omnino sunt.

Brassicæ folia.) Resiccant, & amaritudinis nonnihil atq́ acrimoniæ habẽt, magisq́ agrestis. Vlcera glutinant, & maligna ulcera sanant, phlegmonas induratas, & erisypelata & herpetes magno beneficio afficiunt: habent & quiddam absterſorium, quo lepras curant.

Intubus.) Dictum est de hoc, & eius formis, superius.

Plantago.) Habet quiddam aqueum frigidum, habet & austerũ quiddam. Refrigerat & exiccat secundo à medijs ordine.

Fœniculi semen.) Calefacit tertio à medijs excessu, siccat primo. Vrinas mensesq́ ciet: hippomarathrum & radice, & semine potentius est. Neutrum astringit, nec huic loco competit.

Contrita

Contrita pyra.) Pyrorum satiuorum pars una est terrea, altera aquea: cæterùm utraq; frigida, tertia tẽperata. Stomacho idcirco grata sunt, & sitim arcent. Illita desiccant, & modicè refrigerant. At syluestria magis astringunt, & exiccant: ut iam maiora uulnera glutinent, fluxionesq; repellant. A

Vel mala.) Si ea modò sint astringentia, qualia præter cydonia multa sunt.

Lenticula.) Quid cortice, quid toto corpore ualeat, supra traditum est.

Aqua frigida.) Frigoris nomine densat & repellit. Pluuiã etiam stringit, reprimitq;.

Vinum.) Nõ profectò omne, sed uel austeritatis, uel acerbitatis particeps.

Acetum.) Frigore ac siccitate, cum partium tenuitate coniunctis, ualidè exiccat & repellit.

Ex horum aliquo.) Panis, farina, cinis, spongia, linteum, similiaq;, quia aquã, uinum, acetum minus diffluere sinunt, plus faciunt. Seruant enim falcultatem, & substantiam liquidorum, ne præterlabatur, cohibent. Deinde operantur ipsa quippiam, sed diuersum. Panis ac farina pro frumenti ac seminis genere, unde constant. E' tritico emplastica sunt, & molli calore dolorẽ mitigãt. Ex hordeo & fabis, magis abstergunt. Spongia si noua est, exiccat & repellit: si uetus, lotione idonea talis efficitur. Cinis siccat etiam magis, & acredine quadam nonnunquam digerit, tenuatq;. E' materia astringente, ut quercu, astringit: ex acri, ut ficu, fit acrior, & abstergit. Lana succida mollit, coquit, dolorem sedat. Linteum rursus exiccat. B

Creta cimolia.) Mixtę est facultatis. Partim enim refrigerat, partim digerit, sed leuiter. Cum astringentibus unà astringit, cum digerentibus digerit.

Gypsum.) Arefacit, & est emplasticum, ac reprimit, maximè si maceretur oxycrato, magisq; etiam si prius aduratur.

Melinum.) Vi cidoniorum, è quibus conficitur melinũ, astringit et roborat.

Myrteum.) Astringit quantum cidoniorum, & exiccat potentius.

Rosa.) Rosam pro oleo rosato sine odoramentis, appellare solet: quorum si quid immiscetur, unguentum rosaceum iam nominatur. Illa igitur repellit, coquit, digerit.

Acerbum oleum.) Vel ipsum suo epitheto facultatem genuinam designat. Acerba enim omnia uehementer astringunt. Dicitur etiam hoc ipsum omphacinum, quia ex immaturis oliuis paratur.

Verbenarum contusa.) Admodum siccant, & astringunt.

Olea.) Quantum habet astrictionis, tantæ est frigiditatis particeps.

Cupressus.) Plurimum habet acerbitatis: deinde amaritudinis, tum leuem acrimoniam. Eoq; in duris corporibus magna glutinat ulcera.

Myrtus.) Vincit in ea frigidum terreum. uerùm habet & quiddam tenue calidum. Valenter itaq; desiccat & restringit.

Lentiscus.) In calore frigoreq; temperatus, secundo ordine, aut incipiente tertio siccat, moderateq; astringit. C

Tamarix.) Abstergit & incidit, absque eo ut manifestè desiccet, astringitq; nonnihil. Cortex & fructus etiam plurimum, cum quadam absterſione.

Liguſtrum.) Folia reprimentem facultatem obtinent.

Rosa.) Aquea substantia, & astringendi amaraq; composita est: flos magis astringit, & exiccat.

Rubus.) Euidenter astringit, sed fructus immaturior, & folia germinaq; que adultiora manifestius.

Laurus.) Acris est & subamara, multumq; à superioribus diuersa. Vrinas acmenses proritat.

Hædera.) Astringit, & acris est: & aqueam præterea tepiditatem, si uiret, admixtam habet. Succus & lachryma ualde calent.

Punicum malum.) Cortice ualenter astringit: sed & acinis succoq;, si quando austeritate participant.

Sine

A *Sine frigore reprimunt.*) Eiusmodi quæ sint, nos paulo antè pleraq; enumeratimus. Certè cydonia mitescunt nonnihil, & quasi coquendo matureſcunt. Malicorium cortex est punici, quod frigore omnino non destitui, acerbitas indicio est. At aqua calida si tepet, nihil ea minus reprimit. Si feruet, feruore, nõ suapte natura, cogit, stringitq;. Si uerbenas incoquas uerbenarum, id nomini acceptum ferri, ut si astringẽtia alia similiter incoxeris, debet. Vini fex, à fece, pro uini, cuius fex sit, multum differt uariatq;. De myrto iam dictũ est. Verùm amaræ nuces, quatenus tales sunt, nullæ reprimere possunt. Iuglandes dum uiresc unt, nonnihil astrictionis habent.

Calefacit.) Farinę tot genera sunt, & tam diuersa, quot & quàm uaria seminum sunt, unde conficiuntur. Quare quo farinarum uirtus & discrimina cognoscantur, quorum sint seminum, animaduertendum est. Quòd autem ex mulso quàm ex aqua coctæ magis caleant, nihil dici uerius, aut clarius potest: nec ratio obscura est.

Cyprinum.) De alkanna oleũ, Afri uocant, modicè astringit, & myrteo magis calefacit. Irinum uerò terget, tenuat, digerit, coquit.

Medulla.) Induratos tumores emollit. Optima ceruina, tum uitulina: hircorum & taurorum acrior est, & aridior.

Adeps.) Temperaturæ eorum animãtium, unde eximitur, semper respon
B det, in hoc ut plus minus uirtutis humectantis & calfacientis habeat: suillus humectior est, minusq; calefacit. Taurinus multo est suillo calidior siccior-que, sed quàm leoninus multo inferius. Rursus caprarum minus quàm hircinus, uti & hœdinus minus quàm caprarum, ac uitulinus quàm taurinus.

Fel.) Amaritudine præcellit & calet eo magis minus ue, quo è frigidioribus aut calidioribus animalibus sumitur. Mitissimum è piscibus, acerrimum è rapacibus.

Magisq; si uetus.) Vinum, mel, acetum, fermentum, butyrum, hyssopum, oleum omne, uetustate & calidius & tenuioris substantiæ redditur. Cæterùm gith quale sit, aut piper, gustatu summè calere notum est. Pentaphylli radix ad tertium usq; ordinem exiccat, minimum acris, aut calida, aut mordax. Cętera quod ueri, quid ue falsi contineant, é superioribus intelligi facilè licebit.

LIBRI SECVNDI FINIS.